

N. d. 93/94.

N d 93 Forestus, P.

Libri VII – VIII

in 2 vol


Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-21287411X-15/fragment/page=0003

OBSERVATIONVM ET CVRATIONVM MEDICINALIVM LIBRI TRES,

Nempe tertius de febribus intermittentibus; quartus de hecticis; ac quintus de febribus compositis.

In quibus earundem causæ, signa, prognoses, curationes, graphicè depinguntur.

D. PETRO FORESTO Alcmariano, Medico, Auctore.



ANTVERPIÆ,
Apud Christophorum Plantinum.
M. D. LXXXVI.


LEHNS-BÜCHEREI
IN ERXLEBEN

ERVDITIONE,
HVMANITATE, FIDE,
AC VIRTVTE PRÆSTANTISSIMIS VIRIS, PRÆFECTO VRBI,
Senatui, Populoq; Alcmariano, S.

PATRIA, vt Marcus Tullius inquit, recordatione ortus nostri delectat. Ac Vespasianum Suetonius Tranquillus natum esse in Sabinis memorat, vltra Reatē, vico modico, cui nomen erat Phalacrine. & quamuis pagus exiguus, eoque contemptior videri poterat, & amorem patriæ in Imperatore obliteraturus; tamē Princeps quoque & locum incunabulorum assiduè frequentauit: manente villa, qualis olim fuerat: ne quid scilicet oculorum cōsuetudini deperiret. Verè igitur de Vlysse Naso Poëta:

Non dubiū est Ithaci prudentia, sed tamē optat
Fumum de patriis posse videre focis.
Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Nec me certè minus memoria sui Alcmaria afficit. nam etsi postea in populi Delphensis ciuitatem susceptus fuerim, publicis magistratus

eius litteris constitutoq. honesto stipẽdio euocatus, manſi tamen Alcmarianus & origine & animo. Sic & Cato ille, cùm esset Tusculi natus, transiit tamen in ius ciuium Romanorum. Itaque cùm ortu Tusculanus esset, ciuitate Romanus: habuit alteram loci patriam, alteram iuris. Nec ambigendum, vt Roma animo eius acceptissima fuerit, quin subinde desiderio natalis soli Tusculum recurrerit atque exspaciatus sit. Ea propter & mihi facilè concedent omnes, licet Delphos veluti alteram iuris patriam, vt Romam Cato, summa charitate complectar, eique tanquam frugum mearum primitias dedicauerim: si aliquam amoris ac beneficentiæ partem Alcmarianis meis decîdam, ac nutriculæ meæ vrbi subsequentes proximè Obseruationũ Medicinalium libros tres consecrem. Quæ res adeò non malè habebit Delphenses, vt gauisuri sint potius, alterum meum fœtum tuendum conseruandumque vobis ac Reipub. vestræ attribui. Delphensibus enim, Viri clarissimi, solemne atque antiquum est cum vestra vrbe fœdus. Gentium igitur ius atque naturalis æquitas flagitare videbantur, vt fœderatis aliis post alios, non iniqua prorsum munuscula mitterentur. Nec has modò publicas habeo dedicationis meæ causas, sed domesticas etiam atque priuatas. Meministis siquidem

dem, Viri humaniſſimi, cùm ab Italia & Gallia medicus domum eſſem reuerſus, non patri ſolùm nobili atque honeſto viro, fratribus atque cognatis meis, verùm etiam cæteris promiſcuè ciuibus veſtris & incolis fidelem me, atque expromptam operam impendiſſe. Nam etſi nullum à ſenatu tum temporis ſalarium mihi dabatur, non eo tamen minus aſſiduum laborem operamque gratuitam poſui in egenis pauperculisque veſtris ciuibus probè curandis. quod profectò fatebuntur apud vos omnes boni. Occurrent itaque in iſtis meis commentariis veſtratium non pauci, qui ſecundum Deum mea opella in priſtinam valetudinem ſunt repoſiti. Non enim annum vnum atque alterum, ſed duodecim, prius quàm Delphis rerum mearum ſedem figerem, ægrotis atque morbidis ſanandis apud vos planè conſumpſi. Et quid in re medica Alcmariæ, Deo potiſſimum opitulante præſtiterim, multi, ni fallor, ciuium meorum loquentur. Atque vt maximè iſti omnes ſileant, poſteritatem tamen, vt ſpero, lectis meis libellis teſtem habebo locupletem, quàm in inueſtiganda morbi cauſa perſpicax atque anxiè ſollicitus, in diſquirendis malo remediis circumſpectus fuerim, atque in viſitandis ægris meis fidelis ac diligens. Et vtinam meo exemplo quoſdam exſtimulem, vt non, quod hodie

empiricorum vulgus passim facit, medicinam audacissimè applicent morbis sibi non cognitis; sed potius postquam medendi artem probè cognitam exploratamque habent, cum ipsa praxim vsumque sanandorum morborum scitè coniungant. Ita fiet tandem magno Dei beneficio, vt multi parentes cum liberis, liberi cum parentibus, vir cum vxore, vxor cum marito diu simul sint superstites, cum maximo reipub. bono emolumentoque. E contrà, si empiricis impunè permittatur ludos facere in nobilissima hominum corpora, si in triuialibus scholis artes ac disciplinæ liberales non tradantur vt oportet, in Academiis exercitatio disputandi, artium rerumque vsus non accedat: videbimus breui Respub. plærasque pessum iri. non erunt enim, qui grassantibus morbis medicinam ex artis præscripto faciant, qui Rempub. à sceleratis quibusque vindicent, bonis tuendis ac propugnandis, qui Ecclesiam Dei, ne quoddam quasi Augiæ fiat stabulum, à schismaticorum ac hæreticorum quorundam prophanis iisdemque pernicioſissimis opinionibus in doctrinis, semel repurgent, ac puritatem doctrinæ sartam tectam custodiant. Intelligitis ergo, Viri clarissimi, quid ad emittēdos in publicum commentarios hosce de Febribus intermittentibus, ac pòst de hecticis, & febribus compo-

compositis, me potissimum impulerit. Laudo autem prudentiam Coss. qui ex decreto Senatus, in instauranda schola nullis neq. sumptibus neque laboribus pepercerunt. Fuit enim apud vos & olim sub Bartholomeo Colonienſi, ac paulo pòst sub Ioanne Murmellio (quos Petrus Nannius, Iordanus Forestus meus pater, Andreas Sellius, & alij, præceptores, ea tempestate, clarissimos habuerunt) valdè celebris schola, adeò vt vicini Frisij ac Zelandi liberos suos passim illis in disciplinam traderent. Atque idem ille Petrus Nannius è discipulo magister factus, vnà cum Theodorico Langio Enchusano non multo pòst instituendæ iuuẽtutis functionem Alcmariæ, quæ illi patria erat, magna cum laude sustinuit. De quorum admirabili eruditione, rerumque scientia, dicendi hic locus nõ est. Ille enim in Academia Louanienſi Latinam, hic vero Græcam linguã multos annos & magno studiosorum fructu professi sunt. E quorum schola tanquam ex equo Troiano nobis prodierunt, quicquid doctorum postea hominum in patria mea fuit. quorum in numero sunt Ioannes Rufus, Laurentius Sassius rector scholæ & in patria Ecclesiastes magni nominis, Cornelius Coeltunius, Theodorus Allardus, Remus Astrius matheseos studiosus, Gerardus Nieuburchius iuris doctor, Quirinus Re-

nus Regnerus apud Tremonianos ludimagi-
ſter non pœnitendus, Cornelius Piſtorius, &
alij complures, ſuauitate naturę, ingenij elegan-
tia, ac morum comitate ſpectabiles cum primis,
ac ciuibus & indigenis clariſſimi: mihi verò
condiſcipulatus iure perpetuò amandi. De me
autem ac fratribus, quibus magni illi & cele-
berrimi viri præceptores quoque fuerunt, non
dicam. ſumus enim ex infimis, tametſi in fide
ac diligentia obeundi muneris: condiſcipulis
noſtris non cedamus. Oro autem vos, Viri præ-
ſtantiſſimi, vt lautioris ingenij adoleſcentes ali-
quot publicis ciuitatis impenſis in litteris diſci-
plinisque humanioribus inſtituendos exhibea-
tis, quò ſublatis è medio peritioribus viris, ſu-
perſint adhuc, qui medicinam ciuibus ſcitè
dextreque faciant, & teneant rationem regen-
dæ reipub. atque adminiſtrandæ eccleſiæ Chri-
ſti. Tradit alicubi Eraſmus Roterodamus, mul-
tos mediocri ingenio viros in Hollandia reperi-
ri, ſed inter alia obſtare parentum auaritiam,
quò minus è barbarie, atque artium rerumque
ignoratione emergant, & cũ literis ipſis huma-
nioribus ipſi humaniores quoq. reddãtur. Abſit
hoc à veſtra Repub. Quin potius ex ærario ciui-
tatis aliquid cõferatur in inſtitutionem puero-
rum, quos alioquin curta ſupellex non patitur
aliquem ingenij cultũ capeſcere. Quo certè in-
ſtitu-

ſtituto nihil veſtris ciuibus vtilius erit, nihil honeſtius, nihil ſanctius, nihil denique magis laudabile. Commendo autem vobis fratres meos, Theodorũ ac Iacobũ Foreſtos, cariſſima mihi capita: quorum ille pecuniæ publicæ recipiendæ erogandęque munus per annos aliquot laudatè admodum in patria geſſit; hic verò medicinæ etiam doctor, poſt me in medendis curandisque ægris ac valetudinariis non inutilem ciuibus veſtris operam nauauit. Nec dubito quin pro corporis facultatibus, atque animi dotibus ſuis fidem vterque præſtet, ac faciat officium. Ad extremum rogo atq. obſecro, Viri ampliſſimi, vt quicquid hoc eſt Medicinalium Obſeruationum, litterarium quidem munuſculum, ſed vt ſpero eruditis non iniucundum, non inutile medicis, non etiam poſteris ingratum, candidè ac benignè ſuſcipiatis. Proficiſcitur enim à medico & ſene, & ciue veſtro, qui Reipublicæ, vobis, ciuibus atque incolis omnibus quam optimè vult. Valete Reipub. Eccleſiæ Dei, ac ciuibus meis quàm longiſſimè incolumes atq. ſuperſtites in Domino. Ipſis Cal. Ian. anno nouiſſimi temporis M. D. LXXXV.

Deditißimus, Senatui Populoq;
Alcmariano, ciuis

PETRVS FORESTVS Medicus.

P. NANNII ALCMARIANI
LATINÆ LINGVÆ PROFESSORIS APVD LOVANIENSES,
EPITAPHIVM.

PATREM *si patriæ solent vocare,*
Debet cui meritò suam salutem:
Tua Alcmaria te suum parentem
Cur non iure feret? licet nec vrbi
Per te reddita pax manu vel armis,
Nec ciues opibus bearis auctos:
Sed maiora tui tibi clientes
Debent, ingenij pata suaues
Fructus, & bona quæ putum vel aurum
Excellunt pretio suo. eruditus
Ille Sassius, & loco nec vno
Coiltunus celebres, bonusq; Rufus,
Et si quos studium nouem sororum
In tua patria tenet, sacrati
Vel iuris, medicæ fides vel artis
Commendat, celebres facit, probatq;:
His, Nanni, genitor, paterq; haberis.
Namq; à barbarie rudi expolitos,
Ceu nouos homines dabas videndos,
Mutatis animis, nouisque linguis,
Cultis moribus, integráque vita.

N. F. A.

AD STVDIOSVM LECTOREM PRAEFATIO.

APELLES *pictor præstantissimus, candidissime Lector, Plinio lib. 35. Naturalis historiæ, cap. 10. referente, perfecta opera proponebat in pergula transeuntibus, atque post ipsam tabulam latens, vitia quæ notarentur auscultabat, vulgum diligentiorem iudicem, quàm se, præferens. Feruntq. à sutore reprehensum, quod in crepidis vna intus pauciores fecisset ansas, eodem postero die superbè ob emendationem pristinæ admonitionis cauillante circa crus, indignatum prospexisse denuncianten, Ne supra crepidam sutor iudicaret: quod & ipsum in prouerbium venit. Ita hodie nō desunt obtrectandi malignitate suffusi, qui semper habent quod carpant, & de iis rebus iudicent, quarum prorsus sunt imperiti. Quod cùm multis contingat, idem & nobis vsu venit, postquam duos Obseruationum medicinalium libros, tanquam aliorum anteambulones in lucem protulissemus. Rident enim nonnulli, quod exempla tantum posuerim eorum, qui à morbis suis sunt restituti, empiricorum & medicastrorum vulgarium more, qui studiosè testimonia eorum quærunt*

quærunt ac circumferunt, quos quandoque sanauerint ipsi. Si qui verò imperitia eorum perierunt, de iis nullam ingerunt mentionem. A me autem, quod Hippocrates quoque in libris Epidemiorum fecit, multi referũtur, qui vitam cum morte mutarunt, nec curari à nobis potuerunt, ratione in scholiis subsequentibus etiam adiecta. Alij verò quibus magis placet verborum ornatus, quàm res ipsa, eo potissimum offenduntur, quod vsus fuerim vno atq; altero vocabulo minus Latino. Verùm isti meminisse debuerant, versantibus quotidie in praxi, ac veteres medicos legentibus, facilè obrepere genus loquendi minus politum ac tersum. Et quid quæso est, vt hoc tantopere isti requirant? Ægrotus, Seneca inquit, non eloquentem medicum, sed curare scientẽ quærit. non enim eloquentia, ait noster Celsus, sed peritia curãtur ægri. Non desunt, quos & hoc malè habet, quod eiusmodi in publicũ emiserim, & remedia quædam omnibus communia fecerim, quæ mihi potius ipsi reseruare debuissem: quasi verò hoc ipsum nõ maiore in laude ponendum sit, si pro mea quantulacumque eruditionis portione, de posteritate bene mereri studerem. Peritis quidem hæc scripsi, qui vera methodo curare norunt, & in curatione quædam demere, vel adiicere sciunt, aut iisdem tempestiuè vti. Rursus alij quidam & hoc addunt,

quædam

quædam in nostris commentariis inueniri, quæ ab aliis prius dicta vel scripta fuere. Esto. quid enim vetat quo minus δίς ἐς τρίς τὰ καλὰ καὶ χρήσιμα; nimirum hoc illi vituperant factum. Adeò Cratini Comici illius verum est dictum,

οὐ πρὸς πάντος ἐςὶν ἀρτύσαι καλῶς.

Apes enim è variis floribus varios colligunt succos, sed eos suo spiritu mutant, ac digerunt, alioqui non facturæ mel. Sic euoluendi sunt authores omnes, sed quod legeris in tuos vsus trãsformandum. Et hoc certè modo Galenus ex Hippocrate, Diocle, aliisq́; vetustißimis medicis, aliquando integra folia transcribere, & suis libris immiscere non erubescebat, modò proposito suo conuenirent, intelligeretq́; eadem sibi atque aliis prodesse posse. Idem præstitit & Aëtius & Oribasius, qui ex Archigene, Galeno, Philumeno, Antylo, Ruffo & aliis medicis illustribus, plurima suis curationibus & libris inserere non dubitarunt. Insurgunt alij, qui me telam aliorum, nec pari gratia retexere aiunt, cùm viri innumeri atque eximij ante me de febribus aliisq́; morbis scripserint, & de iisdem obseruationes dederint in manus hominum, quemadmodum Amatus, doctißimus, & istis diebus Rembertus Dodonæus medicus egregius, nonnullas quoque Obseruationes conscripsit: quibus sanè viris suam adeò laudem non inuideo, vt eorum potius exemplo in-

plo incitatus, de illis ipsis rebus scribere aggressus, posteritati quoque pro mea virili voluerim consulere. Nam quotidie vt omniparens est rerum natura, infiniti noui casus, exemplaq; innumera occurrunt, quibus non tyrones modò (tanquã ad illos solos hæc nostra scripta pertinerent) sed & in arte medica ac praxi exercitati, grandioresq; (vt memoria confirmetur) etiamnum maximè iuuari possunt. Sunt etiam qui nostros commentarios iam editos suggillant tanquam mendosos. Quasi aliis, qui excudendis suis lucubrationibus ipsi præsto esse non possunt, hoc vsu non veniat. Sed vt obrepserint errata quædam, quòd pondera & mensuræ notis quibusdam designentur, subiecimus tamen ad radicem librorum indicem, quo Lector harum rerum tædio subleuetur: prima plærumque editio, non ita vt secunda emaculata & emẽdata prodit. Sunt certè δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. Scio viros plæroſq; doctissimos supradictis de causis à calamo abstinere, aut si quid probè elaboratum compilarint, nolle in publicum dare, ne in calumnias maleuolorum hominum incurrant. Rectè is dixit, quod vni placere solet, multis non placere posse. Sic quidam in diuino Platone confusionem quandam criminantur: in Aristotele tenebrosam obscuritatem: In Plinio turbulentam quandam congeriem. Verùm ne medicos nostros præteream, ne

eam, ne Hippocrates quidem liber euasit à dentibus Thessali, qui non solùm huius venerandi senis, sed omnium aliorũ medicorum, licet illustrium, placita confutauit: quemadmodum hodie Paracelsus facit, qui rabie quadam in omnes medicos antiquissimos & nostri temporis sæuit. Sed & alij quoque inueniuntur, qui in Galeno taxant nimiam prolixitatem, & ad praxim non desideratum ordinem, quem Auerrhoes etiam, alioqui medicum illustrissimum & exercitatissimum, in pluribus locis redarguit. Hinc nonnulli Auicennam quidem amplectuntur, Galenum verò negligunt. Rursus alij Auicennam ob nominum barbariem planè reiiciunt, Galenum verò ambabus vlnis excipiunt. Imò quorundam aures adeò delicatæ sunt vt nullum alium admittant medicum, nisi illũ qui purè, Græcè aut Latinè, idq́, tersè scripserit: practicos verò omnes (vt ita dicam) tanquam barbaros auersantur, & odio habent: ita vt Arabes ne legere quidem dignentur, quantumuis salutaria remedia nobis protulerint. Interea tamẽ habẽt Arabes & barbari suam quoq. laudẽ, qui in remediis fertiliores fuere quàm Græci ipsi. Quidam verò vt in Galeno prolixitatẽ, sic in Paulo Aegineta breuitatem vituperant, quem & nonnulli pro simia Galeni habent. Adeò calumniis homines quidam delectantur, vt ne columnæ medicorum ab eorum

virulen-

virulentis morsibus tuti sint. sed qui auram popularem aut laudem non aucupantur, iis moueri non debent. Non enim ob criticos istos, quibus pigmenta verborum magis quàm res ipsa placet, desistendum erit ab incœpto, quo veluti via sternitur ad cognitionem febrium, earumq; curationem. In scholis plærumque otiosæ quæstiones proponuntur, si ad vsum hominum atq; vtilitatem deinceps respicias. Sed viuis exemplis adducere studiosos medicinæ in notitiam morborum, iisq; ex arte sanandis rationem præscribere, quis est quæso non extremè malus, qui hoc non probet? Quapropter æquus Lector studium meum amplectetur, valetudini hominum conseruandæ, aut restaurandæ dicatum. Qua certè re fiet, vt alij mecum excitentur ad fœtus suos litterarios in vsum mortalium atque vtilitatem edendos. Vale.

OBSER-

OBSERVATIONVM ET CVRATIONVM MEDICINALIVM DE FEBRIBVS INTERMITTENTIBVS LIBER TERTIVS:

PETRO FORESTO ALCMARIANO, MEDICO AVCTORE.

OBSERVATIO I.

De febre tertiana intermittente.

IVVENIS quidam Alcmarianus annorum viginti sex, biliosus, macilentus, ex itineris longitudine defatigatus, principio æstatis, in tertianam febrem intermittentem incidit. Ad quem cum intrarem, ei propinaui minoratiuum medicamentum, quod ex ℥vij. electuarij lenitiui, & pulpæ thamarindorum cum aqua endiuiæ extractæ ℥j. ß. constabat in modum boli concinnatum: quo bene aluum egessit. Deinde syrupos illi concessi, & post tertium paroxysmum sanguinem in minori tamen quantitate extrahere iussi. rursus iulebos dedi, & post quartum paroxysmum infusum rhabar. cum aqua endiuiæ, adiecto syrupo ex infusione ros. pro purgatione exhibui: quo & multa biliosa per aluum deposuit. Deinde quinto paroxysm o cum valdè sitiret, auidissimè bibit ptisanam gelidam, quam concesseram: è cuius

potu vehementer sudauit ita vt sequenti paroxysmi die immunis à febre euaserit, ita vt hęc ipsa per sudorem soluta fuerit.

SCHOLIA.

QVOMODO *quis rectè febres continuas curabit multis exemplis ac ratione libro præcedente docuimus. Nunc verò ad febres intermittentes easq; putridas progrediendo, antequam ad curationes harum perueniamus, quædam hic præmittenda esse duximus. Habent autem easdem causas cum continuis, nisi quod in intermittentibus humor putrescat extra venas, in continuis intra venas, vt prius dictum est: quanquam nonnulli sunt (vt dicebat Alexander Trallianus) qui etiam febres intermittentes intra vasa consistere, quemadmodum & continentes arbitrentur, ac nihil prorsus loci, sed quantitatis & qualitatis ratione differre. Etenim in continuis & multam & crassam esse materiam existimare conuenit: atque ideo neque extra vasa emitti posse, intermittentium verò tenuiorem, & vt in extimam cutem efferatur magis idoneam. Porrò huiusmodi etiam in intermittentibus accidit, & materia extra vasa putrescit, vrinæ quoque testantur. Aëtius causam quoque adfert, cur non excidant extra vasa humores in continuis febribus, scilicet crassitudinem, multitudinem aut viscositatem. At Donatus pace illorum dicit ex mente Galeni, obstructionem meatuum & virium imbecillitatẽ subinde causam esse, quò minus vasa vitiatum et superuacuum humorem expellant. Alij verò non de loco solùm in quo constituuntur, & generatione quam febres habent, dissentiunt, sed etiam de materia ipsa, vnde procreantur. Nonnulli etenim in vniuersum febres ex bile incendi dixerunt, cum febris res quæpiam calida dicenda sit, & sicca, talis autem bilis quoque existit ad generandos huius-*

Lib. 12. cap. 2.

Continuæ febres, crassam & multam habent materiam.

Intermittentes humorem tenuem habent.

Aëtius cap. 74. lib. 5. par. 2. cap. 2. De Feb.

huiusmodi affectus accommodata. Alij verò ipsorum non bilem sed pituitam causantur, eò quòd hæc rursus ad putrescendum obturandúmque non parum est idonea, cùm humida sit & crassa. Sed & de humore melancholico nonnulli opinati sunt, nunquam ipsum febrem posse incendere, eò quòd frigidus ipse sit natura & siccus, nihilque habeat humidi, aut calidi, vnde putredines generentur. At omnes isti humores putrescunt & diuersas febres generãt, vt prius dictum est, intermittentes quidem, de quibus nunc sermo est: bilis extra venas putrescens tertianam intermittentem producit, ita pituita quotidianam, & humor melancholicus quartanam: quamuis Argenterius sentit febres intermittentes non in ambitu corporis, sed in vasis ipsis consistere, quod multis modis probat. Et ita varia opinio est medicorum, quæ sit sedes intermittentium in corpore, dum alij dicant quod sit simpliciter extra venas, alij in ambitu corporis. Nonnulli (vt Fernelius) sedem volunt esse & originem febrium intermittentiũ in prima corporis regione circum præcordia, vẽtriculum, diaphragma, iecoris caua, lienem, pancreas, omentum, aut mesenterium. Cui multis rationibus rursus resistebat insignis ille medicus professor Patauinus Capo de Vacca, cùm Auicennã De Febrib. legeret. Et quomodo humores in febribus intermittẽtibus perpetuò extra vasa contineatur ac putrescant latius si libet tirones perlegere poterãt Donatũ ab Altomari. Satis est nos hæc annotasse, & ideo ad tertianas intermittẽtes redeamus, quæ ex bile extra vasa putrescẽte gignũtur. harũ cognitionẽ atq. curationem exempla subsequentia perspicuè docebunt.

Cap. 7. in libello De Consultandi ratione.

De Medẽdis feb. par. 2. cap. 3.

OBSERVATIO II.

De febre tertiana intermittente exquisita.

ANNO millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, in principio mẽsis Iunij, cum tẽpus

valdè calidum esset, ac impensè circa ægros curandos ipse laborassem, vigilijs, curis, & solicitudine plus æquo occupatus, in tertianam veram & intermittentem lapsus sum. Solet enim tertiana in bilioso ribus natura corporibus euenire, vigenti ætate: sic ego satis macilentus & bilioſus, rarę texturæ, annorum triginta trium in hanc febrem incidebam. Adiuuabat & tempus æstiuum, & similis aëris constitutio, vita etiam laboribus, vigiliis, curis, intensis cogitationibus dedita. Talia enim corpora ad hanc febrem magis exposita sunt, quemadmodum & illa quæ siccis regionibus & calidis inhabitant, solisque feruoribus, cibis potionibusque calidis siccisque subiecta sunt. Statim itaque ab ipso principio rigorem sentiebam, postea etiam in singulis accessionibus ac si rigor ille carnem punxisset & vulnerasset: pulsuum exactus erat ordo & æqualitas. qui tamen pulsus ad vehementiam, & magnitudinem atque frequentiam excitabatur, in vigore hæc febris sitim inuehebat, calorem adeò vehementem vt exuri me existimarem; vestesque abiicere coactus fuerim, & frequentem spirationem exufflationemque, veluti flammam sentiens, frigidam potandam flagitabam: à potu tamen vt ptisana eaque frigida abstinui, donec vapor erumperet. Tam grauis hæc febris erat, vt in vnoquoq. paroxysmo statu accedente, delirarem. Ex prima accessione percepi tertianam esse, ex signis supradictis. Ideo in paroxysmi principio & augmento à somno & potu abstinebam. Die verò sequenti intermissionis post primum paroxysmum ter in die ex iulebo sequenti sumpsi. ℞ acetosæ end. lichoreæ, viol. lactucæ scariolæ ana m. j. prunor. damas. num. xv. coquantur in sero lactis pro ℥ ix. colaturę addendo sy. viol. ex

multi-

multiplici infus. ros. sy. de end. ana ℥ j. misce. fiat iuleb. ex quo etiam aluus nonnihil soluebatur. Cibus erat panata, vel pomum acidum coctum. Potus ceruisia tenuis tempore intermissionis, tempore febris ptisana ex hordeo mundato & liquiritia parata. Post secundum paroxysmum, die quietis hac leniente medicina vsus sum. ℞ florum nimpheæ viol. borag. ana p. j. prun. damasc. num. xiij. thamarind. ℥ ß. coquantur in sero lactis & in ℥ iij. ß. colaturæ dissolui diaprunis simplicis, cassiæ recens tractæ, syrupi viol. ana ℥ ß. misce. & inde habui sex sedes valdè copiosas ac biliosas. Postea tertius rediit paroxysmus adeò violentus vt in statu delirarem. Die verò subsequente, nempe quieto, cum vrina aliquo modo tincta spectaretur & crassior, ex vena basilica brachij dextri, vt vnciæ quatuor sanguinis mihi extraherentur à chirurgo accito mandaui, cum venas paulò ampliores haberem & aliquo modo sanguine repletas, sed adeò inde debilitabar vt ex pauca illa sanguinis detractione quasi syncopem futuram præsentirem, nisi chirurgo imperassem vt venam ilicò cõstringeret. at modico vino Rhenano sumpto deliquium animi intercipiebam, vt non fuerim collapsus & syncopem passus. Alteratio tamen illa adeò profuit vt postea non amplius paroxysmum habuerim, ita vt probè obseruata victus ratione, tertio paroxysmo, vti vera & exactè legitimâ tertiana intermittens soluta fuerit.

SCHOLIA.

HOC exemplum febris tertianæ intermittentis exquisitæ probè curatæ, in me ipso relinquere nolui. Est autem hic intelligendum, febres intermittentes simplices exquisitas dici posse, quoad sensum: licet secundum rei naturam

Quot modis febres intermittentes simplices exquisitæ dici possint.

turam fortè neque hæ simplices omnino consistere queunt. Sed simplices esse fatemur eas cùm nullus alius humor qui sensu iudicari posset cum eo qui febrem generat est permixtus. atque ita asserimus exquisitam tertianam, quartanam, quotidianam existere, cum flaua aut atra bilis seu pituita sola putrescens per sentientes corporis partes vehementer mouetur. quod si bilis vel alius humor in vnaquaque dominetur, tunc notha dici potest, non composita sed simplex, licet non exquisita: & secundum hanc rationem nulla continua exquisita simplex dici potest, cum saltem redundans humor nunquam à sanguine secerni possit: interim vna magis hoc modò exquisita erit vel ab ea declinabit, impropriè tamen, prout cum aliis humoribus commisceatur, at propriè intermittentes dicuntur vel legitimæ vel nothæ. Si tertiana intermittens exquisita omnia illa habeat quæ à Galeno 2. De Diff. febrium describuntur, non exquisita erit, si aliquid horum defecerit, vel erit tertiana simpliciter dicta vel extensa vel magis vel plurimum extensa. Erit itaque tertiana intermittens exquisita quæ à syncera bile fit extra venas putrescente. & hæc ipsa rursus duplex exactè exquisita, quæ pendet à flaua bilè & in tanta copia vt 12. horas paroxysmus non excedat. Non exactè exquisita licet fiat à bile syncera, attamen cum conditionibus, quòd fiat in hyeme & non in æstate, in parua copia vt non excedat 12. horas. Si parum recedat hæc ipsa copia bilis, secundum Galenum erit tertiana simpliciter dicta; si plurimum erit tertiana protensa. Tertiana igitur hæc qua ego laborabam erat tertiana intermittens exactè exquisita, tres paroxysmos tantùm habens, non excedens 12. horas. fiunt igitur tertianæ puræ seu legitimæ vel exquisitæ à flaua bile putrefacta ac mota & extra vasa lata, præsertim in consistentium ætate biliosissima, tempore æstiuo, in regione calida & sicca, & in iis præcipuè, qui laboribus, vigiliis & solis ardore & cibis ca-

Tertiana exquisita intermittens alia exactè alia nõ exactè exquisita.

Causæ febris tertianæ puræ.

bis calidis & siccis, aut immodico potu pharmacorum calidorum & exciccantium, curis, & similibus vsi fuerunt. Curæ equidem & sollicitudines tum labores continui, & cogitationes frequentes, licet non sit regio adeò calida & sicca, hanc febrem in bilioſis frequenter inducunt, & in hanc tales valdè procliues sunt, vt illustrissimus Dominus princeps Auraicus, qui leni causa in febrem tertianam satis exquisitam incidere solebat, quem alias Dordraci ea laborantem, tum etiam Gheertrudebergis iulebis assumptis, venæ sectione, & infuso rhabarbari rectè curauimus. Vide alios locos consentientes de causis febris tertianæ apud Gal. 2. De Diff. feb. cap. 3. & 1. cap. eiusdem libri: & Aëtium. ser. 5. cap. 79. Et apud Gal. 2. De Cris. cap. 3. & Oribasium aph. 4. comment. 59. & Auicen. 4. can. cap. 35. & apud Gal. aph. 4. comment. 59.

OBSERVATIO III.

De febre tertiana intermittente exactè pura post tertium paroxysmum finiente.

GVILHELMVS Sonneueldius, vir ditissimus & cognatus meus, cum Alcmariæ anno 1556. 27. die Octobris in febrem tertianam intermittentem incidisset; huic statim syrupum subsequentem exhibui. ℞ oxizach. simplicis, syru. acetosi simplicis, syr. de cichor. Nicoli cum rhab. ana ʒ j. Aquar. fumarię, cichorei, bugloſſę ana ʒ ij. misce pro ij. vicibus. oxizach.

Die sequenti quietis lenitiuum propinaui in hunc modum. ℞ Cassiæ recens ex cannis tractæ ʒ j. aqu. cicho. borag. end. ana ʒ j. sy. acetosi simplicis ʒ ß. misce. sumebat manè hora vij, & quinquies aluum deposuit. Post tertium paroxysmum die intermissionis, vena secta fuit basilica, sanguine ad vncias quin-

que emanante, in manu dextra. Nam in brachio aliàs nocte fascia per se soluta fuerat, sanguine largius profuso, illo dormiente vt penè mortuus fuerat, ideo autem in brachio minus admittebat. Post venę sectionem febris illum reliquit.

SCHOLIA.

QVAMVIS in autumno hunc febris corripuerit tertiana intermittens, ea ipsa erat satis pura, vt ex signis apud Galenum descriptis deprehendimus, & primò desumptis ab actionibus læsis & sensibilibus communibus, huic vigiliæ insignes aderant: à vitalibus pulsus magnus frequentissimus & celerrimus: ab excrementis deiectiones alui biliosæ, cui facillimè aluus mouebatur per cassiam: apparebant deinde sudores & vomitus bilioſi, vrinæ tenues & subrufæ, postea etiam tinctæ & crassæ: cúmque sectione venæ assuetus esset, ea ita profuit vt non amplius febricitauerit. Tertio verò cognouimus ex accidẽtibus intrinsecis & subsequentibus hanc tertianam esse satis puram ex rigore, qui aderat in principio & augmento, cúmque in statu esset calor multus vehemens atque acris, in fine solutio per sudorem, toto tempore sitis vehemens eum vrgebat tum dolor capitis insignis, vnà cum corporis ariditate: A consequentibus, vtcumque bilioſus erat. Ab extrinsecis accidentibus, præcesserant exercitationes, venationes, corporis tum animi labor. Augebant febrem, cùm & populariter eo tempore, vt obseruatione sequenti dicemus, tertianæ intermittentes grassabantur: erátque hæc satis pura cum tertio periodo terminaretur. Repentè hæc febris prehendit aliquem insigni rigore; quo plerumque corpus omne concutitur, sub cuius finem excussa bilis sæpe vomitione redditur. Hinc calor breui accenditur & in omne corpus effunditur, mox ad vigorem festinans acer pungens & iniectam manum acriter fe-

Signa tertianæ intermittentis legitimæ.

ter feriens, sed statim mitescens. Laborans ita exuritur, vt & corpus nudet, & variè iactet, & spirandi difficultate oppressus, magnum multum spiritum ducat, sitique enectus frigidum expetat, vigiliis, capitis dolore, & ira furoréque percitus. Longissima accessio horarum est 12. interdum septem horarum, multo quidem sudore eóque calido & vaporoso inclinans, quam pura sequitur intermissio. Pulsus accessionis initio contractus, paruus; postea verò quàm in ceteris celerior, atque crebrior quòd refrigerij maior insit necessitas: vehemens & validus, sed aliquantum durus ob arteriæ siccitatem, minimum inæqualis ob tenuitatem materiæ cuius est facilis inflammatio, ob id etiam quod non minor sit refrigerij ex diastole, quàm expellendorum putridorum vaporum ex systole necessitas. Vrina flaua aut flammea substantiæ mediocris, & odore grauis, aut subrufa, rufa mediocri substantia, aut (vt Arabes referunt) rubra tenui substantia, ignea, parte quidem inferiori subtilior, superiore vmbrosa atque nebulosa. Atque hæc pura quidem & exquisita tertiana, quam censuit Hippocrates septem circuitibus quod longissimum est terminari. Est itaque febris tertiana exquisita à flaua bile pura & tenui orta, de tertio in tertium ægrum affligens, secundum naturam humoris propriam, quæ in septem periodis vel antè iudicatur, per sensibiles corporis partes delata, vt Galenus refert, secundo De Diff. feb. cap. 3. cum rigore inuadens atque ardentis febris similitudinem gerens, & bilis vomitibus, aut deiectionibus, aut sudoribus: vel ex horum quibusdam, vel omnibus soluitur, cuius accessio duodecim ad summum horarum æquinoctialium spacio finitur, vt apud Hippocratem lib 4. aph. 59. legitur septenis circuitibus iudicari. Signa huius febris quæ ab Auicenna referũtur, passim desumpsit ex Gal. præcipue verò ex lib. 1.

ad Glauconem & 2. De Sympt. causis & 5. & 2. De Diff. feb. cap. 1. 3. 4. quibus addere posses quæ Gal. 4. lib. apho. 59. in Comment. commemorat. Et non satis est quod hanc febrem cognoscamus, quòd de tertia in tertiam diem fiat, quod & mulierculæ sciunt, sed ex prima inuasione, quæ cum rigore fit & ex alijs signis ea ipsa à nobis discernenda est, vt à plebeis & vulgaribus medicis differamus. quæ, inquam, exemplis subsequentibus multò clariora euadent.

OBSERVATIO IIII.

De tertiana intermittente non exactè pura, tamen legitima, septem circuitibus terminante.

CVM in æstate anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto febres tertianę intermittẽtes ſimplices, atq. exquiſitę, nõnullæ protẽſæ ac nothę ſimiliter & ſemitertianę & aliquę duplices tertianę populariter graſſarẽtur, ita vt in monaſterio Heylo, prope Alcmariã ſito, vix aliquis monachus ab eiuſmodi febribus dictis immunis fuerit. Omnes tamen, quibus hoc tempore inſeruiebã noſtra induſtria ac diligentia cũ ope diuina euaſere, quemadmodũ & Leonardus monachus regularis laicus, iuuenis annorum triginta, procerus, pallidus, raræ conſtitutionis, qui octauo Auguſti die in febrem tertianam intermittentem ſatis puram incidit: nam quatuor præcipua ſigna aderant quibus tertiana exquiſita à ſpuria differt: primum quòd huius acceſſio non tranſcendebat 12. horas. Secundùm quòd incipiebat cum rigore breui & intenſo, & terminabatur cum ſudore exuberante. Tertiũ, in ſeptenis circuitibus terminabatur.

Quar-

Quartum, quia ſtatim ab initio etiam quarta adfuit in vrina ſignum optimæ concoctionis, quod in ſpuria nequaquam fieri ſolet. Aderant & alia ſigna de quibus in Scholio latius dicemus. Huic igitur cùm aluus ſponte non deiiceretur, lenientem bolum exhibui. ℞ caſſię recèns extractę ℥ j. cum exiguo zaccharo cand. fiat bolus, quem ſecundo die quietis deuorauit & aluus ſatis ſoluta eſt. poſt ſecundum paroxyſmum die intermiſſionis venam baſilicam ſeu iecorariam in brachio dextro ſecare iuſſi, cum aliàs conſuetus erat ſanguinem mittere quotannis, quod nunc omiſerat. Paucum tamen ſanguinem extrahere fecimus. & benè profuit. ſtatim à ſanguinis detractione hunc ſyrupum ebibit. ℞ ſyrupi acetoſi ſimplicis de cicho. nicoli cum rhab. ana ℥ j. ſyrupi de end. ſimplicis oxizach ſimplicis ana ℥ ß. Aquar. end. cichor. bugloſſæ ana ℥ ij. miſce. manè ſumpſit dimidium poſt venæ ſectionem, reliquum hora quarta pomeridiana. Quarto deinde paroxyſmo, cùm quotidie ſponte aluus deponeretur, ac multa excrementa biliosa per ſe redderet, non ſolùm vrina cocta ſed craſſior facta eſt. Ideo in declinatione poſt quartum paroxyſmum ad ſudorem magis eliciendum hunc ſyrupum ſequentem propinaui. ℞ decoct. hordei cum liquir. ℥ iiij. ſy. acetoſi ℥ j. ß. miſce. calidè ſumpſit. & poſtea egregiè ſudauit tam in quinto quàm in ſexto & ſeptimo paroxyſmo, ita vt ſeptenis circuitibus febris in totum ſoluta fuerit. In fine tamẽ vẽtriculum roborauimus vnctione olei ſequentis. ℞ olei maſtichini roſ. ana ℥ ß. miſce. Victus huic (vti aliis monachis febricitantibus) refrigerans & humectans paulo minus, qualis in febribus ardentibus & continuis tertianis deſcriptus eſt.

SCHO-

SCHOLIA.

Signa tertianæ legitimæ seu puræ.

SEX sunt præcipua signa tertianæ intermittentis legitimæ seu puræ. Atque primum est, quod cum valido rigore incipit, non ex quolibet, sed ex vehementi ac pungenti carnémque feriente, vt dicebat Galenus: cum enim hæc febris pendeat à materia calida & tenui, statim in prima accessione fiunt rigores vehementes cum sensu punctionis, ac si ægrotantis corpus acu pungeretur. In quotidianis rigor non antecedit neque statim ab initio, neque in progressu, sed solùm frigefactio, aut fortè exiguus quidam rigor. Quartanæ autem nõ primò statim die cum rigore inuadunt vehementi: nam prograediente ipsa atque aucta, vnà etiam rigor augetur, sensúsque ægrotantibus adest, non quasi pungantur, sed potius refrigerentur: vt in sequentibus patebit. Quia verò cum rigore inuadit atque in febricitationem desinit, differt quoque ab exquisita febre ardente, quæ omnia alia seruat exquisitæ tertianæ indicia, præter hæc vt patet 2. de casibus cap. 6. Secundum signum capitur à pulsu, cuius inæqualitas in principio accessionis non adeò manifesta est, sùntque hoc tempore pulsus debiles, tardi ac rari, non tamen adeò vt in quartanis. In ascensu seu incremento accessionis magni ac calidi, vehementes, veloces atque frequentes sunt. Tertium sumitur signum ex caloris qualitate; calor enim multus & acris in hac sentitur, æstus & deustio veluti quidam feruor, vt æger exuri videatur, vt prius dictum est ex Aëtio, & vestitum seu operimentum abiiciat, magnúmque ac densum spiritum trahens, & velut flammam quandam efflet & frigidam bibere expetat, & paulo pòst in vigore consistit, calórque æqualiter quaq. versus extenditur, nihilóque plus thorax extremitatibus calet, & si manum imposueris, in primo occursu quidem multus

Ex rigoris specie.

A pulsu.

Ex caloris qualitate.

atque

atque acris erit, vt diximus, quique veluti quodam cum vapore efferatur, paulo pòst verò à manu superatur, non vti in febribus malis adurentibus accidit. Contrà enim illæ grauiores ac molestiores, quantò diutius perdurant, apparent, quòd tempus sanè bibendi adest ægrotanti, & statim post potum plurimus vapor calens per cutem exhalat sudoris nuncius: bilisque superuenit vomitus, venter soluitur & bilioſum mingunt. Quod igitur ad qualitatem mutatam ex sententia Galeni & Auicennæ, hæc indicatur ex calore copioso & acri, ad differentiam caloris qui obseruatur in febre sanguinea. Admonebat autem Auicenna circa acrimoniam caloris huius, vt distingueretur hæc febris à febre ardente: nam in ardente calor est copiosus acer & mordax: similiter etiam in hac proposita febre. Differentia autem est, quia si aliquantisper manum detineas, obseruabis calorem copiosum & mordacem, qui tamen cedet & non ita resistet, si fuerit febris intermittens: si fuerit febris ardens, erit copiosus mordax & minimè manui cedet. quia feruor est in venis: & ita calor huius febris est suauior causonis calore ac minus mordens, æqualis tamen quoquò versus: quia primo acris videtur, sed paulo pòst à manu remanente vincitur. Quartum à sudore, qui per totũ corpus apparet in paroxysmi recessu: cui signo alij addunt & vrinam quæ fit rubea ac veluti ignea. Si verò æger minxerit, vrina subrufa vel subflaua & crassitudine mediocris apparebit, ac paulo pòst vel albam nebulã, vel suspensionem optimã habebit. quinimo exhac vrina noueris, nedum exquisitam esse tertiaam, sed etiam quod vltra quartum circuitum non progredietur: rufiore verò existente vrina, neq. suspensione aliqua, neque nebula in primo circuitu apparente, ad septem circuitus extendetur. Inter omnes autem exquisitas tertianas illa erit simplicissima, quæ cum omnia illa nuper à me dicta signa commonstrauerit, in vrinis etiam subsidentiã & lenem &

A sudore.

Ab vrina.

aqua-

æqualē ſtatū primo fecerit die: neq. enim hæc vltra tertiū progredietur circuitū, vt inquit, Gal. 2. De Criſ. cap. 6. Incipit etiā his ſudor vaporoſus ac calidus, quēadmodū in balneis, totū verò ipſis corpus æqualiter ſudat. Quintū ſignū ex tēpore acceßionis tum ex cœli cōſtitutione colligitur. Vniuerſum tempus acceßionis vltra duodecim horas, vt diximus, non extenditur: nam hoc tempus in veris legitimis atque exquiſitis tertianis longiſſimum eſt. Sæpius autem ſeptem horas acceßio continet, nonnunquam citius, aut tardius, ſed non multò finitur; prout multa vel pauca, craſſa vel tenuis fuerit bilis. Ipſius verò generatio (vt prius dictum eſt ex Galeno) tempeſtatem aridam & calentem requirit, & vt ſummatim dicam, æſtiuam, iuuenilem ſeu cōſiſtentem ætatem, & naturam bilioſam, quæ in laboribus, vigiliis, curis, & inædiis exſtiterit ſolis incēdiis, & etiam ciborum parcitate, præſertim calidorum atque ſiccorum: præterea medicaminum calefacientium immodicus vſus, febres tertianas faciliter affert: ſimiliter & mœrores, & intenſæ cogitationes. Quod ſi multos alios eodem tempore laborantes contigerit tertianis corripi febribus: hoc quoque maximum præter ea quæ diximus ſignum erit, quod etiam hoc tempore eueniebat, cum non ſolùm monachi in hoc monaſterio, ſed alij quamplurimi tertianis febribus corripiebantur. Sextum ſignum ab ipſis ſymptomatibus ſumitur, vnde ſitis quæ hominem exurit, & vigiliæ adſunt: ſitis autem quod talis eſt humor calidus & ſiccus, vnde ſine ſua ſubſtantia corpulenta, ſiue etiam vaporoſa petit orificium ſupernū ventriculi, ac ita ſolet inducere ſitim. Dolor capitis adeſt, ſine tamen grauitate, vigiliæ, ſubinde & deliria, & paraphreneſis: quæ omnia ſymptomata originē habēt ab ipſa bile: at bilioſi vapores ſurſum ad caput elati, ſi membranas externas vel internas capitis feriant, dolores capitis oboriuntur: ſi cerebri ſubſtantiam infeſtant calfaciendo & exiccan-

Ex tempore acceſſionis.

Ex cœli conſtitutione.

A Symptomatibus.

exiccando cerebrum, vigiliæ excitantur. At si vapores permisceantur cum spiritibus animalibus, deliria fiunt. Huc pertinent & deiectiones biliosæ, sicuti & vomitus bilioſi, qui in hac febre plerumque etiam apparent. Alij verò ex mente Galeni etiam his addunt signum ex pulsu, qui reperitur tempore primæ intermißionis. Si verò inter hæc à febre quieuerit homo, hac, inquam, quæ in suo motu est & omnibus nota, propria verò febrium inæqualitas in arteriarum motu relinquatur, tunc certißimè poteris enunciare febrem esse tertianam, æquè ac si tertio die acceßionem feciſſe vidiſſes, vt liquet 1. De Art. curat. ad Glauc. cap. 5. cum in nulla alia febre arteriarum motus ad naturalem habitum reuertatur, etiam si multum temporis inter primæ acceßionis finem & secundæ principium intercidat, præterquam in diariis: semper enim febris remanet signum, in ephemeris autem in totum aboletur acceßione ceßante, vt eodem lib. scriptum est cap. 2. Tempus autem intermißionis in hac febre, nullum habet humoris putrescentis ex pulsu perceptibile indicium in die aut nocte quæ consequitur acceßionem, cum verò parumper succenditur, vix agnosci potest in primis diei aut noctis subinde sequentis partibus, manifestius autem iam circa finẽ eiusdem diei vel noctis: adhuc verò manifestius proxima quæ antecedit (videlicet acceßionis diẽ vel noctem) in illa verò iam signũ euidentius apparet, ac multo etiam magis acceßione incipiente atque adhuc plus iam inualescente febre: cùm verò iam consistit minus quàm cum augebatur, multo verò minus vbi iam declinat eodem Gal. teste 2. De Diff. feb. cap. 3. Est verò in febribus putrescentis humoris ex pulsu indicium proprium atque perpetuum, vt arteriæ contractio efficiatur celerior quàm distensio, vt 3. De Præsagit. ex puls. cap. 7. scriptum est. Ex his itaque indiciis (vt etiam Donatus annotauit ex mente Gal.) quocumque tempore ad ægrum accedes, exquisitam tertianam dignoscere poterit: ex propriis siquidem

Ex pulsu, qui reperitur tẽpore primę intermißionis.

De Medendis feb. par. 3. cap.

siquidem eiusdem temporis signis, vt principij, incrementi, vigoris, inclinationis, & intermissionis simul cum reliquis, propriis siquidem, ipsius tertianæ ac communibus singulis temporibus eius complicatis.

OBSERVATIO V.

De febre tertiana intermittente legitima in monacho admodum sene.

IOSEPHVS monachus regularis in eodem monasterio anno 1556. in fine æstatis, vir annorum sexaginta, in tertianam febrem intermittentem quoque incidit, cum vomitu bilioso, & deiectionibus vtcunque biliosis. Huic cum aluus satis flueret per se, & vrina ignea esset, neque crassa aut valdè rubra, à sectione venæ abstinuimus, sed epoto syrupo sequenti & victu conuenienti vsus, cum per se biliosa euomeret, & aluum lubricum satis haberet, quinto paroxysmo febris desiit. Talis erit syrupus. ℞ syr. de cich. cum rhab. syru. de endiuia ana ℥ j. oxizach simplicis, syr. de limonibus ana ℥ ß. Aquæ end. buglossæ, bethonicæ (ob insignem dolorē capitis quem habebat) ana ℥ ij. misce pro duabus dosibus, quibus sanus factus est, vt aliis remediis vti non fuerit opus.

SCHOLIA.

Vide Historiam senis biliosi laborantis pura tertiana apud Trallianum lib. 12. cap. 6.

POTEST *autem senex similiter tertiana infestari, quæ omnem tertianæ germanæ speciem, omnémque modum conseruet. Quod & Trallianus Græcus ille medicus præclarus confirmauit his verbis. Ego sanè meis oculis hæc in sene quodam conspexi qui flauam bilem vomeret, similitérque per aluum excerneret, vehementer febricitaret: atque idcirco accessio cum valido rigore eum inuadebat, ac decli-*

declinatio multis sudoribus accidebat: detinebatur autem accessione horis ferè decem, aut duodecim. Huius alij sanè familiares, eò quòd senex esset, decoctum ei bibere præcipiebant, ac omnia illa facere, quæ falsis tertianis, vt aiunt, idonea existunt: ferèque interiisset æger decoctis ex hyssopo, origano & pulegio assumptis, nisi quis subitò ex periculo ipsum subtraxisset, iubens eum etiam pepones assumere, & lactucas, & ptisanam: quæ nihil curiosum habent operosúmque, ac omnem alium victum qui humectaret ac refrigeraret, vt in tertiana exquisita non deceptus ætate quòd senex esset, sed potius toto temperamento. Habuerat enim iam inde ab initio igneam intemperiem, quam alij propemodum omnes postea ad amussim conseruabunt. Quare naturam ægri, & causas præcedentes maximè attendere oportet: nihil autem minus, imò etiam bonam maximè febris speciem. Hactenus Trallianus. Hic noster monachus senex similiter temperatura biliosus, in æstate eo tempore quo grassabantur tertianæ populariter, tertiana legitima intermittente correptus est. Et sicut senex biliosus puram hãc febrem incurrere posset, ita & pituitosi si bilem coaceruent eadem corripi possent: vt exemplum sequens declarabit.

Obseruatio VI.

De febre intermittente tertiana satis exquisita quinto paroxysmo terminante.

Iodoca Splintera vidua admodum proba, vxoris meæ cognata, anno 1573. Martio mense & eius filia Beatrix nomine cùm cõquererẽtur de ventriculi imbecillitate, electuarium specier. arom. rosati cum musto ex medici præscripto sumpserant, vnde orto prius morbo vterino, mox in febrem tertianam satis exquisitam inciderunt. Mater verò anno-

rum quadraginta octo, satis obesa, nequaquam bilioſa, ſed pituitoſa, hac febre correpta, ingenti dolore capitis afficiebatur, vigilabat, & in vigore paroxyſmi delirabat, qui vltra 12. horas nō extendebatur, bile ſupra modum exundante, licet tempus vernum frigidū eſſet, ita vt cum tuſſi phlegmata quoq. nonnulla expectoraret. Huic Iulebos propinaui. deinde cum facilis eſſet ſolutionis cum ſecundo paroxyſmo ad eam accitus eſſem, die ſubſequenti nempe interminſionis, duo cochlearia ſyrupi ex ſucco roſ. ſolutiui exhibui, ex quo octies multa bilioſa excreuit & paroxyſmo tertio ſub ſequenti plurima bilioſa euomuit. Die verò quietis, cum vrina plurimū tincta foret & paulò craſſiori quę licet erat pituitoſa temperatura interim & ſanguinea cum facie rubicundiore, ſanguinem ex vena baſilica in brachio dextro tempore verno detrahere iuſſimus ad vncias ferè ſex. & optimè tulit, ita vt ſubſequētes paroxyſmi leuiores facti fuerint, in quibus quoque vomitum bilioſum habuit, & in declinatione cū copioſè ſudaſſet, quinto paroxyſmo à febre in totū liberata fuit. At filię annorū viginti nouē natę, macilentę ac magis bilioſę, cùm lotium minus tinctum ac craſſum eſſet, vena ſecta non fuit; ſed adhibito, iulebo deinde rhabar. infuſo ac ſene, hęc ipſa quoq. poſt quintum paroxyſmū ſana euaſit.

SCHOLIA.

Præſagia exquiſitæ tertianæ.

QVOD *ad præſagia attinet, exquiſita tertiana teſte Gal. 1. Ad Glau. cap. 8. ſeptem circuitibus iudicatur, & præter id minimè periculoſa eſt. Septimus enim circuitus eſt 14. dies quo alij morbi acuti finiuntur, quemadmodum videre licet aph. 4. comment. 59. Eſt inter intermittentes breuiſſima, ſed tutiſſima, quamuis vehemētiſſima ob bilem quæ ſymptomata vehementiora inducit, tamen ſine pe-*

ne periculo: nã ego intra quadraginta annos, quòd praxim exercuerim; nõ vidi aliquem ex tertiana obiisse, modò non mutaretur in continuam: vti euenit Delphis seni septuagenario Nicolao Traiectensi; quamquam Arnoldus Cobelius Quæstor Hollandiæ ex tertiana obierit, non quidem incuria medicorum, cum exercitatissimi medici eundem tractarent. Si tamen mutetur in alias febres mortem inferre potest. Licet tertiana quidem facilis curatu sit. cum autem à medicis illis, qui nulla ratione & via vtuntur (vt dicebat Trallianus) malè tractatur, non difficilis modò curatu, sed etiam insanabilis interdum redditur: quod etiam exemplo à Galeno confirmatur 1. ad Glau. cap. 9. de eo qui corrupto iudicio calidis balneis vsus, extenuato corporis habitu, deinde ad tantam peruenit perniciem vt tabe consumptus interierit. Primus autem periodus huius febris debilis est: secundus, fortior; tertius adhuc vehementior; quartus verò omnium vehementissimus, & ibi status ac sæuissima accidentia: quintus incipit debilitari; sextus plus; septimus autem modicus aut nullus, nisi error incidat ex parte medici, vel infirmi In principio, vt dictum est, prius accidit vomitus, & in fine accessionis sudor, & in statu adsunt terribilia accidentia: ideo vt melius futuris periculis obuiam fiat, ac honor medici cõseruetur, bonum erit, periculum prædicere. Quamobrem si medicus post tertium diem prius vocetur, sectionémque venæ peragendam esse iusserit, aut syrupum vel aliud quippiam administraturus, in quarto grauiora symptomata euentura non prædixerit, assistentes tum mulierculæ medicum incusabunt ægrum venæ sectione aut aliis remediis occidisse, atq. eundẽ medicũ pro imperito habebunt; cum post adhibita remedia, tam sæua contingant symptomata. Et ita medicus alioqui negligens in prædictione, ignominiam tum calumniam incurret. Contrarium euenier, si instantia accidentia prædixerit, & quod æquè bene

Lib. 3. cap. 6.

ſanabitur æger, vulgaribus eo tempore ægrum habentibus pro deplorato, non ſolùm medico quid ſiniſtri ab eo factum eſſe non imputabitur, verùm apud omnes commendabitur. Hinc præſtantiſsimi quique medici etiam rectè ac diligenter admonent pro generali canone, Ne quid in arte operemur niſi prius prognoſticum in medium attulerimus: ex hoc enim honor medico, vt primo Prognoſticorum habetur, accedet. Rhaſes autem in diuiſionibus de hac febre dixit, quod ſtatus huius febris eſt in quarto paroxyſmo & frequenter eo finitur, & non tranſit ſeptimum. Refert Haly, ſi in tertianariis vlcera in labiis ac in naribus fiant, finis febris ſignificatur. Prolixitatem autem vel breuitatem ex accidentium leuitate vel ſæuitia coniicies in paroxyſmis. Si quinta acceſsio minor, & ſudor copioſior cæteris paribus, citius terminabitur febris: nam & ſudore copioſo & fluxu ventris ſpõtaneo vel vomitu in vno paroxyſmo finitur ſæpe: Si in ſecundo accidentia fortiora tertio paroxyſmo terminatur, vel etiã in tertio vehemẽtiora ægrũ relinquit, vt mihi ipſi euenit, quemadmodũ in Obſ. 2. huius libri diximus. Si in quarto grauiora apparent, 5. vel ſeptimo paroxyſmo terminatur. Prout in vrina nebula pendẽs ſtatim appareat, ſeptimo vel ante ſeptimum finietur, vt in Scholio Obſer. 4. huius libri oſtenſum eſt, cuius etiam meminit Aëtius lib. 5. cap. 79. Si nebula primo die in vrina, non pertranſibit tertium diem; ſi in ſecundo, quintum non excedet; in tertio, in quinto eradicabitur. Si vehementer citrina, neque in primo nubecula natans aut pendens, vſque ad ſeptimum prolongabitur. Et quamuis hæc febris habeat quidem vehementia accidentia, ea ipſa tamen, vt dictum eſt, non eſt periculoſa, & propterea non nominatur inter febres acutas, licet 7. periodo vel 14. die terminatur. finitur plerumque hæc febris teſte Gal. 3. De Criſ. cap. 4. vomitibus & excrementis bilioſis & ſudoribus per totum corpus fluentibus

Rhaſes.

Haly 7. 1. Theori.

bus, cùm sit humor tenuissimus: si modò ascendit, vomitum irritat: si descendit, aluum mouet: si ad meatus cutis, sudorem copiosum ob sui tenuitatem elicit. Galenus 2. De Diff. feb. cap. 3. quatuor causas breuitatis enumerat, quæ sunt humoris: quantitas, qualitas, laborantis vigor, & corporis dispositio: vt exempli gratia, si cum pauca quantitate humoris, & tenui eius qualitate vigor cum rara dispositione corporis maior fuerit, tunc morbus seu febris erit breuis: sed si multa bilis, crassa, vigoris imbecillitas & densa simul corporis dispositio, tunc erit morbus valdè longus.

OBSERVATIO VII.

De tertiana intermittente, septimo circuitu finiente.

FLORENTIVS Teylingius sororius meus, vir annorum quadraginta quinq. 28. die Septemb. anno 1556. cum populariter tertianæ grassabantur (vt dictum est prius) in tertianam intermittentem incidit satis puram: cuius accessio vix erat horarum vndecim. Habet enim tertiana legitima accessiones longissimas horarum 11. vel 12. vt prius quoque ostensum est; breuissimas verò quatuor, aut sex. Hic verò ante septimanam, antequam febre corriperetur suomet consilio ac proprio instinctu chirurgum ad se vocauerat, qui illi venam secuit, putans hoc modo à febre passim eo tempore homines corripiente præseruari posse; licet post octo demum dies à sanguinis detractione in febrem hanc tertianam inciderit valdè biliosam. Cum igitur venæ sectio prægressa esset in febricitante, nunc sanguinem iterum demittere nobis inutile videbatur. Sed hunc syrupum ilicò propinauimus, ℞ syrupi acetosi simplicis, oxizach. sim-

plicis sy. de cichor. nicoli cum rhab. ana ℥ ß. aquar. acetos. borag. bugloss. ana ℥ j. misce. interim pro alteratione & siti vehementiori sumebat cochlear vnum ex mixtura sequenti. ℞. oxizach. simplicis, sy. acetosi symplicis syrupi nimpheæ ana ℥ j. ß. postea & hunc syrupum ebibit. ℞ oxizach. simplicis sy. acetosi simplicis, syrupi de end. ana ℥ ß. aquæ cichor. betonicæ fumariæ ana ℥ j. misce. bibebat syrupos tẽpore quietis; pro siti verò in febre, ptisanam. & quia dolore capitis tenebatur vnguento populæo, pauco vnguento alabastrino admixto, frontem illinebat. Lotium tinctũ erat, in principio crudum, postea crassius euasit; ita vt tunc leni subsequenti purgatione vteremur. ℞ Cassiæ recens ex cannis tractæ ℥ ß. diaprunis simplicis ʒ iij. ß. diacatholici ʒ j. ß. (erat enim facilis solutionis) cum aqua casei soluta fiebat haustus: quem cùm cepisset die quietis, post quintum paroxysmum, septies plurima biliosa liquida excreuit, ita vt sextus paroxysmus multo mitior fuerit & septimo circuitu curatus. Post purgationem interea vtebatur ad calorem febrilem extinguendam, ad alterationem, corroborationem electuario in tabulis sequente. ℞ spec. diadra. frigidi ʒ j. spec. diarod. abb. ʒ ß. dissol. in aqua cichor. adiect. ℥ ij. & ʒ ij. zach. abbis. fiat electuar. in tabulis. Post febrem solutam adhuc remansit sitis & quædam appetentia, pro quo symptomate corrigẽdo subinde sumebat ex cõdito subsequenti. ℞ rob. de ribes ℥ j. ß. cõseruæ viol. ros. ana ʒ ij. sp. in tabulis diarod. abb. triasan. ana ʒ ij. ß. sy. de ribes, oxizach. simp. ana ℥ ß. misce. & fiat cõditum, quo restauratus & appetitu redeunte ex malis citreis in taleolas incisis cortice exteriori ablata, aqua ros. & zach. aspe. sumptisq. sitiq. cessante, optimè deinde se habuit.

SCHO-

SCHOLIA.

ERANT autem æstate præcedente illo tempore tertianæ plurimæ, quæ quasi per contagionem integras familias inuadebant: erántque nonnullæ hæmitritæi quoque seu semitertianæ, sed magis simplices tertianæ, quarũ nonnullæ in erraticas transmutabantur, præcipuè nothæ tertianæ; & tandem in quartanas, autumno nunc accedente: Æstate erãt salubriores, deinde verò in autumno, & adhuc magis sub hyemem pernicioſæ potissimum hæmitritæi: quod etiam ex cometæ apparitione à me in Prognostico meo edito prædictum fuit. Non inueni præstantius remedium tam in præcautione, quàm curatione istarum febrium quàm oxizacharam simplicem, quæ putredini resistit ob acetum, & succum granatorum, vel syrupum de limonibus; quibus ego ipse quotidie vtens, neque hac febre correptus fui: sed & vxor mea charissima, cùm in rigorem quendam incideret & de hac febre tertiana publicè grassante metus esset, oxizachar. sumpsit, & vnicum tantum paroxysmum habuit. Sed & Ioanna Cellia Alcmariæ, & frater meus Iacobus Foreſtus, qui postea etiam medicinæ operam dedit, solâ oxizachara sæpius sumpta ab hac febre euasere. Sed & procurator regularium eiusdem monasterij, de quo paulò antè dictum est, cùm hanc febrem quasi præsentiret cum lis ex syrupis sequentibus sumpsisset, ab hac febre quoque præseruatus fuit, vti & multi alij. ℞ syrupi de cich. cum Rhab. sy. acetosi simplicis ana ℥ 1. sy. de limonibus de end. ana ℥ ß. Aquæ buglossæ end. cichoreæ ana ℥ ij. misce pro 2. vicibus. quibus assumptis febrem minimè expertus est. Terminabantur ferè omnes istæ febres hoc tempore cum alui fluore: ita vt nonulli ex purgationibus paulò magis soluentibus, ab imperitis medicis adhibitis, etiam aliquando spontaneo fluxu ad dysenteriam peruenerint. Ideo à purgatio-

nibus eo tempore maximè abſtinebam, & multi ſolis ſyrupis & iulebis alterantibus & infrigidantibus ac putredini reſiſtentibus abſque alijs remedijs ſanati ſunt. Et quanquam contagioſæ videbantur, omnes tamen ab initio facilè curabantur, modò periti medici ad curationem adhiberentur. In autumno & hyeme, licet viderentur periculoſiores, adhibita tamen diligentia, ſimiliter rectè ſanabantur; exceptis paucis, quæ in erraticas & quartanas commutabantur, & nonnullæ in ſemitertianas, aliæ in duplices febres quarum maxima pars noſtra induſtria ac ope diuina ad ſanitatem quoque peruenit, vt ſuo loco de febribus compoſitis dicemus.

OBSERVATIO VIII.

De febre tertiana intermittente nono circuitu deſinente.

HESTER, mulier proba ac honeſta, prudens, & ſi quæ altera pulcherrima & ditiſſima, ſtaturæ procerę, vxor Guilhelmi Sonneueldij cognati noſtri (de quo etiam egimus Obſeruatione tertia huius libri) eodem anno menſe octobri in tertianam febrem intermittentem ſimiliter incidit. Quæ cum puerum lactaret, ex febre lactis diminutionem ipſa metuebat, atq. eiuſdem exiccationem. primo iuleb. ſequens præſcripſi. ℞ oxizach. ſimplicis ℥ j. ſy. cich. cum rhabar. ſyrup. de acetoſi citri ſy. acetoſ. ſimplicis ana ℥ ß. aquar. cichor. bugloſſ. borag. fumariæ ana ℥ iij. aromatiſetur cum ℈ ij. ſpec. diarod. abb. & ℈ ß. pul. cinnamomi electi, & fiat iuleb. clareti inſtar. Poſtea, nempe die quietis, leniēs medicamentum ſequens propinaui, ſed vt puer eam ſugeret ante pharmaci exhibitionem mandaram, & quòd inter

inter operandum ab vberibus detraheretur, donec completa esset euacuatio, vt ita ipsa & non puer purgaretur. Talis erat potio ℞ Cassiæ recens ex cannis tractę ℥ j. diacathol. ʒ j. dissol. cum ℥ iiij. aquę casei addendo oxizach. simplicis ℥ ß. misce, & fiat potus, quo quinquies aluum excreuit cum maxima alleuiatione. Postea cum humida medicamenta à natura abhorreret & pulueribus siccis delectaretur, pro roboratione & alteratione hic puluis præscriptus supra panem butyraceum (vt ita dicam) aspersus deuorabatur, quo se delectari affirmabat. ℞ pul. spec. diarod. abb. ϑ j. ß. pul. cinnamo. electi ϑ ß. misce, fiat puluis. Zaccharum hæc ipsa vi quadam occulta abhorrebat. Post tertium verò paroxysmum vrina tincta & crassa spectabatur, cumque ipsa satis carnosa esset, & sanguinis missioni valdè dedita, quam & ipsa expetebat, vena basilica in brachio dextro secta fuit, sanguine non copiosè emisso; optimè tulit, nec lac amisit. Pro siti cupiebat subinde oxizach. simplicem, & iulebo adhuc semel reiterato. nono circuitu illam febris reliquit, & lac simul retinuit, vt aliena nutrice non indigeret, de qua re maximè metuerat. Postea tamen hæc ipsa sentiebat dolorem in liene, quo consueta erat ferè semper laborare, pro quo accidente depellendo ne in quartanam laberetur infusum sen. propinaui, & latus sinistrum oleo de capparibus inunxi. Solent enim medici præstãtiores, quod & Holerius annotauit, declinante febre tertiana si longius progrediatur, medicamentis cathareticis aliquid eorum, quę melancholiam purgant, immiscere: pars enim materię, ardore febris, in melancholiam vertitur. Sed istis vsa dolor euanuit, febre non redeunte, neque in quartanam soluta.

Scholia.

Hæc autem febris exquisita erat, quamuis ab ea nonnihil deflecteret. Verùm quò ad curationem febris tertianæ exquisitæ, tum in hac sicuti in alijs febribus putridis in generali quatuor proponuntur peragenda. Videlicet lenitio alui, minoratio materiæ, præparatio, purgatio, & afflictarum partium corroboratio. Alui autem lenitio consistit in expurgatione primarum superfluitatum biliosarum. Purgantur autem hæ per vomitum si natura per illam viam sese expurgari temet, vt si fuerit pallida bilis, vel flaua, vel vitellina, vel porracea; in æruginosa vel cærulea abstinendum, nisi æger pronus sit ad vomendum. Vomitoria hic debent esse leuiora & refrigerantia, œsophagum illinentia, ne in ascensu abradantur partes illæ, idque cum ptisana hordeacea, seu aqua, adiecto exiguo iure pulli vel butyro: ab oleis abstinẽdum, & non tempore paroxysmi nisi ob maximam necessitatem, vt Auicenna quoque voluit, si tempore accessionis maximam anxietatem circa ventriculum experiatur nauseabundus. Gordonius tamẽ in principio paroxysmi fieri iubet, cùm per ipsum alleuietur totus paroxysmus, maximè si sit spontaneus vel à medico leuiter irritatus. Si materia deorsum magis repat, & non sint idonei ad vomendum, clysteribus mollibus id præstandum, vt materia communis ab intestinis & venis mesaraïcis repurgetur, in hunc vel similem modum. ℞ mal. viol. lactucæ, bethæ mercurialis ana m. 1. prun. damas. num. x 1 1 1. coctis ad tertias in lib 1. Dissolue cassiæ Zach. rub. ana ℥ 1. olei viol. ℥ ij. satis parum, misce & iniiciatur ante cibum. Quod si materia sit in ventriculo, & enema ad ventriculum non ascendat, detur potio. ℞ cassiæ recens tractæ ℥ 1. syrupi viol. ℥ ß. (Cauendum à melle vel melle violaceo, scopus hic est refrigerandi & humectandi.) aquæ end. bugloss. ana ℥ ij. misce. Vel detur bolus in hunc modum. ℞ cass. recens extracta

tract. ℥ VI. pulpæ thamarin. ℥ ß. misce, adiiciatur Zach. si eo delectetur. Minutio verò materiæ consistit in minoratione materiæ biliosæ. Si igitur materia non turget, sed tantum abundat, & est multa, potest quoque exhiberi in principio tale vel simile minoratiuum. ℞ cassiæ recẽs extract. ℥ ß. electuar. de succo ros. ʒ j. ß. syr. ros. purgatorij ℥ 1. cum decoct. communi. fiat potio minoratiua, sumatur in aurora tribus horis ante pastum. Vel ℞ rhab. selecti. infusi ʒ 1. schoenãthi ϑ, in aqua end. borag. q. s. fortißimæ expressioni addendo syr. ex infus. ros. ℥ 1. misce. præparatio materiæ est etiam præparatio materiæ biliosæ, quæ etiam est diuersa iuxta speciem bilis, at in exquisita conueniunt syrupi de end. ex cichorea de succo acetosa de acetos. citri. viol. modò non sit ventriculus laxus. Si ex pallida & flaua bile, vtemur istis & decoctis seu aquis appropriatis end acetos. cichor. Si à prasina, vitellina, æruginosa, cærulea, nõ vtemur iisdem sinceris, sed admixtis refrigerantibus: veluti est syr. de nymphea, de succo lactucæ, de omphacio, de ribes, & aliis astringentibus nõ vtemur, modò nõ timeamus deiectiones valdè biliosas. Sed & materiã putridã maximè respiciunt acetos. simplex oxiz. ach. de limonibus, de acetos. citri, adiecto syrupo viol vt magis humectemus. Si itaque materia non turget, nec abundat, expectanda concoctio, prohibenda autem vlterior humorum putrefactio, iuuandáque natura ad concoquendum. Fitque hæc digestio seu concoctio à natura 1. Prog. cap. vltimo, & fit incrassando 2. Prog. 33. & separando malum à bono: quam etiam iuuat medicus rebus roborantibus calorem naturalem, alterando & remouendo calorem præter naturalem; & confortando naturalem. Et secundum Hipp. 2. aph. 9. corpora cum quis purgare voluerit, oportet fluida facere, & iuxta Gal. in eodem commento aperiendo vias & secando humores, sed & hic sumpta indicatione à febre, frigidæ alteran-

Minutio materiæ.

Præparatio materiæ.

alterantia, quæ & putredini resistunt simul commiscebimus. vt ℞ syr. acetosi simplicis ℥ 2. syru. viol. ℥ 1. ß. sy. de end. ℥ j. aquar. cichor. end. bugloss. ana ℥ iij. misceantur, & à ieiunio per triduum diluculo bibantur. Obseruandum tamen ne in syrupis, viol. per se in febribus biliosis exhibeatur, eò quòd propter dulcedinem facilè inflammetur, & vertatur in bilem, & calorem augeat: miscendus igitur cum syru. de acetos. citri de limonibus & oxizach. simpl. Neque hic conuenit syrup. adianthi vel capill. veneris, qui humores tenues ac subtiles reddat. Istis syrupis prædictis vtendum donec signa coctionis perfectæ appareant, deinde purgandum: sub purgatione etiam hic euacuationem intelligere possumus. Quanquam purgatio propria habeat medicamenta, quæ bilem purgant, vt postea latius dicemus. Quod ad euacuantia attinet, in hac febre, ea ipsa interdum cõueniunt per vomitum, interdum per secessum, modò per lotiũ, modò per sudorẽ. De vomitoriis iam dictũ est, quibus vtimur, quoties natura mouet materiã &, impetum facit ad ventriculum & ad partes superiores, idque potissimum tempore æstatis, in facilè vomentibus leuioribus quidem & nullo modo vehementioribus, in bile vitellina & crassiore syrupo acetoso simplici, & succo raphani, sed non progrediendo ad fortiora. In cerulea bile non est tutus vomitus. Per secessum vtimur quidem purgantibus bilem, quæ non calefaciunt, vt rhabar. quia bilem euacuat, & per euacuationem bilis refrigerat corpus: verùm si possemus habere medicamenta, quæ bilem euacuauerint, & nõ calfacerent, hoc esset faciendum, sed non reperiuntur, quamquam infusum rhabar. in decocto lactucæ, end. acetosæ conuenit, & syr. ros. solutiui. Vel in hunc aut similem modum, ℞ rhabar. ℈ iij infunde in decoct. fructuum, & express. adde syr. ros. solutiui ℥ 1. ß. vel 2. vel eius loco, vt gratius sit, mannæ selectæ ℥ 1. vel ℥ 1. ß. misce.

Euacuantia.

Vomitoria.

Purgantia.

miſce. Sed in bile æruginoſa, cerulea, praßina, diligenter cauendum ne pharmacis vtamur niſi cum cautione, ne dyſenteria ſubſequatur, vt aliquando fieri ſolet. Pro euacuatione materiæ per vias vrinæ, hæc ipſa non eſt imperanda, niſi materia ſit concocta, & iam leni medicamento expurgata, atque cum iis quidem elicienda, quæ citra exiccationem id præſtant, & calefactionẽ, cùm euulſione ſe. 4. frig. maior. cum aqua hordei in hunc vel ſimilẽ modum. ℞ ſyr. acetoſi ſimplicis ℥ j. decoct. end. rad. apÿ, adianthi ℥ iiÿ. cum eodẽ decocto emulgendo ℥ ß. 4. frig. maior. miſce pro vna vice: detur in paroxyſ. declinatione, vbi materia prius cocta fuerit. Licet omnes decocto anethi ex Galeno vtũtur, quod Alexander damnat in germanis tertianis: ita & decoctum abſinthÿ ob caliditatem, quamquam Galenus eo in fine vtatur, cum ſit ſummum remedium pro ſtomacho vbi bilis infeſtet. Paulus, Aëtius iſtis quidem herbis maceratis vtuntur in aqua frigida, & ita quidam Galenum defendunt: & ideo poſſemus vti tantùm maceratione, & non decocto aut infuſione. Et ita quoque quoad euacuationem ſudoris attinet, etiam diureticis ex apio & anetho madefactis vtemur, cùm idem medicamentum & lotium & ſudorem euocet. Extrinſecus verò ſudorem euocabant Veteres frictionibus, ſed lenibus, & tegumentis, & balneum probabant, quamuis nunc non ſit in vſu. Verùm neque ſudoris aut vrinæ ſit prouocatio ante materiæ coctionem & expurgationem, eáque potius præſtanda in declinatione vniuerſali. Quamquam quidam etiam ſudorem prouocari velint etiam in declinatione particulari: & ideo iubent, cùm incipit æger calere, corpus leniter fricari, vt meatibus apertis, vti mandat Fontano. ſudor effluat: hoc tamen in iam febricitante mihi ſuſpectum videtur, maximè ab initio, vbi materia nondum cõcocta eſt, cùm potius iam calore erumpente præſtat tegumentis leniter ſudorem euocare, licet in

Euacuatio per vrinam.

Prouocantia ſudorem.

decli-

declinatione aliquando ipsemet Galenus iubeat vti mollibus frictionibus. sed quia ex istis frictionibus ægri facilè suscipiant flatum, quo modo sudor impediretur; ego potius vtor lenibus tegumentis si opus est, vel decoctum hordei mundati cum liquiritia calidè adhibeo, quod & sitim extinguit & sine periculo etiam in particulari declinatione leniter sudorem euocat sine periculo, qui etiam abstergitur, ne pori obstruantur: nam hæc absterssio etiam alium sudorem prouocat. Quidam hoc tempore, vt Fontanon. aquam coctam cum pauco vino albo exhibent, vt sudor copiosior eliciatur: ego mallem dare decoctum hordei cum liquiritia, cùm & ipse Gal. à vino abstinendum esse dixerit, donec morbus concoctus esset: vbi verò initium coctionis adsit, paucum, tenue, dilutū dat primo, postea liberalius, vbi in propinquo morbi solutio est: quod quoque intelligendum est de tempore vniuersali, & non particulari. Non prouocamus igitur sudorem aut vrinam ante materiæ coctionem & prius magna ex parte expurgatam, & quemadmodum vomitoria medicamenta tepidè exhibemus, ita quæ vrinam aut sudorem eliciunt calidè propinamus, & vt illa commodiùs fiant vtimur syrupis bilem attenuantibus & aperientibus. vt syr. end. compos. de bizantiis cum aqua graminis & endiuiæ, & iuleb. Alexandrinum, vel cum decoct. cichor. rad. fæniculi, apij. Cùm igitur hæc febris potissimum sudoribus soluatur, post quartam accessionem si signa coctionis appareant, præcedentibus euacuationibus in declinatione accessionis, alij cùm æger à febre liber est, sudorem eliciūt aquæ hordei ℥ iiij. & vini Rhena. albi aquosi ℥ ß. vel ptis. vulg. ℥ iij. sy. acetosi ℥. 1. ß. vel cum syr. ambrosii, qui sudorem euocat & sitim extinguit. vt ℞ decoct. milij excorticati ad eiusdem aperturam ℥ v. vini albi tenuis ℥ ij. calidum, ægro dabant bene cooperto, & sic medici Mediolanenses sudorem eliciebāt teste Sauonarola, quo ad-

quo adhuc vtuntur: nam vinum album olygophoron, & sudores & vrinas mouet. Vltima intentio erat Corroboratio, quæ consistit in humectatione & refrigeratione totius corporis, & præsertim iecoris, & interdum etiam ventriculi, cum aliqua febris biliosa propellatur ex ventriculo. Si à iecore gignitur, vtemur zaccharo rosaceo, etiam conser. ex floribus cichoreæ end. zach. violaceo: extrinsecus epithemate ex succo cich. hepaticæ, adiecto aceto ad penetrationem: exterius quoque oleo ros. vngu. ros. santal. etiam pauco immixto aceto ad penetrationem. ventriculum conser. acetos. etiam bethonica, si metuamus refrigerationem nimiam, speciebus diarod. abb. adiectis extrinsecus oleo ros. mastichino. Infrigidamus quoque calorẽ febrilem auferendo, potu aquæ hordei syr. viol. de limonibus, de acetos. citri, oxizach. Exterius quoque hepati adhibemus epithemata, quæ ventriculo vacuo adhibemus ex santal. aquæ end. ros. & similibus de quibus in feb. continuis tum ardentibus dict ũest. Huc spectant triasant. diatragacan. frigi. quibus superbibenda aquæ end. & cichorei. Vel hoc epithema adhibeatur. ℞ aquæ end. cichor. solatri, ana ʒ iij. aquæ viol. ʒ ÿ. aquæ absinthij ʒ j. spodij ϑ j. ß. spec. trionf. ʒ j. ß. fiat epithema. Leonellus sequens cordi applicat in feb. tertiana pura. ℞ aquar. ros. viol. ana ʒ VI. acetosæ bugloss. ana ʒ iij. spec. cord. temperat ʒ ÿ. vel iij. vini maluatici ʒ ÿ. aquæ vitalis compositæ fragrantis parum misce. fiat epithema pro corde. Verùm hic maximè obseruandum, quod accessionis tempore nihil prorsus foris sit admouendum, ne admotis quibusdam frigidis calor febrilis intrò repellatur, atque tunc accessio fieret multo longior quàm solet, & sudor motúsque naturæ impediretur. Verùm extra accessionem epithemata & alia vnguenta præcedentibus vniuersalibus euacuationibus sine periculo applicari poterunt. Potest & regio hepatis hoc vnguento inungi.

Corroboratio.

Cap. 3. De Feb. curat. tertianæ pura.

Cautio.

℞ cera-

℞ cerati ſantatini, ℥ j. ol. nymphæ viol. ana ℥ ß. lauetur accuratè aqua frigida, vel roſacea addendo ſpica nardi gr. VII. ad naturalem temperiem partis ſeruandam. Ante paſtum fiat inunctio, vel cum linteo illinito hepati applicetur. Ad maiorem refrigerationem (ſi opus eſt) fiat & hæc dorſi inunctio. ℞ cerati infrigid. Gal. ℥ j. ſantal. rub. ʒ j. capphuræ gr. iij. fiat inunctio. Vel renibus apponatur vng. roſ. meſ. abſque opio. Calor quoq. qui poſt febrem & euacuationem humorum manet, tollendus cum conditis elleb. triaſand. reduplicato rhabarbaro, in rhomborũ figuras formato, ſuperbibendo exiguum aquæ endiuiæ. His alij addunt victus rationem & regimen vitæ (vt vocant) & accidentium correctionem, quæ exemplis ſubſequentibus magis innoteſcent.

Observatio IX.

De febre tertiana intermittente pura, ſeptimo circuitu finiente.

Eodem anno menſe Auguſto aliquæ mulierculæ eadem febre tertiana intermittente ſatis pura correptæ fuerunt, inter alias Gheertrudis Bartholdi cognata noſtra, vti etiam Maria Andreæ, Vxor Petri Nicolai Dellenij, pro quarum curatione cùm refrigerare & humectare oporteat, Galeno auctore, Paulo & Aëtio. j. ad Glauc. apud Aët. cap. 8. lib. 5. & Paulum cap. 20. lib. 2. ſiue per ſe ſiue per accidens, omnibus modis operam dedimus, vt aër frigidus & humidus in pulmonem reciperetur inſpiratione, qui ſtatim ad cor, vbi potiſſimum calor vrget, fertur: talis enim aër cor tum qualitate tum ſubſtantia refrigerat ac humectat, ſine vllo corporis incommodo: neque enim cutis meatus claudit, proinde nec per inſpirationem impedit. Hoc igitur tempore has ægrotantes tum alios ſimili febre laborantes collocauimus in domibus fri-

bus frigidis ac perflatis versisque ad Arctum, quales vbi nanciſci non poteramus, aërem arte refrigerabamus aqua gelida de vasis in vasa transfusa, vel assiduè domo aſperſa, roſisque vel vitium pampinis, aut herbis vel ſtirpibus aliis vim refrigerandi habentibus, humi fuſis. Qui aër ſi extrinſecus accedat, cutē lędere poſſet ſtringēdo, denſando, tamē maior vtilitas eſt ex inſpiratu, quàm noxa, ſi cutem, vt Galenus ait, operimentis calfacere poſſis. Cubiculum propterea vt turba vacaret, ſtuduimus, vt quæ calefaciat, foliis ſalicis & floribus nympheæ per cubiculum ſparſis, aceto & aqua roſacea conſperſis. Cibus autem erat humectans & refrigerans, ptiſanæ cremor, panata: à calfacientibus abſtinet Alexander, Paulus, & Galenus, à dulcibus tum mellitis, ſinapi, ſalitis, & acribus abſtinuimus, lactucam, cucurbitam, lapathum, conceſſimus, endiuiam & ſcariolam, & poma modò facilè concoquerentur, ceraſa quoq. & pruna, & mora, peponum medullam, aliqui & vuas dulces commendant, alij etiam pepones auerſantur, vt Galenus: quia bilem gignunt. quamquam Trallianus concedit contra medicum illum qui ex Galeno legerat De Alimētis, peponem cōmeſtum cholericos efficere: vbi Galenus intelligit pepones ipſos non bilem creare, ſed choleram efficere, id eſt ſtomachi ſubuerſionē. vide hiſtoriam apud Tral. lib. 12. cap. 6. & cucurbitam omnes laudant. ex piſcibus ſaxatiles, ex volatilibus quæ mollibus conſtant carnibus: quæ autem talia non ſunt eorum alæ, nec non & gallorum teſticuli, vt ipſe Galenus inquit, ſuum verò pedes & cerebra ac etiam porcellorum carnem: quæ tamen noſtris temporibus vitamus, vt etiam Donatus ſentit, cum & excellentiores carnes

habeamus, vt de causo dictum est. Refrigerat igitur ptisanæ cremor, sorbitio ex halica, panis elotus: saxatiles pisces præter id quod refrigerant & humectant, boni sunt succi ac facilè concoquuntur, aues molliozis carnis, vt gallinacei, perdices, columbæ, passeres minores, phasiani & similes, vel horum alæ si desint, quæ ob exercitationem excrementis vacant, oua gallinarum recentia sorbilia, quæ tãtum incalescunt, facillimè concoquuntur, & præcipuè eorum lutea, ea enim mediocriter refrigerant, vt testis est Gal. & Paulus. item pruna damascena seu surrentina. atque hæc quidem victus ratio delicatis conuenit. Robustis & duram vitam agẽtibus victus tenuior, quibusdam & cremor ptisanæ, modò vires ferre possunt, ad statum vsque, authoritate Galeni magis conuenit. At nostri minus inediam ferunt: nam & cibus subinde eligendus pro natura & ægrotantis consuetudine ac viribus. Potus hic erat ptisana, vel aqua hordei cum liquiritia & prunis cocta. Subinde etiam ceruisia tenuior. à vino, quia non erant consuetę, omnino abstinuimus, cùm etiam ab omni vino abstinendum est, antequam morbus concoquatur, vel vbi cœperit cõcoqui, cõceditur tenue aquosum, & liberius vbi morbus soluitur. Sed hic ratio habenda consuetudinis, nam vinum concessi aliquando Domino Cornelio Zuzio prę̃sidi Hollandię,qui plus vini semper bibebat quàm ceruisiæ; à quo vino cum per aliquot dies abstineret etiam in febre exquisita tertiana intermittente ex consilio Nieuenij, cui cum vinum diebus quietis admisissem citius à febre liberatus est, & vires melius recuperauit. In cibo exhibendo has conditiones ab Auic. scriptas 4. cano. cap. 39. obseruauimus. prima est quod non cibemus, nisi alius pri-

nus prius soluta sit: secunda quòd prior cibus sit concoctus ante paroxysmi aduentum: tertia, non exhibeatur cibus nisi in tempore quietis, vel in declinatione, si possibile est. Et sic die quietis præsidi vinum cõcesseramus. Quarta conditio est, quoties ad statum properatur, tunc victum magis attenuare oportet. De victu vide etiam Paulum lib. 2. cap. 19. & Trallianum lib. 12. cap. 6. Secunda intentio quæ erat ventris lenitio seu lubricatio & alteratio, cum clysteres abhorrerent in principio cum aluum non deponerent vtrique ʒj. cassiæ in bolo exhibuimus. Alteratio verò materiæ quæ per refrigerantia & humectantia perficitur, syrupos sequentes exhibuimus. ℞ sy. viol. de limonibus, de acetos. citri ana ʒj. aquę end. cicho. borag. ana ʒij. misce. Tertia intentio cùm sit euacuatio, quæ perficitur per venæ sectionem vel purgationem, quia in istis duabus mulieribus videbatur aliquo modo sanguis cum bile admixtus: nam sanguineæ erant, ac faciem rubicundiorem habebant; quamuis satis pura febre laborarent: sanguinem in minori tamen copia, ob bilem vtrisque in brachio dextro ex vena iecoraria detrahere fecimus. de qua venæ sectione latius in Scholio sequenti dicturi sumus. Sed post quartum paroxysmum propria euacuatione vtebamur: nam iuuat in hac febre, inquit Galenus, per inferiores partes bilis expurgatio & lib. 2. De Morbis Hippocrati ascripto, si tertiana, inquit, febris tenuerit, si quidē non omissis tribus inuasionibus, quarta corripiat, pharmacū deorsum purgans dato. & Act. cap. 19. lib. 3. suæ methodi medendi, clarioribus verbis significauit: febre, inquit, leuiore facta, modicè quoque purgantibus, quibus refrigerantia & humectantia admixta sunt, vtendum: cum

calida sint & vim turbandi obtinent, sic minus offendent. Et ita Mariæ Andreæ dedi sequens medicamentum manè. ℞ cassię recens extractæ ʒ iiij. diacatholici ʒ ij. elect. ij. de succo ros. ʒ j. dissolue in ℥ iij. aquæ hordei, sy. viol. ℥ ß. misce. quo medicamento sexies aluum deposuit. At cognatę, quæ magis ferebat purgationē exhibui cassię recēs extractę ʒ vi. elect. de succo ros. ʒ ij. end. ℥ iij. aquæ casei & ℥ j. sy. ros. solutiui. & fuit optimè purgata. A fortioribus & scammoneatis oportet abstinere. & ideo præstat aliquando paulatim, vt nos in aliis fecimus catharcticis, vti, quale hoc est. ℞ syrupi cichor. simplicis ℥ vi. rhabar. puluerisati & nodo raro inclusi ʒ ij. suspendatur nodulus & syrupo immergatur, capiat huius syrupi diebus intermissionis ℥ j. ß. cum aquæ hordei vel decocto leniēte, alterante, humectante, & infrigidāte. Quartā intētionē quę erat sudoris & vrinę prouocatio cōpleuimus, cū aquę hordei & euulsione 4. frig. & syr. acetos. cōpositō. Quintā intentionē alterādo calorē derelictum & roborando absoluimus cū triasand. diaro. abb. & saccharo ros. Sextam verò remouēdo accidentia, quę huic febri obuenire solent, hoc modo perfecimus. Rigorē licet impedire non debemus ob motū naturę, vt tamen citius sedetur, & melius feratur, operam dedimus, imperando vt in lecto bene coopertę calescerent ante paroxysmi aduentum, & quod non dormirent in principio: quia sic augetur rigor 2. Apho. 1. deinde consuluimus vt paroxysmus aduenirent ventre vacuo j. Apho. 19. tum cibi in principio nō sunt dandi, Aph. 14. vt etiam à potu in paroxysmis & tempore rigoris abstinerent. aliqui propter sitim cum abstinere non possent, concedunt aquam hor. cum liquiritia, vel

coctam

coctam cum syrupo viol. sed præstat in rigore abstinere, donec calor erumpat, & in delicatis in principio febris, fallere oportet cum ablutione assidua ptisanæ vel cereuisiæ tenuioris, os tantùm abluendo, & rursus expuendo. Ad sitim verò extinguendam, quo accidente valdè angebantur, vtebantur variis oris collutionibus, ex aqua endiu. aceto sæ cum vino granatorum addito, zacch. syrupo & rob de ribes, cum muccagine, psilij, cithoniorum, quod etiam ad asperitatem linguæ faciebat in syndone rara inuoluto ac aqua hordei immerso, & sem. 4. frigid. emulsione, zaccharo candi, in ore retento. Hic potus quoque egregiè sitim extinguebat. ℞ aquæ hordei mundati vel aquæ coctæ ℥ iij. succi mali punici acidi ℥ ij. zacchari ℥ j. misce. detur manè, conserua acetosæ egregiè quoque profuit. Ad dolorem capitis tollendum vtebamur vnguento populeo. Hoc quoque oxyrhodino. ℞ olei rosar. ℥ iij. aceti ros. ℥ j. aquæ ros. ℥ iiij. in æstate frigidè, in hyeme tepidè fronti admouebamus. Si catharri aderant, eo non vtebamur, contenti solo vnguento populeo. Pro vigiliis ad somnum conciliandum exhibuimus sub noctem quod sequitur. ℞ syrupi pap. ℥ j. ß. aquæ lactucæ ℥ iij. pul. diamar. frig. ℈ j. misce. quibus remediis vtrisque febris septimo circuitu cessauit, appetitu permanente nonnihil prostrato. sed sumendo syrupum de limonibus facile rediit, ventriculo quoque exterius roborato cum olei ros. cithon. & mastich. inunctione.

SCHOLIA.

QVOD si vena in hac febre sit incidenda, atq; opportunum id videatur, id quidem fieri debet intra primum & quartum paroxysmum, in die quietis, non autem pòst (vt nos in istis duabus mulieribus fecimus) tunc enim

Quæstio de sanguinis missione in exquisita tertiana.

morbus est in statu, in quo non est vena secanda, id quidem nonnulli obseruant: quanquam de venæ sectione in febre tertiana intermittente exquisita hic quæstio sit; licet Galenus dixit venæ sectionem saluberrimum esse remedium febribus omnibus non modò continuis, sed & iis, quæ ex putredine natæ sunt, modò ætas ac vires tum reliqua permittant. Omissum tamen hoc remedium à Græcis, & omittendum quidem, vt Hollerius volebat, si exquisita tertiana est. Hinc Galenus de ea apud Glauconem mentionem non facit, cùm potius studeat qualitati sese opponere, quàm quouis modo vacuare. Ex quibus verbis liquet, vt & Akakia, in Comment. eiusdem meminit, parum Galeno placere vacuationes, maximéque eam quæ sanguinis missione fit, & quæ vehemente purgante medicamento, cùm id genus purgantia omnia sint facultate calida. Hæc autem febris calidissima omnium est: ideo potius refrigerari ac humectari desiderat, quàm vehementer purgari. Alias autem euacuationes magis permittere videntur: præsertim vbi humorem natura expellere tentat, aut ad ventrem, aut infernas partes aut per vrinas, aut sudores. Iuuanda enim natura est, vbi ex se sola opus perficere non potest, id quo ad fieri poterit, lenibus medicamentis: qualia sunt, quæ paulò antè recitauimus. Quod autem sanguinis missio ac vehemẽs purgatio necessaria non sit, vel ex eo constat, quòd qui exquisita tertiana laborat, pauci sanguinis eiúsque biliosi est. ideo potius & refrigerari & humectari, quàm vacuari debet.

Bilis commoda euacuatio quæ?

Adde quod æger calidus est & siccus, labores & aliæ causæ calefacientes siccantésque præcesserunt. Commodè autem vacuatur bilis insensili transpiratione, vel vomitione vel sudoribus, vel vrinis (vt dictum est) quo scilicet natura hanc impulerit: quod cùm per se perficere non potest, tunc medicamentis eam iuuamus. Commodissima autem ea euacuatio est, quæ per aluum fit, quod minori tum molestia,

tum

tum periculo per eam partem educitur. Vomitus enim molestus est, & sudores non sine obstructionis periculo ante coctionis signa euacuari possunt: quemadmodum nec vrinæ eiici: molles verò clysteres neque periculũ augendæ febris, neque molestiam ægroto adferunt. Arabes tamen ex vrina rubra consilium sumunt phlebotomiæ fallaci quidem coniectura. Talis enim vrina aliquando infirmo hepate vel rene, aut alijs de causis (vt latius demonstrauimus in libro nostro De Vrinarum incerto & fallaci indicio) non ex natura febris apparere potest. Addunt præterea non esse detrahendum sanguinem ante tertium paroxysmum, addúntque experientiam, quod quibus aliter sanguis detractus est, iis ferè exasperatum malum. secant ferè sexto die, & prædicĩ iubẽt fore, vt proxima accessio, quæ quarta est, & die septimo grauissima, ne id ex phlebotomia & errore medici contigisse videatur. Conueniunt cum Græcis in vsu eorum quæ vrinas mouent & sudores. Verùm concludendo cum Rondeletio, quod in tertiana syncera inutilis sit venæ sectio, nisi adsit plethora. Itáque primum si venæ multum sanguine turgeant, non video cur statim sanguis mitti non debeat, sed hoc meminisse oportet quod in hac febre paucus sanguis auferendus sit, si omnia consenserint. Nam biliosæ febres omnes licet ex putredine natæ sint, sanguinis missionem cæteris correspondentibus admittere possunt: nam licet intermittens quæ pura sit, siue tertianarum, siue quartanarum, aut quotidianarum genere continetur, quod eius proxima materia propriúsque fomes non in vasis sit maioribus, neq. ex his prorumpat, venæ sectione haudquaquam curatur. At nihilominus in his interdum sanguis conuenienter mittitur, quum aut venæ immoderata copia turgescunt, plethoræq; pericula impendent, aut incalescentis sanguinis symptoma quoddam acrius vrget, vt pulsans capitis dolor, corporis iactatio, æstus penè suffocans. At ne sic quidem

Fernelius lib. 2. cap. 6. quibus secta vena succurrit.

venæ sectio aut febrem aut causam eius tollit, ised dũtaxat symptomatũ tum præsentium, tum impendentum sæuitiam compescit. mihi tamen sectio venæ adeò profuit (vt Obser. 2. huius libri constat) cum venæ amplæ essent, post tertium paroxysmum, vnciis tantùm quatuor extractis; quia exactè tertiana exquisita erat, & ideo minus sanguinis extrahere fecimus, vt febris amplius non redierit. Et licet sanguis in febre tertiana non sit materia febris, febrem tamen auget, præcipue si eius copia adsit, & amplas venas æger habeat: nam tunc meatus obstruere potest & bili misceri; & tunc salutaris est missio sanguinis, quam tamen temperare oportet prout magis vel minus sit exquisita, & prout plethora magis appareat, ita in sexta ægra huius libri vncias sex detrahere fecimus: & in istis mulierculis, quæ etiam rubicundiores in facie erant, at non ita crassæ vt Splintera, paulo minus. Nam in exactè exquisita, si non adsit plethora, non ita conuenit, vt in aliis. Sed si quispiam hic dixerit propterea non debere fieri venæ sectionem, quoniam Galenus eam non præcepit citato lib. j. ad Glauconem, quemadmodum eam commendauit pro cura tertianæ nothæ: asserimus nos quod si eam non commendauit, non tamen omnino negauit. Nec obstat eam commendasse in cura tertianæ nothæ, cum de ea curanda magis dubium esset, num competeret venæ sectio, quàm pro curatione exquisitæ tertianæ; eò potissimum quòd impetum duntaxat putrescentis bilis accessionem facientis spectauit, non negans vbi formidetur propter eius copiam, naturam non posse eam euincere, aut vix, aut fuluiores apparuerint in primo circuitu vrinæ, quod tutius erit statim venam secare, hoc tamen tanquam in vniuersali methodo explicatum hic subticuit. Vbi igitur prædicta adsunt, ac reliqua cõsentiant, confestim sanguis mittendus erit, hora tamen quietiori, & alys, quæ sæpe diximus, seruatis. Id quod confirmauit

De his vide plura apud Donatum De Meden. feb. par. 3. cap. 3.

Actua-

Actuarius cap. 19. lib. 3. suæ method. medendi, cùm dixit & nisi quid impedierit, sanguis est detrahendus. etenim in omnibus propemodum febribus sanguinem mittere, nisi adsit quod interpellat, præstat. Ita in matrona nobili Brielensi Heermans, cùm à medico citante Fernelium omissa esset venæ sectio, cùm consueta esset sanguinis missioni, & venæ amplæ apparerent, post 14. diem sectionem instituì, & à febre tertiana postea liberata est.

OBSERVATIO X.

De febre tertiana intermittente per icterum post septimum circuitum terminata.

THEODORVS Teylingius Sororius meus, Ærarius Quæstor, cum in febrem tertianam eodem tempore incidisset omnium primò iuleb sequens propinaui ℞ syr. de cich. cum rhab. ʒ j. syrup. de end. de limonibus ana ʒ ß. syrupi viol. ʒ j. aquæ end. cichor. absinthij (ob stomachi imbecillitatem, qua etiam afficiebatur) ana ʒ iij. misce pro iij. dosibus. arom. cũ pul. spec. diarod. abb. & cinnamo. electi ana ℈ j. fiat iuleb ad modũ clareti. Post tertium paroxysmum cum aluum lubricam satis haberet, lenitiuum non exhibuimus, sed venam secare iussimus ex basilica brachij dextri, detractis in diuersa pelui vnciis quatuor sanguinis, interim pro alteratione & calore febrili tũ siti subinde capiebat cochlear vnum ex syrupo de limonibus, qui ad venenositatem & putredinem faciebat & ad contagionem, cum multi eo tempore hac febre passim corriperẽtur, vt dictum est. Pro corroboratione etiam rhombis seu tabulis vtebatur ℞ spec. trionsand. diarod. abb. ana ʒ ß. dissolutis in aquæ end. acetos. zacch. albissimo ad ʒ j. ß. adiecto fiat elect. in tabulis. sudorem non prouocauimus: nam vltrò satis sudauit maximè in declina-

tione septimi circuitus, coctione præcedente, ita vt per sudorem quasi creticum liber à febre euaserit, ictero superueniente, qui etiam illi salutaris fuit, vt aliis remediis vti opus non fuerit.

SCHOLIA.

Multi seruati apud Hip. 1. De Morb. vulg. die quarta morbo regio apparente.

QVIBVS *in febribus ante diem septimum morbus regius inciderit, malum, inquit Hippocr. Interim scriptum ab eodem* De Morbis vulgar. *seu popularibus, multos seruatos, quibus die quarto morbus regius accidisset. & lib.* De Rat. vict. *in morb. acut. Morbus regius ante septimum si cum horrore, salus; si sine horrore, mors. quamuis hæc in continuis febribus fiant, de intermittentibus etiam poterimus intelligere, vt huic euênit. Quæ quia pugnare videntur, meminisse oportet morbum regium ante septimum ferè exitiosum, nisi sequatur excretio: qualis est fluor sanguinis è naribus, alui profluuium, vrina multa, sudor, vomitus, & similia. Alioqui naturæ infirmitas ostenditur, grauis intemperies, aut obstructio hepatis, eiusdem inflammatio aut scirrhus. Quod si initio morbi natura concidit, exigua spes reliqua est. Post septimum verò siquidem creticus est, & salutaris, & multò magis his cum 14. die ab initio morbi vel septimo paroxysmo apparuerit. Post septimum significare sudorem scripsit Hippoc. lib.* De Decret. morbis. *Si igitur post septimum diem etiam in acutis morbis regius sit, & criticus est, expectanda salus: multò magis, si qua excretio critica coniuncta est: vnde leuetur natura, minuatur febris, eiúsq. symptomata. Verùm aliquando & morbus regius fit, & sequitur excretio, & mori contingit: ita Hermippus in Epidemiis, cum à morbo regio abundè excreuisset per aluum, mortuus est. Panagoras tertio die auriginosus nihil excreuit, mortuus est. Heraclides &*

Hericuppi Historia & Panagoræ & Heraclidis apud Hippocratem.

alij

alij permulti tertio die auriginosi, seruati sunt: quibus sequuta per vesicam purgatio, turbata aluus est, vel profluxit sanguis è naribus. Hic autem præter remedia, quæ proprio capite de morbo regio scribuntur, conueniunt balnea dulcia, vnctiones ex oleo chamæmelino, anethino, irino, aut cui rosmarinus incoctus sit. Potiones quæ aperiant, rarefaciant, moueant sudores, quæque partim cap. de variolis dicemus, & partim de sudoribus prouocandis scripsimus, & etiam postea de sudoribus scripturi sumus, cùm de symptomatibus febrium agemus. At vbi extincta febris est, liberior vsus est aperientium. Oculis conueniunt lotus ex aqua tepida, in qua summitas fœniculi, flores chamæmeli, anethi, rosmarini, efferbuerint. Atque eadem aqua & facies & corpus vniuersum ablui potest. oxyzachra, succo granatorum cum modico melle albo vel zaccharo oculi inunguntur. Errhina imperantur, ablutio faciei ex aceto tepido. Errhinorum vsus in balneo ex aceto acerrimo scyllitico, succo nasturtij, maioranæ, betæ, fœniculi, rosmarini: elaterij in lacte muliebri dissolutum, reliqua ex proprio capite petenda. quanquam noster hic æger sudore emanante, ab ictero & à febre simul liberatus fuit.

OBSERVATIO XI.

De febre tertiana intermittente maximum calorem habente.

PHILIPPVS Comes illustris de Hoënloe, Chyliarcha, ab exercitio vehementiore, febre tertiana intermittente correptus est. Ad Dominum illustrem accitus anno 1581. 15. die Februarij, cumque rigor in accessione exiguus esset, tertio quoq. die magis calore ingenti, quàm febrili eundem corripiente, iuleb sequens præscripsi. ℞ decoct. hordei mundati,

prunor.

prunor. damaſ. ℔. j. ſyrupi de limonibus ℥ ij. ß. ſy. ex infuſ. roſar. ℥ ß. miſce. Interim vt à vino abſtineret per totum morbi decurſum mandaui, & vt loco vini vteretur clareto ſubſequenti. ℞ aquæ puriſſimæ ℔. j. cinnamomi ſelectiſſimi ℥ ß. zacchari albiſſimi ℥ iij. Hæc cruda per manicam Hippocratis traiiciantur, & fiat claretum abſque coctione. eo quoque vſus fueram, anno 1576. die Auguſti, in Illuſtri Comitiſſa de Culenburch, cùm in febrem tertianam intermittentem quoque incidiſſet, neque cereuiſia tenui, neque ptiſana delectaretur. Hoc etiam clareto adeò delectabatur, vt præ vino amplecteretur, & ſummopere guſtum adeò Comitiſſa commendabat, vt in vita delicatius claretum non guſtauerit. Eodem quoque vti ſolebam in Sereniſſimo Principe Auraico febricitante, tum aliis nobilibus qui ptiſanam abhorrebant. Cæterùm cùm in Comite illuſtri febricitante, vrina vtcumque tincta foret, die quietis venam ſecare iuſſimus, ſanguine vtcumque extracto. & poſt tertium paroxyſmum die quietis hoc infuſum eidem propinauimus. ℞ folior. ſenæ, abſque ſtipitibus ʒ iij. rhabar. ſelectiſſimi ϑ iiij. ſchœnanti ϑ ß. ſem. aniſi ϑ j. infunde per noctem in ℥ v. aquæ cichoreæ, facta prius leui ebull. manè fortiſſ. expreſſ. adde ſyrupi ex multiplici infuſ. roſ. ſyrupi ex ſucco roſar. ſolutiui aquæ ℥ ß. miſce. fiat hauſtus breuis. ſumpſit manè hora j. die quietis, ex quo multa bilioſa & varia excreuit. poſtea adhuc ſemel ſyrupo ſequenti ebibito. ℞ ſyr. de limonibus ℥ j. ß. aquæ cich. borag. end. ana ℥ j. fiat ſyrupus. à calore illo ingenti quinta acceſſione liberatus, rectè deinde valuit.

CHO-

SCHOLIA.

EXQVISITÆ tertianæ facillimè iudicantur & minime lethales sunt, vt diximus: & licet hæc non fuerit exactè exquisita: nam sub finem hyemis orta, citò hic tamen finiit: eóque magis quòd nostris præceptis auscultauit, & optima victus ratione vtens, à vino abstinens (quod nobiliores tamen rarò faciunt cum sint delicatiores) à febre breui admodum curatus fuerit. Et cum hæc febris facilis sit curationis, si frequenter euenit, vt multi tertianarij beneficio naturæ curentur. Propterea (vt dicebat Sauonarola) contingit multos sacrificulos aut idiotas credere se illos curasse cum nebulis, hostiis, amygdalis tribus, quibus quædam verba tum signacula inscripta sunt: ita & nostro tempore & periaptis, & medicamentis carpo appositis, ad aliquot dies, cum febris facilè terminatur, eandem se curasse autument: & sic sunt vulgaria quædam remedia, quæ vi occulta ad tertianas sanandas facere putant: quibus etiam medici quidam hodie vtuntur, aliis tamen remediis non neglectis. Sic sonchus tritus, sambucus, plantago, ex aceto subiguntur, & carpis alligantur, sunt qui & semperuiuum & alia huiusmodi refrigerantia trita hepatis regioni applicent. Suspectum quidem hoc remedium, quamquam aliquando febrem extinguit. Sed numquam hoc vtendum, vbi obstructionis suspicio adsit. Alij puluerem fuliginis è furno, & saluiam contusam vnà miscent cum oui albumine, & ita imprimunt carpis. Nonnulli eandem fuliginem cum alliis, cæpis, albumen oui & germine miscent, acetum affundunt carpisque admouent. Temeraria verò remedia caustica, quale est, quo vulgus radice ranunculi vtuntur alligata carpo. Eadem quoque gutturi exteriori admouent. Verùm prudenter vtendum est vulgi remediis, sed potius iis, quæ secundum veram methodum administrantur.

Vulgaria remedia quæ creduntur ad tertianas conducere vi quadam occulta.

OBSER-

OBSERVATIO XII.

De febre tertiana intermittente simpliciter dicta.

IODOCVS Gherardus zythepsa, Delphius, alioqui doctus, medicinę ac medicorum amator, mense Maio, in febrem tertianam intermittentem incidit, ad quem accitus 15. Maij, cùm valdè sitiret, vt ex sequenti iulebo sumeret, mandaui. ℞ hordei mundati. p. j. liquir. rasæ ʒ iij. prunor. damas. num. VII. fiat decoctio in aqua communi pro ʒ IX. colaturę adde sy. de limonibus ℥ iij. fiat iuleb. pro tribus dosibus. Altero die, nempe quietis (quia solitus aliquando fuerat mense Maio sectionem venæ admittere) venam secare fecimus. At febris accessione superante duodecim horas (adeò vt ad decem & octo horas perueniret accessio, ita vt hæc febris simpliciter tertiana dicta velut notha, exquisita nō fuerit, de qua re latius in Scholio) ita leuiter ęgrum purgauimus. ℞ folior. sene Alexand. ʒ iij. rhabar. selecti ʒ j. squamāti ϑ ß. sem. anisi ʒ j. infunde per noctem m. ℥ v. decoct. communis, facta prius leui ebullitione, manè fortissimæ expressioni adde syr. ex succo ros. solutiui ℥ j. misce. quo multa biliosa & pauca pituitosa excreuit. Cùm dolorem quoque in lumbis pateretur ob calorem febrilem, regionem renum hoc vnguento inungere fecimus. ℞ vnguenti ros. cerati infrigid. Galeni ana ℥ ß. misce. Post septimum paroxysmum cùm febris extenderetur, & adhuc copia bilis tum pituitę ęgrum infestaret, neque aluum satis deponeret, decoctum sequens duabus vicibus tempore quietis propinauimus. ℞ corticum

rad.

rad. cichor. dentis leonis ana ℥ß. flor. cordial. p. j. acetosæ, end. cichor. borag. fumariæ, summitat. lupulorū, cardui benedicti ana m. ß. sem. anisi, fœniculi ana ℥ j. se. 4. frigid. maior. ana ϑ ij. prun. damas. numero XIII. vuar. pass. ab arillis repurgatarum ℥ß. folior. sene ℥ j. rhabar. selecti ℥ j. ß. schœnanthi ϑ ß. polypod. quercini ℥ß. Coquātur in aqua communi q. s. & huius fortissimæ expressionis accipe ℥ VI. syr. viol. de limonibus ana ℥ j. misce. cùm vnam dosim sumpsisset tempore quietis, aluum plus quinquies deposuit. & sequenti die paroxysmus leuior fuit, quamquam siti nonnihil premeretur, pro qua mitiganda modò sumebat ex syrupo de limonibus, cui violaceus admixtus erat, modò cerasa condita. Deinde rursus tempore quietis reliquum decoctionis ebibit, & plurima egessit, & cœpit eum febris relinquere, cùm hæc tertiana circa tres septimanas perdurasset. Interim pro roboratione ventriculi & alteratione, huic curationi colophonem addentes, ex hac confectione in tabulis vtebatur, simul ventriculo linimento infrascripto inuncto. ℞ spec. diarod. abb. ϑ j. ß. spec. diatr. frigid. ϑ j. spec. diamarg. frigid. ϑ ß. dissolutis in aqua absinthij. adiecta ℥ j. ß. sacchari albissimi. fiat confectio in tabulis. ℞ olei cithon. maceris ana ℥ ij. misce. fiat linimentum pro stomacho. Quibus remediis sanitatē cōsequutus est.

SCHOLIA.

HÆC *febris non erat exquisita, sed velut notha, vt 1. De Arte curat. ad Glauc. cap. 9. constat. Sunt namque tertianæ quædam, quibus aliquid iam dictorum de puris & exquisitis deficit, quæ non exquisitæ, sed simpliciter tertianæ appellantur, quarum accessio longius quàm duodecim*

Tertianæ simpliciter etiam non exquisitæ.

decim horarum occupat tempus, vt prius dictum est, ex mente Galeni 2. De Diff. febribus. cap. 8. adeò vt ad decem & octo horas perueniat. Si vltra 18. horas protrahantur, vocantur tertianæ extensæ. Et rursus aliqua ex his dicitur simpliciter, quæ cum 24. horas in accessione consumpserit, reliquas habet febris expertes. Aliquam verò sufficienter extensam, quæ vsque ad 30. extenditur horas: atque aliquam etiam in longius tempus vsque ad 40. vel plures. Neque enim ex his aliqua certis terminis potest definiri. & ita 6. De Morb. vulga. scripsit Gale. aduersus Agathinum & eius sectatores, qui extensas tertianas non admittebant, sed eas semitertianas nuncupabant. Hæ quoque ad nothas tertianas referũtur, quarũ, inquã, differentias quatuor notat Galenus. Prima vocatur simpliciter extensa, quæ ad 24. horas extenditur. Secunda paululũ extensa, & durat vsque ad horas 30. Tertia dicitur amplius extensa, & durat vsque ad horas 36. Quarta vocatur plurimum extensa, & durat vsque ad quadraginta & plures horas. ita quoties magis à pura siue exquisita distabit, toties magis notha, siue spuria, siue extensa nuncupabitur. Similis sensus est 1. ad Glauc. cap. 8. Eadem ferè habet Paulus Ægineta lib. 2. cap. 8. circa finem. & Aëtius lib. 5. cap. 78. etiam sub finem. Fiunt harum febrium seu tertianæ nothæ modò longiores, modò breuiores, quòd bilis amplius sincera non sit sed alteri permixta humori crassioris ac frigidioris naturæ existenti, & prout frigidior ac crassior fuerit, ac maior eius copia cum bile permixta, eò impurior tertiana fiet, accessionémque habebit & intermissionis tempus breuius. at quamuis Galenus lib. 1. De arte curat ad Glauc. ponit exemplum de tertianæ plurimum extensa omnino contraria exquisitæ, cum accessio ad 40. horas perdurabat, sub exemplo adolescentis cuiusdam, qui medio tempore inter occasum Pleiadum & Autumnale

Tertianę extensę simpliciter sufficienter.

Comment. 2. super text. 23.

Cur accessiones tertianæ nothæ modò longiores, modò breuiores.

aequi-

æquinoctium, tali febre laborare cœpit, quæ incipiebat haudquaquam cum rigore, sed cum horrore, quæ etiam neque in caliditate similis erat exquisitæ tertianæ, quæ & mitior erat, neque confestim per vniuersum corpus effundebatur, neque similabatur ei in pulsibus, neque subsequebatur bilis vomitus, neque sudor sufficiens, sed pauci quidam humidi vapores exibant in eius inclinatione, ex quibus febris pedetentim transpirabat, ac vix intermittebat longo tempore, cùm eius accessio diutius produceretur, pulsus erant minores, tardiores, ac rariores, & indies duriores euadebant: permanebat etiam in pulsibus intermissionis tempore signum satis manifestum. In quam febrem licet adolescentes & iuuenes incidant, non tamen ij, qui naturâ bilioſi sunt, sed pingues, aspectu albi, qui in otio degunt, & crapulis balneisque plurimis & repletionibus vsi sunt, & propterea bene cibos non concoquant: simúlque eis aduenit pulsus durities in prima atque secunda die mediocriter, in tertia autem, quarta atque sequentibus vsque ad septimam, ad magnam duritiem: qui quidem multorum fore dierum ac mensium ægritudinem indicant. Deinde paulò pòst tempore paulatim mollescere incipit, ac minores etiam quotidie fiunt accessiones: vrinæq; meliorem habebunt substantiam, cum in priori tempore admodum crudæ fuerint: tardius etenim concoctionis signa apparent in hac spuria tertiana, quàm in exquisita. His indiciis notham tertianam seu spuriam cognosces, eam scilicet, quæ exquisitæ maximè contraria existit. Reliquas verò intermedias, cognitis exquisitæ tertianæ indiciis, & huius non exquisitæ, eidem maximè contrariæ non difficulter inuenies. Non quod Galenus de aliis, vt quosdam iuniores decepit, loquutus sit cum primo & sexto De Morb. vulgaribus & 2. De Diff. feb. plures scripserit tertianæ spuriæ differentias, & etiam harum, quæ in medio positæ sunt. Et ideò quamquam loco

Tertianæ plurimum extensæ signa.

citato ad Glauc. meminit de spuria tertiana ex bile cum pituita permixta. Ita vt quidam putarent non aliam esse notham tertianam, quàm eam, quæ ex bile & pituita fieret, cum etiam iuxta familiam Arabum ex aliis humoribus vnà cum bile permixtis fiant, quamuis etiam quidam has tertianas nothas, in nothas exactè, quæ tantum à bile permixta cum pituita fiunt, vel in nothas non exactè, ex permixtione etiam cum aliis humoribus. At exemplis subsequentibus omnia clariora erunt.

OBSERVATIO XIII.

De febre intermittente tertiana notha.

VIR annorum viginti octo, apud Delphos Stabularius, pretio viatores accipiens, homo crassus ac pinguis, cereuisia quoque crassiore vtens, in tertianam notham tempore autumnali incidit: cui hæc sex signa præcipuè aderant: grauitas capitis cum dolore tensiuo. Secundò, accessio durabat ob humoris crassitiem aliquando ad 24. modò ad 30. horas, & tepor eius vsq. ad 48. Tertiò in vrina nõ apparebat coctionis aliquod vestigiũ, sed ea cruda erat. Quartò in ægro non extenuabatur corpus, sicuti in tertiana simplici. Quintò neque febris cum sudore desinebat, nec rigorem interdum habebat, nec aderat caliditas adeò acris & mordax, vt in exquisita. Sextò nulla sæua accidentia spectabantur, vti in pura apparere solent. Hęc cùm animaduerterem, cognoui tertianam spuriam esse. Ideo pro eius curatione complenda, insequendo vestigia Galeni 1. ad Glauconem, cibum alternis diebus exhibui, non quidem vniuersum corpus humectantem & refrigerantem, qualis in exquisitis tertianis exhibetur, sed qui etiam aliquo

modo

modo calefaceret & incideret. Tales enim (vt Aëtius lib. 5. cap. 80. tum Paulus lib. 2. consulebant) alternis diebus alendi sunt, & quies adhibenda, & hypochondria fouenda, & dandæ concoctu faciles sorbitiones. Post victum verò Galenus etiam venæ sectionem commendat: & ita Paulus, si sanguinem detrahere opus est, inquit, neque hoc omittere oportet, imò à principio, vt Aëtius dicebat, confestim distinguendo, quæ loco de venæ sectione docuimus, tantumq. sanguinis educendum, quantum præsenti negotio suffecerit. Et quamquam hic aliquis dicere posset, quia bilis cum pituita sanguinis missionem propriè non indicat, potest tamen bilis esse in iecore, & pituita in ventriculo, & tamen in toto copia sanguinis; & sic etiam in hac notha potius quàm in exquisita exactè Galenus sanguinem demebat. Cùm hic iuuenis esset, licet crassior, & nonnihil sanguine adhuc abundare videbatur, venam cubiti internam, ex mente Galeni, secuimus, foramine magis aperto quàm in exquisita, vt crassior sanguis melius exiret. Nam quum eodem die, quo acciti eramus, sponte ventrem exoneraſſet, sectionem venæ adhibuimus, alioquin clysterem iniecissem: nã venter inferior in hac febre iuxta Aëtium & Paulum clysteribus non adeò mollibus abluendus est, qualis sequens est, quo ego feliciter in similibus tertianariis vsus sum. ex decocti maluę, betę, mercurialis, florum chamomillæ, hyssopi, viol. lib. 1. mellis ros. ℥ j. ß. olei chamomill. viol. ana ℥ j. ß. electua. de dactilis, vel catholici aut hieræ picrę ℥ ß. salis ℥ j. ß. misce pro clystere. Vel leniente medicamento, vt cassia adiecta, hiera picra, deuorato. At in nostro hoc ægro, pro minorante pharmaco, tempore quietis, sequentem potionem

propinauimus. ℞ cassiæ recens tractæ ℥ß. diacatholici ʒiij. diaphœnici ʒj. dissolue cum aqua cichor, fœniculi ana ℥ij. syrup. de endiuia, mellis ros. colati ana ℥ß. misce, fiat haustus. quo probè aluum deiecit. Laudabat deinde Galenus humorum prępparationem ex hyssopo, origano, spica nardi, cum mulsa decoctis. Ideo Aëtius & Paulus, locis citatis, ex mente Galeni admonent, vt frigid. & humectantibus ea quæ incidant, adiiciantur, & ita ptisanæ cremore vtuntur, pipere adiecto, vel decoctis iam dictis vtuntur. & ita oximel epotum summè laudatur, quibus & nos adiicere possumus syru. de cichor. acetos. simpl. mel ros. primum itaque in hoc ægrotante hunc syrup. exhibuimus. ℞ mellis ros. colati ℥j. syru. de end. ℥ß. aquar. cichor. borag. capil. ven. ana ℥j. misce. Postea deuenimus ad syrupos magis incidentes hoc modo. ℞ oxizach. simpl. syru. acetosi compositi syr. de endiuia ana ℥j. syr. de quinque rad. mellis ros. colati ana ℥ß. aquar. cichor. fœniculi, betonicæ ana ℥iij. misce, fiat iuleb. pro iij dosibus. post septimum paroxysmum ita eundem purgauimus. ℞ elect. ind. elect. de succo ros. diaphœnici ana ʒij. dissolue cũ aqua fœniculi, cichor. ana ℥ij. syr. ex infus. ros. ℥ß. misce, fiat potio. cœpit autẽ in diluculo, tempore quietis, quo medicamento multa biliosa & pituitosa excreuit. Etenim hic aduertẽdum, quod ad humorum coctionem attinet, ex præscripto Galeni 1. ad Glauc. cap. 10. Ab initio statim vitanda quæ nũc exiccãt & calefaciunt. & quo ad pharmaca solutiua, id quoque obseruandum, quod Auicenna admonuit 4. cano. & Arculanus, quod rarò & tardè solutiuum adhibendum est: alioqui si importuna fuerit euacuatio, tunc tenues tantùm exsoluentur, & crassæ

crassæ partes remanebunt. Postea iterum redibam ad syrupos, & ad oximel. Hoc enim epotum multis fuit auxilio, vt refert Aëtius tum Paulus, & quippiam eorum ex his, quæ molliter ventrem educunt: & ita post syrupos rursus ægrum adhuc semel purgauimus cum decocto, in quo rhabar. & agaricus infusa erant. Postea ad ea, quæ vrinam ciebant, peruenimus, nempè ad absinthij comam, qua & Galenus tum Paulus eius simia, post septimum diem quotidie vtuntur: sed & Aëtius aquã continuò adhibet, in qua absinthij coma maduerit. Hæc quidem adhibemus, tum ea, quæ etiam sudorem prouocant, materia prius expurgata, & coctionis signis apparentibus. Porro & vomitus, iuxta hos authores secundum cibum, iis quibus hęc febris in vetustatem incidit, vtilissimus est: nam & multos hoc vno præsidio Aëtius exactè sanatos vidit. Hanc etiam ob causam cùm hic æger noster facilè vomeret, decoctum hordei mundati & radicis raphani vnà cum oximelite commodè propinauimus, quo pituitosa multa euomuit. In fine autem & hunc sequentem syrup. ebibit. ℞ syr. de absinthio ℥ j. syr. de end. de enpatorio syr. capil. ven. ana ℥ ß, aquar. cuscutæ, apij, fœniculi ana ℥ ij. misce pro ij. dosibus. Caput in principio cum doleret cum grauitate, circa frontem inungi mandauimus cum vnguento populeo & alabastrino. postea verò solo vnguento alabastrino. Viscera verò roborauimus cum speciebus diarod. abbat. & aromatis rosat. Extrinsecus ventriculum inunximus cum oleo ros. masticho, maceris, simul & sotum adiunximus ex mentha, absinthio, floribus chamomillæ, addendo aliquid vini odoriferi, species aromatici ros. & diaro. abb. Victus huic paulo crassior, cùm febris non esset

pura, quãuis circa ſtatum ſubtilior: poſtea in declinatione magis recreans, & liberalius dedi plus de pullo & contuſo, quàm in pura tertiana. Præterea in declinatione cibis tum iuſculis admiſcui radices fœniculi, petroſelini. Nam eiuſmodi incidentia & aperientia cõueniunt in hac febre, de qua nunc agimus. Deinde vinum quoque prius dilutum, poſtea minus dilutum & ad purum ferè accedens conceſſi, cùm aſſuetus eſſet vinum bibere. Admittebam quoque exercitiũ moderatum, ſed à balneo abſtinui, quamquam veteres tamen non ante ſigna coctionis etiam hic lauabant & lauacris vtebãtur: quorum & Aëtius quoque meminit. At præcipuè conſului vt repletionem, & animi accidentia vitaret, quoniam hæc omnia vires deiiciunt. Verùm his tandem remediis ſupradictis poſt menſem ab hac febre liberatus eſt.

SCHOLIA.

Signa tertianæ nothæ ex bile & pituita.

CVM hac febris ex bile cum pituita admixta originem habebat, potius cum horrore quàm cum frigore aut rigore inuadebat. Rigor enim fit ratione bilis, frigus autem ratione pituitæ: horror autem à materia pituitoſa & bile inuicem permixtis. & cum febris bilioſa ſit, ſitis adeſſe ſolet; verùm remiſſa, cum pituita etiam adſit. Idem & de calore ſentiendum. Cúmque hæc ſpuria febris ex bile & pituita ſit, interdum etiam à bile vitellina, magna ex parte in hac febre adſunt obſtructiones & cruditates in ventriculo, imò aliquando ingens dolor, vti contigit Margaretæ Adriani Vxori Iodoci Gherardi zythepſæ, cùm hæc ſcriberem, in puerperio; quam alias à febre continua curauimus, de qua libro præcedenti mentiõ facta eſt: id maximè euenit, ſi pituita ſuperet bilem: nam hæc ad curationem variandam plurimum faciunt. Huic quoque febri non

non adsunt huiusmodi sæua accidentia, vt in legitima tertiana, neque calor in vigore ita mordax est, neque tanta siti affligitur æger, neque caliditas ita vehemens ægrotantem fatigat, vt Galenus in lib. De Quatuor tẽporibus demonstrauit. concoctio quoque tardius procedit, neque per sudorem desinit, neque septimo circuitu finitur, adest grauitas capitis: & licet vrina aliquando sit flaua, eadem ad albedinem tendit: excrementa quoque non ita sunt biliosa, sed crassa & pituitosa. Pulsus adsunt minus veloces & frequentes: ociosos & iuuenes intemperatos inuadit, & sub autumnum frequentior, vixque duodecima aut decima quarta accessione vel periodo terminatur, sæpe etiam in mensem, in quadraginta dies, nonnumquam in sex menses porrigitur, ferèque desinit in vitia lienis aut ventriculi. Plurima corporis adest grauitas, vertebrarum dolor, inflatio ventriculi, fastidia, sitis non adeò magna, oris amaritudo minor, iuxta bilem tamen abundantem, vrina citrina, crassior quàm in vera. Quæ, inquam, omnia & plura ex Auic. quoque colliges v. 4. tract. 2. cap. 4. Si his dictis accesserint causæ tam internæ quàm externæ multiplicantes bilem & pituitam, certius de hac fiet iudicium. Si cum aliis humoribus bilis commisceatur, iuxta Arabes, & qui eorum decreta sequuntur, signa inter se variantur: Nam si bilis cum sanguine permisceatur, maximè verò cum tenuiore parte sanguinis, erit quidem biliosa notha, sed præ ceteris maximè accedet ad naturam exquisitæ tertianæ, vnde aderit rigor, non horror: & sitis maior, ac ferè omnia apparebunt quæ in tertiana exquisita cernuntur, sed minus perfectè: aderunt insuper aliqua signa sanguinis, neque corpus ita erit gracile, siccum ac calidum. Si verò bilis fuerit permixta humori melancholico, etiam signa melancholiæ sese manifestabunt, & si cum melancholia naturali sese miscuerit, incipiet cum horrore: si verò cum atra, cum rigore

Signa nothæ febris biliosæ cum sanguine.

Signa nothæ biliosæ cum melancholia naturali & cum atra.

Præsagia.

inuadet. Præsagia etiam variantur pro vt humores commixti sint. Dicebat Galenus se vidisse aliquam tertianam notham in autumno incepisse, & deinceps vere terminasse, cùm æger medici præceptis non paruisset, tum quia læsus ex hyeme esset, ac lien intumuerit, & præcordia extẽderentur, ac iam subtumida quadam in facie decoloratione superueniẽte, præsertim circa crura, adeò vt Galenus de sanitate illius adolescentis dubitare cœperit. Non omnes tamen nothæ tertianæ in tam longum protrahuntur spatium: sunt namque inter eas, quæ citius terminantur, & eò citius quò pulsus paulatim ad mollitiem non longo post tempore ab eius initio tendant. Similiter vbi non longo pòst tempore à principio accessiones minores fiant, & in vrinis concoctionis notæ apparuerint meliores, subsidentiam, scilicet, habentibus, quæ priore in tempore crudæ, aut minus concoctæ visæ sunt. Quapropter interdum in sexaginta, interdum verò in quadraginta diebus terminantur, vt constat ex Galeno, quem & Auic. sequitur sic dicens, hæc quidem non pura, quandoque prolongatur tempore longo & circiter medietatem anni, & quandoque perducit ad mollitiem & magnitudinem splenis. Prorogationis febrium causſa Gale. teste 2. Prog. comment. 25. est triplex. Prima fit propter aliquam partem affectam curatu difficilem. Secunda fit propter humores crassos, glutinosos, tenaces, crudos, incoctósque. Tertia propter aliquem errorem ab ægro commissum. Idcirco dicebat Auic. in morbo lõgo resupinetur æger, & crura curuentur, & tangãtur eius viscera, & videatur si qua parte corpus tumuerit: minus tamẽ formidãda erit, vt etiã Donatus annotauit, ac citius quoq. soluetur ea, quæ ex atræ bilis permixtione generatur, quàm quæ ex pituita, in ceteris paritate seruata: quãuis nulla earum, quantũuis impura & illegitima fuerit, ex se ipsa periculosa existat, vt liquet apho. 43. lib. 4. nisi in aliquo fuerit delictum.

4. canon. cap. 35.

Prorogationis febrium causa.

Prout

Prout igitur humores sunt mixti, vel superantes, quæ etiam ex quotidiana vel quartana sumuntur, tum ex tertiana simul; fiet facilior prædictio tam de longitudine, quàm de breuitate, & de facili vel difficili salute. Sauonarola refert, quod illa, quæ fiat ex bile vitellina, ad sex menses aliquando protrahatur: quæ verò fit à bile citrina, quod ea ipsa aliquãdo deducat ægrũ ad paralysim, quandoq. ad hydropem. Quæ ab atra bile, licet citius abscedat, & minus sit formidanda, si tamen malè curetur transit in continuam vel quartanam, & tunc magnum discrimen minatur. Ex bile verò æruginosa, periculis plena est. & qui ea tentantur, vix euadunt. Ex bile verò cum melancholia, cæteris paribus citius terminatur: deinde quæ ex bile citrina, vltimò ex vitellina, quæ vsque ad sex menses aliquando perdurat. Alii verò volunt quod illa, quæ fit ex bile cum melancholia lõgius duret, quàm ex bile citrina, cũ melancholia sit inepta resolutioni, & etiam magis rebellis quàm pituita. Cæterùm quæuis tertiana ægrum ad sanitatem perducit, nisi errore in alias ægritudines commutetur: nam ad quartanam ex cholera minoris famæ (vt barbari loquuntur) quæ est ex melancholia & cholera seu bile, facilè transit ad continuam, ex qua mors magna ex parte, vt seni Nicolao Traiectensi Delphis decumbenti euenit, cui & mortem prædiximus, de quo prius quoque mentio facta est. Medicum igitur perspicacem esse oportet, ne per illum, aut infirmum, vel astantes committatur error. Quamuis enim omnis tertiana intermittens periculo vacat, attamen non debemus polliceri adeò breuem curationem in notha, & licet primo ad Glauconem Galenus dixerit, tertianam illam notham in iuuene fuisse periculosam, id non ratione febris fecit, sed illius qui inobediens erat. Ex supradictis non solùm prædictio, verumetiam pariter patebit & curationis modus, vbi iam dictæ tertianæ nothæ, exquisitæ maximè Sauonarolæ.

contrariæ curationem præceperimus, ac quotidianæ & quartanæ: quam & exempla ipsa etiam rectius docebunt, quomodo diuerso modo curentur ratione bilis commixtæ cum aliis humoribus.

OBSERVATIO XIIII.

De febre intermittente tertiana notha & subinde recurrente, & tandem in magis puram desinente, curata.

GVILHELMVS Berendrechtius à secretis (vulgus Secretarium vocat) annos natus triginta, in Hagha Comitis agens anno 1558. Mense Martio, tertianam notham incurrebat. Ad hunc vocatus, vnà cum Henrico Vergerio medico eius domestico ac docto, sequens iulebum præscripsimus. ℞ syrupi acetos. simplicis, oximellis simplicis, syr. de endiuia ana ʒ j. aquar. end. borag. bugloss. ana ʒ iij. misce pro tribus vicibus. Deinde hanc purgationem, cum aluum non probè deponeret, propinauimus. ℞ rhab. electi ʒ ij. spicæ ℈ ß. infunde per noctem in aqua fumariæ, betonicæ, endiuiæ ana ʒ j. ß. manè fortiss. expressioni adde diacatholici, cassiæ mundatæ ana ʒ iij. misce, detur in diluculo: quo medicamento octies aluum deposuit. Post tertium paroxysmum, cùm etiam in vere essemus, sanguis illi detractus est, ex vena basilica brachij dextri. Deinde iuleb. rursus propinatum est. & pro roboratione condita conseruæ & tabulæ ex speciebus diarod. abb. & aromatici rosati descripta sunt, & duodecimo circuitu illum febris reliquit. Sed cum paribus paroxysmis finiret, recidiuā prædixi, quamuis medicus præsens & æger id quidem non magnificiebant. Post decimum tamen

men diem, iterum in febrem tertianam intermittentem incidit, & iulebo denuò præscripto, rursus paribus diebus terminabatur: quare iterum recidiuam prænuntiauimus futuram, & ideo libenter eundem rursus purgassemus: quæ enim in morbis relinquuntur iuxta Hippocratem, recidiuas facere consueuere. Sed purgatione non assumpta, denuò in febrem incidit, quamuis leuiorem & puriorem præcedente. Rursus iulebo ebibito ac corpore iterum repurgato, rhabarbaro infuso, tertio paroxysmo videlicet impari, febris eum reliquit, neque amplius iuxta nostram prædictionem recidiuam passus est, neque febris rediit, sed perfectè sanus permansit.

SCHOLIA.

HANC tertianam febrem esse, facilè ex prima inuasione cognouimus, in homine bilioso, quamquam pituitam coaceruauerat in exigua quidem quantitate ob piscium esum ex præcedente quadrageſima. Et ideò illi errant, qui asserunt tertianam febrem tantùm cognosci posse per accessionem de tertia die in tertiam, cùm per alias significationes cognoscatur, quàm per paroxysmũ: quod etiam Auicen. animaduertit 4. canon. 2. tract. cap. 36. Hac etiam de re à Galeno irridetur Thessalus, qui Diatriton in cognoscendo tertianam expectabat, vt 2. De Cris. cap. 3. latius habetur.

Diatriton Thessali irridetur.

OBSERVATIO XV.

De tertiana intermittente notha, proximè ad puram accedente, quæ & vndecimo circuitu terminata est.

NOBILIS matrona Kerchtœrnia Brielensis facie pallida, nonnihil pituitosa, mense Aprili anno

anno 1573. in tertianam nothã quidem intermittentem incidit, bile tamen magis abundãte, vt hæc ipſa proximè ad puram accederet, quod & ſitis validior indicabat, quamquam minus capite dolebat. At hãc igitur accitus, pro lenitione & materiæ minoratione ſy. roſ. ſolutiuum primò exhibui, deinde verò lenitiuum ex caſſia, cùm enema abhorreret. Venam verò non ſecuimus, nam hęc vtcumque debilis, neque phlebotomię aſſueta, quam etiam non admittebat. Pro materiæ coctione hunc ſyrupum ebibit. ℞ ſyrup. acetoſ. ſimplicis ℥ j. ſyr. de end. ℥ ß. aquar. end. bugloſſæ, betonicę (quia capitis exiguus dolor aderat) ana ℥ j. miſce. Deinde & hora quarta pomeridiana & hunc ſequentem ſumpſit. ℞ ſyr. viol. de limonibus mellis roſati colati ana ℥ ß. aquar. end. bugloſſæ, lupulorum, ana ℥ j. miſce. Poſtea & hanc purgationem in diluculo capiebat tempore quietis. ℞ folior. ſene ℥ ij. rhabar. ſelecti ℥ j. ſquamanti ℈ ß. ſem. aniſi ℥ j. ß. infunde per noctem in ℥ v. decoctionis communis, facta prius leni ebullitione, manè fortiſſimæ expreſſioni adde ſyr. ex infuſ. roſ. ℥ j. miſce. & fiat potus. quo quinquies egeſſit plurima bilioſa & pauca pituitoſa. Poſtea cùm minus ſitiret, & exiguo dolore capitis tentaretur, hunc ſyrupum propinaui. ℞ ſyr. de limonibus ex infuſ. roſ. ſyr. de betonica ana ℥ ß. Aquæ vngulæ caballinæ (quia parum tuſſiebat) aquæ cichor. borag. ana. ℥ j. miſce. Dolor capitis ceſſauit, & febris poſt ſeptimum paroxyſmum mitior facta eſt, quamquam adhuc nonnihil ſitiret: ideo ſyr. de ribes & de limonibus conceſſi, vt ſubinde ex iis ſumeret etiam ex tabulis diatragacanthi frigidi; quibus ſitis ceſſauit, tum etiam tuſſis ex diatragacantho. At ſub finem circa os ventriculi dolebat, eo verò

verò inuncto cum oleo mastichino, cotoneorum, maceris, dolor illam reliquit, atque tunc etiam vinum concessi. Vndecimo autem circuitu omnino à febre liberata est, quamquam appetentia non ita statim rediret, pro qua recuperanda imperaui vt syrupum de limonibus sumeret, addito cochleari vno atque altero vini Rhenani. quo remedio alias in Ioāne Harpero viro consulari Delphēsi appetitum quoque restitui.

SCHOLIA.

INEVSVM rhabarbari huic, cum delicata erat, & facilis solutionis, pro purgatione sufficiebat. At alteri rustico, qui eadem febre quasi correptus erat, pituita tamen bilem superante. Cui aluus restricta, erat quam glande acutiore irritauimus, & eodem die tempore quietis venam secare iussimus. Deinde concocta materia per syrupos ex acetoso simplici, viol. bisantino, melle rosato, adiectis aquis cichor. fœniculi, apij, purgationem sequentem propinauimus. ℞ *Diacatholici* ʒ VI. *elect. indi. de succo ros. ana* ʒ j. *diaphœnici, diaprunis, solutiui ana* ʒ ß. *cum decoct. florum cord. & fructuum. fiat potio, qua egregiè venter solutus est. Postea ad apozemata magis aperientia progressi, iterum eundem purgauimus cum* ʒ j. *pilular. aggregatiuarum, cum has libentius sumeret. Deinde ad decocta vrinam cientia peruenimus. Balneo minimè vsi sumus, sed eius loco potius fota hipochrondiorum, ex floribus chamæmeli, meliloti, anethi, absinth. & ros. cum spongia, cōtenti fuimus. Batauis etiam in declinatione minus conuenit balneum, cum nostratibus non ita sit in vsu, minus in impuris febribus conducit. Pro roboratione dedimus conseruam betonicæ, absinthij Romani, & absinthij communis & rosarum. Exterius autem ventriculum roborauimus vnguento*

stoma-

ſtomachico, cremorem ptiſanæ cum pipere cõceßimus: licet Alexandro Tralliano hoc remedium in iſtis febribus ſuſpectum ſit contra Galenum, ſed hic refellitur malè reprehendens Galenũ à Donato ab Alto mari: cum Galenus eo vtatur, vbi pituita bile prædominetur, quibus & abſinthij coma decocta confert, ita & in fine exquiſitæ contra Trallianum, vt ad longum legere poteris apud Donatum: cæterùm hic ruſticus curatus fuit, quamquam ad menſem ferè in autumno protraheretur febris. At accidentia in iſtis, quæ aliquando oboriri ſolent pituita magis prædominante, eſt inappetentia, & ſomnus profundus. Appetitus verò incitatur cum cappariatis conditis in aceto, vt refert Auicenna, & ſomnus remouetur iuxta eundem cum aceto calido, aut cum lotionibus, aut cum his ſimilibus quæ ægrum à ſomno excitare poſſunt. Si alia ſint accidentia, vt in pura, quamuis leuiora, ea ipſa erunt tollenda: vt, ſitis, dolor capitis, atq. alia quæ obuenire poſſunt cum minus frigidis: Authores hic addũt quædã, quæ à proprietate curent tertianas nothas, vt eſt rubea trociſcata Nicolai, & folia burſæ paſtoris, ſi poſt vniuerſales purgationes carpis admoueãtur, hãc febrem depellunt. Idem præſtat dẽtilaria apud Rondeletium, & ea ſpecies Tlaſpi, quæ ſimilis eſt burſæ paſtoris. Terãtur ſimul cum ſale & aceto, & carpis applicentur. Villanouanus per duas horas ante principium paroxyſmi poſt 14. diem etiam in quotidiana cum magno experimento dedit ʒ. j. vel ʒ. ij. rub. trociſcatæ cum vino decoct. rutæ, abrotani, & ſaluiæ: breui enim, vt idem fatetur, febrem tertianam notham tollet.

part. 3. De Feb. Meden. cap. 4. De Tertianæ nothę dignotione, prognoſtico, ac curatione.

Cap. De Subeth.

Quæ vi quadam occulta dicũtur tertianam notham curare.

OBSER-

OBSERVATIO XVI.

De febre tertiana intermittente notha ex bile citrina, vel ex bile mixta cum pituita aquea.

ANNO 1556. menſe Septembri cum tertianæ publicè (vt dictum eſt prius) graſſarentur in monaſterio apud pagũ Sancti Eligij; Georgius monachus regularis in febrem notham tertianam incidit, homo ſatis obeſus, ex bile mixta cum pituita aquea, quæ ab Arabibus & eorum aſſeclis dicitur maioris famæ, cùm ex bile citrina fiat. Curationem igitur auſpicati ab euacuatione materiarum communium, iuxta Guainerium, qui huius curationem rectè preſcribit, quem & Dionyſius Fontanonus imitatus eſt. libenter itaque enema iniecisſem hoc vel ſimili modo paratum. ℞ quatuor herbarum emollientium ana m. j. parietariæ m. ß. quatuor ſemin. frigid. maiorũ, ana ʒ j. ſem. aniſi, fœniculi ana ʒ j. ß. florum chamemeli, meliloti, ana p. j. coquantur in aqua q. ſ. & huius colaturæ accipe lib. 1. vel lib. 1. ß. Caſſię mũdatę pro clyſter. ℥. j. electuar. hierę picrę ſimplicis ℥. ß. olei communis ℥ iij. ſalis ʒ j. ß. miſce. fiat enema & ante paſtum iniiciatur; ceterùm cùm non admitteret, hanc potionem præſcripſimus. ℞ flor. viol. borag. bugloſſæ ana p. j. folior. viol. hyſſopi, capill. ven. ana m. ß. glycyrrhizę, paſſul. ab arill. mũdat. ana ʒ ß. iuiubarum, ſebeſten. ana numero v. prunor. damaſ. numero IX. thamarind. ℥ j. fiat decoctum in aqua communi q. ſ. & huius accipe ℥ iij. ß. in qua diſſolue caſſiæ recens tractæ ʒ VII. electuar. indi ʒ ij. ß. mellis roſ. colati ℥ j. miſce. & fiat potus: quo aluum bene egeſſit. Verùm Dominę de Monſegnon

ſegnon matronæ nobiliſſimæ & viduæ probæ, quæ in pago Lirano decũbebat, licet minus impura, ſimili febre, ℥ j. mannæ granuloſæ in ſero lactis ſolutæ & expreſſæ dedimus, qua aluus egregié ſoluta eſt, vt paucis deinde aliis remediis breui à febre liberata fuerit, quamuis vena huic non fuerit ſecta, cum venæ ſectionem non admitteret. At monacho noſtro poſt tertium paroxyſmum vena ſecta fuit, ex vena baſilica in brachio dextro, ſed parum ſanguinis extraximus, ſyncope quaſi obrepente: optimè tamen profuit quemadmodum & alteri ſimili febre laboranti, cui poſt bolum, nempe, catholici ℥ vi. caſſiæ ℥ ß. zacharo aſperſo, tempore quietis deuoratum, deinde rurſus die intermiſſionis, vena ſecta fuit, vt poſtea aliis digerentibus remediis, tum purgantibus ad hanc febrem aptis, rectè & is quoq. habuerit. Sed ad noſtrum monachum redeuntes, poſt venę ſectionem digerẽtibus ſyrupis in hunc modum vſi ſumus. ℞ ſyr. acetoſi ſimplicis oximellis ſimplicis ſyr. de rib. ana ℥ j. aquar. cichor. borag. fœniculi ana ℥ ij. miſce pro duabus vicibus & clarificetur aromatiſando cum cinnamomo. Hunc quoque ſyrupum ebibit. ℞ ſyr. acetoſi ſimplicis ℥ ij. mellis roſati colati j. aquæ abſinthij buglo. end. ana ℥ ij. clarificetur & aromatiſetur cum cinnamomo. Verùm alteri eodem tempore febricitanti, impuriore tamẽ febre, primò pro materiæ minoratione ſeu lenitione, hęc potio magis vel huic ſimilis, conueniebat. ℞ decoct. ſupraſcriptę ℥ iiij. ß. turbith. electi ϑ iiij. zinzib. abb. ϑ ß. bulliant parũ, deinde colentur cũ forti expreſſione, mox caſſię & mellis roſati ana ℥ j. addendo, fiat potus. Deinde materiã, magis impurã, hoc modo digeſſimus ℞ oximellis ſimpl. ℥ iij. aquæ abſinthij, end. fœniculi

culi ana ʒ ij. misce. mox hoc modo vel simili tale pharmacum pro purgatione adhibendum esse duximus. ℞ diaphœnici elect. de succo ros. elect. indi maioris ana ʒ j. ß. adiecto zaccharo, fingatur bolus deuorandus in diluculo. Bolus autem maturius sumendus est quàm potio, serius enim operatur. Deinde adhibitis decoctionibus magistralibus magis aperientibus hic quoque sanatus est, sed tardius. Monachus autem noster vtens syrupis suprascriptis, & aliquando sumpsit cochlear vnum ex infra scripta mixtura. ℞ oximell. simplicis ʒ ij. rob. de ribes (propter sitim) ʒ j. misce. & materia iam satis concocta, ita illum purgauimus. ℞ diacatholici ʒ vi. diaphœnici ʒ ij. elect. de succo ros. ʒ j. dissolue in ʒ iij. decoct. cõmunis, addendo syr. de cichor. nicol. cum rhabar. ʒ ß. misce. fiat potio: qua multa biliosa, pituitosa & aquea excreuit. Postea rursus syr. magis digerentes propinaui in hunc vel similem modum. ℞ syr. de duabus radicibus ʒ ij. mellis ros. colati, syr. capil. ven. ana ʒ. ß. aquæ end. absinthij, fœniculi ana ʒ ij. misce. Deinde ℞ diarod. abb. in tabulis ʒ j. post syr. ʒ ij. capiebat. Postremò cum febris nondum eum relinqueret, ex hoc apozemate vtebatur tempore quietis. ℞ cortic. rad. cichor. dentis leonis, fœniculi, apij, petros. maceratarum in aceto vini ana ʒ ß. capill. ven. cichor. bugloss. scolopend. hyssopi ana m. ß. quatuor seminum frigidorum maiorũ ana ʒ ß. seminis anisi, fœniculi ana ʒ j. ß. sem. carthami contusi ʒ ij. ß. vuar. passul. detractis vinaceis seu arillis ʒ ß. folior. sennæ ʒ vi. polypodij querc. ʒ ß. agarici albi fœmini leuis ʒ j. ß. rhab. selecti. ʒ j. squinanti ϑ ß. coquantur in aqua cõmuni pro ʒ ix. fortissimæ expressioni, adde postquam steterunt infusa

per noctem, syru. de cichor. nicoli cum rhabar. syr. ex infus. ros. ana ʒ j. ß. misce. Huius capiebat tertiam partem die quietis, ex quo decocto multa biliosa & pituitosa excreuit. Deinde die vno atque altero intermisso, reliquum potionis capiebat. Et febrili calore iam cessante ex tabulis diarodonis sumebat. Interim prius quoq. pro siti iuleb confectũ ex aqua decoctionis hordei mundati syrupo violaceo & capill. ven. adiecto bibebat. Ventriculum verò roborauimus vnguento stomachico Galeni, & dolori capitis succurrebamus inunctione frontis cum oleo ros. & chamemelino, pauco aceto admixto, subinde cum vnguento alabastrino & populeo simul mixtis. quibus remediis hic Georgius monachus sanitati restitutus est.

SCHOLIA.

TERTIANA *notha, vt ex supradictis constat, apud Arabes & eorum sequaces, duplex est: aut enim fit à bile mixta cum pituita aquea, vel cum pituita crassa: & hæc frequentius accidere solet, éstque magis famosa, & ob hoc à barbaris dicitur fieri ex cholera maioris famæ. Aut fit ex cholera mixta cum atra bile, & hæc rarius euenit, minúsque famosa est. quæ quoq. fit ex cholera minoris famæ dicta. Cholera autem maioris famæ secundum Arabes duplex est, citrina & vitellina. Quando enim bilis cum pituita tenui & aquea miscetur, appellatur bilis citrina: quãdo verò cum crassa pituita miscetur, vitellina bilis appellari solet, quod vitellis ouorum sit similis. Et hæc quidem vitellina rursum duplex est, sicuti vitellorum ouorum color etiam duplex visitur, alius albicans, alius magis rufus. Bilis verò quæ rufioribus est similis, per assationem fit: sic etiam ex vitellina per adustionem generatur cholera prassina seu*

Cholera seu bilis apud Arabes maioris famæ duplex est.

Bilis citrina.

Bilis vitellina.

sina seu bilis prasina, ex qua rursus per aduſtionem procreatur æruginoſa. Verùm illa febris quæ ſit ex praſina aut æruginoſa, inquit Zoar medicus antiquiſsimus, habet acci- Zoar.
dentia vehementiora & fraudulenta, & vix poteſt æger ab eiuſmodi tertiana euadere. Et ſi euadet, diu ægrotabit Febris ex cholera praſ-
infirmus, & hora paroxyſmorum accidit ægrotanti ſitis & ſina aut æru-
alienatio, atque ægrotans ſeſe immiſcet moleſtis quæſtioni- ginoſa.
bus, & ſomnus eidem impeditur, fiúntque paroxyſmi longiores, & febris protrahitur, pulſus adeſt varius, difficilis & prauæ alterationis, & finis huius febris periculo non vacat, & pauci ſunt qui ab ea euadũt, & qui euaſerint, id iis poſt magnum ſtudium atque laborem contingit & morbi prolongationem. Nam fieri poteſt vt accidentia maligna longo tempore ſuſtineant. Vrina autem multoties ad nigredinem declinat & viriditatem, & ſi adſit hypoſtaſis atque in profundo demerſa, mortem in paroxyſmo ſignificat, potiſsimum viribus deiectis. Si verò hypoſtaſis fuerit ſuſpenſa, mortem quidem, ſed non ſubitaneam, verùm poſt longum tempus futuram, ſecundum diſtantiam eius à fundo vaſis. Refert Gilbertus quod vrina in calore rubea vel Gilbertus.
ſubrubea, & ſubſtantia per totum tenuis, cum circulo viridi vel ſubnigro, notat abundantiam choleræ praſinæ & æruginoſæ. Sauonarola tum alij multi, & qui Arabum de- Sauonarola.
creta ſequuntur, ab his omnibus tertianam notham fieri volunt: quamuis hic dubitetur, num ex cholera praſina & æruginoſa febris fieri poſſet, cum per malignitatem in cór-
pore permanentem eiuſmodi bilis ægrum prius interficiat antequam febris procreetur. Ideo Guainerius harum quo- Guainerius
que curationem non ponit. Zoar, vt iam dictum eſt, cõtra- Dif. 2. tract.
rium ſentit. ſed huius ſolutionem, vide apud Conciliato- 2. cap. 2.
rem. ceterùm quod ad hanc tertianam intermittentem no- De Feb.
tham ex bile citrina ſeu bile cum pituita aquea attinet de Conciliator
qua nunc agimus, hæc ipſa non multum differt à tertiana Diff. 91.

Signa tertianæ nothæ ex bile citrina.

pura, habet enim paroxysmos non multò longiores, sùntque excrementa & vrinæ citrini coloris, & bilem huius coloris quoque euomunt qui hac febre laborant, & victu vsi sunt quæ bilem & pituitam progignunt, paulo mitiora accidentia habet, quàm germana, vt dictum est prius: sudor minor,

Præsagia.

& paroxysmus longior, & quandoque in hora phlegmatis recurrit. Hæc ipsa aliis febribus illegitimis, cæteris paribus citius terminatur.

Curatio.

Curatur autem iisdem præsidiis vt pura, licet minus frigida & humida requirat, & victum pleniorem, cùm paulò diutius duret. Quod ad alia remedia attinet, eius curatio satis liquet ex exemplis in Obseruatione præcedente positis.

Vomitus.

Quod ad vomitum pertinet, cùm in pura ventriculo vacuo fieri debet, in hac verò post cibum, vt quidam volunt, aut initio accessionis: facilius enim educitur materia pituitosa pleno ventriculo, quàm vacuo & ieiuno, propterea quod vnà cum cibis pituita mista vacuatur per vomitum, qui sic elicietur. ℞ oximellis simpl. ℥ j. ß. aquæ tepidæ ℥ v. & bibantur sumpto cibo, aut in ipsius accessionis principio, si vomendi cupiditas accesserit.

Purgatio in principio, si materia turget, vtilis est: alio qui minoranda, digerenda & expurganda post coctionem.

Si materia turget, eradicante leui potest purgari in principio hoc modo. ℞ Diacatholici ℥ ß. diaphœnici, electuar. de succo ros. ana ʒ ij. syr. capill. ven. ℥ ß. Cum decocto communi fiat potus. Alioqui si non turgeat, materia prius communis educatur, fiátque lenitio, deinde digestio & postea purgatio, vt in præcedente Obseruatione scriptum est, vt non opus sit hic eadem repetere. Post coctionem etiam pilulæ aggregatiuæ exhiberi possent, scilicet, ex ℥ j. conficiendo pilulas VII. vel V. Si pluralitate remediorum ac medicamentorum delecteris, vide Fontanonũ De Morborum internorum curat. lib. 4. cap. 6. De Tertianæ nothæ curatione, vel Guainerium à quo sua desumpsit. Nunc ad exẽpla progrediamur eorum, qui à tertiana notha intermittente ex bile vitellina curati fuerunt.

OBSER-

OBSERVATIO XVII.

De febre tertiana intermittente spuria ex bile vitellina.

PATER eiusdem monasterij dicti, cui Saffius cognomen erat, vir annorum triginta natus, valdè obesus, crassus, ventre prominente, pituitosus, licet satis robustus & valdè carnosus, opiparè viuens, vt eiusmodi patres solent, non solùm vino, sed & ceruisia crassa sese replens, ac ocio deditus, licet nunc itinere quodam sese paululum præter consuetudinem fatigasset, decimo nono die Septembris anno 1556. in spuriam tertianam intermittentem incidit, quæ originem à bile vitellina habebat, quam febrem prius appellari diximus etiam maioris famæ, quæ ex crassiore bile fit cum crassiore pituita commixta. Ad hunc cùm intrarem, imperaui vt vitæ institutum non adeò inclinaret ad frigidum & humidum, vt à pura tertiana aut præcedẽte, & quòd pleniore victu vteretur, quàm in supradicta, & magis extenuante, vt ius quoque sumeret cicerum rubrorum & similia humores attenuantia in cibis permiscendo. Nam iuxta quod videmus statum magis propinquum vel remotum, secundum hoc in hac febre crassiore vel subtiliore victu vtimur. Cùm enim eiusmodi febres diutius protrahantur, etiam carnibus tempore quietis vescuntur, vt pullis, carnibus hædinis, vitellinis, auibus montanis, perdice, phasianis elixis, farre, auenato, hordeato, cõtuso, petroselino aut fœniculo adiectis, iisque similibus, etiam iure caulium leuiter coctorum vtuntur, etiam non solùm potu cereuisiæ defecatæ, sed & vino albo, aliquando lymphato, vel

nō diluto, tempore paſtus tātum. in rigore vel potius in horrore acceſſionis aliquando lapides calidos pannis inuolutos pedibus appoſuimus, cum in aliis febribus panni calidi dumtaxat ſint admouendi. Vbi verò incaluerat æger, etiam frictiones paulò fortiores adhibuimus, quæ hic magis conueniunt, teſte Guainerio, quàm in ſupradictis: quoniam & vapores & humores craſſiores hîc ſunt. Simili modo, vt in proxima febre traditum eſt, hic procedēdum, quamuis ſyrupi magis attenuantes ſunt propinandi. Ideo ſtatim prō materiæ communis eductione cum aluum non deponeret, & enema non admitteret, potionem ſequentem dedimus. ℞ caſſiæ recens extractæ, diacatholici ana ʒ iij. Diaphœnici ʒ ij. decoct. communis ℥ iij. ſyr. de cichor. nicoli cum rhabar. ſyr. capill. ven. ana ℥ ß. miſce. Cepit in aurora, die quietis. Eodem tempore mulieri admodum craſſæ annorum triginta quinque, ſimili febre laboranti, cùm materia multa eſſet quæ febrem incitaret, vt eam natura vincere poſſet, in principio ita eandem minuimus. ℞ Diaphœnici ʒ ij. (educit vtramque materiam, ſed pituitam magis) electuarij de ſucco roſ. ʒ j. (bilem purgat) catholici ℥ ß. decoct. cōmunis ℥ iij. ß. fiat potio. quam horis 4. vel 6. ante paſtum in aurora ſumebat tempore quietis. nam materia multa erat. Sed & alteri ex eadem febre decumbenti hæc vel ſimilis potio exhibita eſt. ℞ rhabar. ſelecti ʒ j. cinnamomi gra. v. agarici trociſcati ϑ ij. infundantur in aqua abſinthij, cichor. ana ℥ ij. ß. & vini albi ℥ j. per horas xii. facta prius leui ebullitione, & fortiſſimæ expreſſioni addendo ſyrupi roſacei laxatiui ℥ j. quibus etiā addere poſſes (ſi ſit robuſtior) diacarthami ſolutiui ʒ j. & fiat potio. At in Saffio noſtro cùm etiam

ſan-

sanguinis copia adesset, & vrina rubra, & ipse sanguinis missioni assuetus, huic vena iecoraria secta est, lata venæ diductione facta, vt crassior sanguis exiret ad vncias quinque vel paulò plures, & egregiè profuit. Postea ad materiam digerendā syrup. hunc sequentem propinaui. ℞ oxizach. simplicis ℥ ij. syr. de cichor. cum rhab. ℥ j. aquæ fumariæ, bugloss. borag. ana ℥ ij. misce pro ij. vicibus. Postea & hunc syrup. ebibit. ℞ syr. acetos. simplicis, mellis rosati colati ana ℥ j. ß. aquę fœniculi ℥ iiij. aquę absinthij. ℥ ij. clarificetur & aromatizetur, & sumat ij. vicibus. Die deinde vno atq. altero intermisso imperabā vt vteretur decocto simul purgante & digerente, quo vti soleo in eiusmodi febricitantibus, cum febris hæc diutius durat. ℞ ra. apij, brasci, asparagi, fœniculi ana ℥ ß. rad. cichor. dentis leonis ana ʒ ij. end. scariolæ, cichor. scolopēd. borag. ceterach. capil. ven. absinthij, hyssopi ana m. ß. hordei mundati p. j. flor. cord. p. j. sem. end. scariolæ, fœniculi, anisi ana ʒ j. folior. sennę Alexand. ℥ j. Agarici fœmini. albi leuis, rhabar. selecti ana ʒ j. prun. damas. numero ix vuarum à vinaceis repurgatarum ℥ j. liquir. rasæ ʒ iij. schoenanthi, zinzib abb. ana ℈ ß. fiat decoct. in aqua communi pro ℔ j. colaturæ adde syrup. de cichor. nicoli cum rhab. syr. de Byzantiis cum aceto, syru. ex infus. ros. ana ℥ j. misce, fiat apozema. Capiebat cyathū vnum in diluculo tempore quietis: quo decocto multa pituitosa & bilioſa excreuit, postremò ad roborationem vtebatur confectione in tabulis hoc modo. ℞ spec. aromatici ros. sine musco ℈ ij. spec. diarod. abbatis, spec. diamarg. frig. ana ℈ j. dissolutis in aqua absinthij & cichor. q. s. zacch. albissimi ℥ ij. adiectis, fiat confectio in tabul. dosis ʒ ij. pro vice. Oleo verò

nardino, absinthino, mastichino & coroneo simul mixtis, ventriculus inungebatur, quibus remediis, cùm paulo plus mense febricitasset, sanatus est.

SCHOLIA.

Enemata.

GVAINERIVS *in hac febre pro materiæ communis deductione in intestinis adhærentis enema infundere iubet ex decocto maluæ, bethæ, mercurialis, viol. florũ chamomillæ, furfuris hordei, cuius accipit ℞ j. ß. addendo cassiæ, pulueris zacchari rub. ana ℥ j. olei communis ℥ iij. salis gemmæ ʒ j. vel communis ʒ j. ß. misce. Si magna sit impuritas in decocto adiicit agarici ʒ ij. vel turbith. eius loco. Addit postea duos vitellos ouorum, & in primo clystere relinquit hyeram picram, eius loco addens diaphœnici vel electuarij indi ʒ iij. Vel accipit maluæ, bethæ, florum chamomillæ, cuscutæ, hyssopi, viol. ana m. j. iuiubarum, sebesten, ficuum pinguium siccarum ana ℥ j. turbith pulueri-sati ʒ ij. zinzib. albi ϑ j. fiat decoct. & in ℥ xii. vel lib. j. ß. adde cassiæ, pulueris zacch. ana ℥ j. olei communis ℥ iij. salis ʒ j. ß. misce & fiat enema. Eadem est mens Auicennæ cap. de cura tertianæ non puræ, vbi in principio magis laudat enemata quàm solutiua. Mox consultandum de*

Minoratio.

venæ sectione num sit facienda. Postea materia ipsa minoranda medicamẽto aliquo in exemplo præscripto vel pilulis aggregatiuis vel aureis, exiguo turpetho adiecto, vel pilulis in eodem cap. propriis ab Auicenna descriptis. Vel hoc puluere. ℞ turbith. boni ϑ ij. vel ʒ j. zinzib. ϑ. j. rhab. optimi ʒ j. spicæ gra. iij. zacch. albi ℥ ij. misce, fiat puluis,

Digestio.

detur cum aqua lactis vel iure cicerũ vel gallinæ vel caulium rubrorum leuiter coctorum. Minorata materia digeritur cum syrupis in Obseruatione præcedente dictis, vel fiat magistralis syrupus, qualis describitur à Guainerio loco præ-

citato

citato cap. 6. Digesta materia euacuetur cum aliquo ex solutiuis dictis in Obseruatione præcedente: quæ quidem solutiua & syrupi digerentes non solùm semel danda sunt, sed repetitis vicibus, perseuerante febre, & tempore medio, eodem authore vtemur clysteribus, & suppositoriis: & si status sit remotus per horam cum dimidia ante pastum dabimus bolum seu morsellum vnum confectionis infrascriptæ, ℞ spec. aromatici ros. ʒ j. ß. spec. diarod. abb. ʒ. ij. ß. zacchari lib. ß. fiat confectio in morsellis, vtilis quidem si status sit remotus: Si verò propinquus sit, sufficit diarod. abbatis. Tempore paroxysmi etiam conuenit hæc mixtura. ℞ cõseruæ bugloss. viol. ros. anthos ana ʒ iij. manus Christi cum perlis ℥ j. ß. electu. de gemmis ℥ j. minus vel plus prout à pura distet, & auro cooperiatur. Stomachus roboretur vnctione hac, manè & vesperi ante pastum. ℞ olei absinthij nardini ana ℥ ß. olei cotoneorum, mastichini ana ʒ ij. menthæ siccæ, caryophyllorum, coralli rub. ros. rab. ana ϑ j. olei maceris ʒ. ij. ceræ flauæ q. s. fiat vnguentũ. Vel stomachicum ceratum Galeni apponatur. Nunc ad exemplum tertianæ intermittentis impuræ ex bile cum humore melancholico permixtæ & curatæ accedamus.

Euacuatio.

Roborantia.

Morselli.

Mixtura.

Ventriculi roboratio.

OBSERVATIO XVIII.

De febre tertiana intermittente impura, seu notha ex bile mista cum humore melanckolico.

PATER Senior Egbertus nomine monachus regularis, sexagenarius 27. die Septembris eodem anno in febrem tertianam impuram intermittentem lapsus est, ex bile humori melancholico permixta, quam Arabes, ac eorum sequaces choleram minoris

famæ appellant. Huic ſtatim lenitiuum exhibui in hunc modum. ℞ electua. lenitiui, diacatholici ana ℥ ß. confectionis hamech. ʒ j. zaccharo candi aſperſo fiat bolus. quo aluum ſexies depoſuit. Huic venam non ſecuimus ob ætatem ſenilem. Sed altero die intermiſſionis hunc ſyrupum ebibit. ℞ ſyrup. acetoſi ſimplicis, ſyr. violacei ana ℥ j. ß. aquę lupulorũ, bugloſ. borag. ana ℥ ij. miſce pro ij. vicibus. Poſtea eum purgaui cum infuſo. rhabar. ſennæ & epithymi in hunc modum. ℞ folior. ſennæ ʒ iij. rhabar. ſelecti ʒ j. epithymi ϑ iiij. ſem. aniſi ʒ ß. ſchoenanthi, cinnamomi ana ϑ ß. infunde per noctem, facta prius leui ebullitione in ℥ v. ſeri lactis, manè fortiſſimæ expreſſioni addẽdo ſyr. viol. de epithymo ana ℥ ß. miſce, & fiat potio. Et aluus egregiè ſoluta eſt cũ maxima alleuiatione, ita vt paulò pòſt à febre liberatus fuerit. At victus rationem deinde non ſeruans, in quartanam non diu pòſt incidit, à qua rurſus, miraculi inſtar, in medio autumno his infraſcriptis remediis curatus eſt. ℞ fumariæ, viol. borag. bugloſ. ſcolopend. ana m. j. glycyrrhizæ raſæ ℥ ß. ſem. 4. frig. maiorũ ana ϑ ij. vuar. paſſul. à vinaceis repurgatarum p. j. prunor. damaſ. numero xv. fiat omnium decoctio in aqua communi pro lib. j. colaturæ adde ſyrup. acetoſi ſimplicis ℥ j. ſyrup. de fumoterræ, mellis roſati colati, ſyr. viol. ana ℥ ß. miſce. ſumebat bis in die, manè, & hora quarta pomeridiana cyathum vnum eo tempore quo non febricitaret. Deinde ex decocto ſequenti ſumebat ſemel in die quietis ſummo manè. ℞ rad. liquiritiæ ℥ ß. fumariæ, ſcolopend. viol. bugloſſæ ana m. j. ſe. 4. frigid. maior. ana ʒ ß. ſem. aniſi ʒ j. vuar. paſſul. ab arillis repurgatarum p. j. prunor damaſ. numero x i i i. folior. ſenæ abſque ſtipitibus ℥ j. ß.

fiat

fiat decoctio in aqua communi ad lib. j. Colentur cum forti expressione, addendo syru. de fumoterræ de cichor. nicoli cum rhabar. ana ʒ j. syrup. viol. ʒ ß. misce, & clarificetur. ex ea potione quotidie habebat quinque secessus (erat enim hic, quemadmodum & alij omnes, qui tunc populariter decumbebant, facilis solutionis.) & cùm hoc decoctum ebibisset, à febre quartana etiam liberatus, rectè deinde valuit.

SCHOLIA.

SENEX *hic monachus, quamuis temperatura sanguinea existeret, nunc verò in senectute à statu Prioratus depositus, melãcholicum humorem coaceruauit, & in hanc febrem impuram intermittentem ex cholera minoris famæ dicta, humori melancholico permixta, incidit. Et quamuis* Causæ. *hac febris bifariam contingit, vt dictum est prius, vel enim miscetur melancholiæ, quæ ex ipsius bilis assatione fit, quæ propriè atra bilis dicitur, vel melancholiæ naturali, quæ ab aliis humor melancholicus vocatur. Ex atra bile, vt si quis* Signa. *iuuenis sit, gracilis, cibis acribus vsus, tempúsque anni & regio calida sint, & cœli constitutio in æstate, cum vrina ignea aliqua obscuritate admixta, iudicauimus ex bile tum atra per assationem febrem ortam esse. Habent hi in accessione rigorem fortem, vt ossa videantur concuti, éstque breuior & ad puram maximè accedit. Si cum humore melancholico permista, longior est, & quasi frigus adest cum horrore in ipsa accessione, & adsunt somnia melancholica. In istis quoque variatur curatio. Si atra bilis sit admixta,* Curatio. *plus humectandum, & conuenit manna cum cassia pro minoratione, adiecto syrupo violaceo, hoc vel simili modo.* ℞ *mannæ ʒ j. cassiæ recens extractæ ʒ ß. syr. viol. ʒ ß. dissolue in ʒ iij. seri lactis, vel in aqua cichor. bugloss. borag. ana ʒ j. mis-*

℥ j. miſce. Vel iniiciatur enema ex decocto maluæ, viol. betæ, bugloſ. prunis, ficubus lib. 1. adiectis ℥ x. caſiæ, & zacchari rubei ℥ j. mellis viol. ℥ ß. olei communis ℥ iij. ſalis ℥ j. fiat enema. Vel ſi materia turgeat, ita euacuetur. ℞ diacathol. diaprunis ſimplicis ana ℥ iij. electuarij de ſucco roſ. confectionis hamech ana ℥ j. ß. ſyrup. viol. ℥ ß. decocti communis (cui exiguum ſenæ incoxerit) ℥ iij. ß. fiat potio. Alioqui digeratur cum ſyrupo bugloſ. viol. acetoſo ſimplici, adiectis aquæ fumariæ, lupul. cichor. Et ſi perſeueret iterum, leniter purgetur. Et vtere conſer. viol. borag. bugloſ. roſ. rad. bugloſ. diarod. abb. trionſant. & pul. elect. de gemmis. ſi ex permixtione melancholici humoris, etiam humectandum, ſed non adeò valdè infrigidandum. Conuenit electuar. lenitiuum pro minoratione. Syrup. viol. adiecto ſubinde de epithymo, de borag. acetoſo ſimplici, cum aquis melliſſæ, borag. ſcolopend. ſcariolæ, vel cum decocto earundem herbarum, adiectis poſtea ad maiorē apertionem rad. fœniculi petroſ. bugloſ. purgentur hoc, vel ſimili modo ℞ electu. de ſucco roſ. confect. hamech ana ℥ j. ß. electu. lenitiui ℥ ß. miſce, cum ſeri lactis ℥ iij. ſyr. viol. ℥. addendo. Vel in modum pilularum vt ℞ pilul. de rhabar. indarum ana ℥ ß. fiant pilulæ VII. Fiant morſelli ex ſpeciebus diarod. abb. elect. de gemmis. Et fiant epithemata ſi opus eſt, reſpectu habito ſemper ad melancholiam & bilem. Nam qui nouit tertianam & quartanam curare, ex mixtis prout bilis vel melancholia abundet, medicamenta optimè præſcribet. Et ita nunc omnes febres bilioſas intermittentes abſoluimus, excepta bilioſa ſyncopali intermittente, quæ ab Arabibus tum à Barbaris ſyncopalis minuta dicitur, de qua exemplum nunc ſubiiciemus, vt ita ad pituitoſas febres noſtra oratio conuerti poſſit.

OBSER-

OBSERVATIO XIX.

De febre syncopali intermittente, à bilioso humore orta.

NOBILISSIMA Domina de Asperen, abbatissa de Rheniburgo, mẽse Februario, anno 1561. in febrem quandam intermittentem satis biliosam incidit, quæ originem ex catharro salso, eoque valdè acuto in gulam decumbente traxerat, idque ex errore mulierc̃larum quarundam, quæ huic nobilissimę Abbatissæ gargarisma præscripserant, cui ærugo æris immixta erat. quo vtens inflammatione ingenti correpta, mox etiã aphthas incurrebat, & in febrem biliosam satis malignam incidit, quamuis primò in intermittentem, tertio quoque die infestantem (quæ vnà cum syncope satis vehementi in accessione inuadebat) postea hæc ipsa febris nullum typum nec paroxysmum obseruabat, vt ferè continua videretur. Ad hanc nobilem & venerandam Dominam Iohannes Gallus medicus Harlemensis, qui curationibus huius Dominæ tum Abbatiæ præerat, ac domesticus medicus esset omnium, primò vocatus fuit. Postea quoque & ipse ad illam accitus fui. Cùm autem hæc febris syncopalis esset, dum in accessione syncopis fieret, lenem frictionem digitorum adhibuimus, vt à syncope excitari posset, quum etiã rasuram vnicornu veri cum modico vini Rhenani, in accessione ipsa, dare coacti fuimus, qua & syncopis cessabat. Ceterùm cùm postea febris vehementior fieret, ac minus typum tertianæ intermittentis obseruaret, sed quasi continuò affligeret, quantum potuimus vsum vini interdiximus, Iohanne Gallo eius medico in exhibitio-

hibitione vini, contrà nimium indulgente, & liberalius concedente, vnde febris magis augebatur. Pro deiectione ventris, ante nostrum accessum, prius ex consilio medici præsentis bis duo cochlearia syrupi rosacei laxatiui (qui cum manna cõfectus erat, quem domina penes se paratum habebat, quo & vti aliàs consueuerat) sumpserat, quo syrupo bene aluum deiecerat. Postea tamen febre semper inualescẽte, communi consilio sanguinem ex vena basilica detrahere iussimus, cùm ad sectionem venæ Domina ipsa valdè prona esset: ad quam sanguinis detractionẽ medicus prior in principio parum negligentior, eam postposuerat, & nunc nisi ratione inductus admittebat. Sed ea nunc peracta, vnciis quinq. sanguinis circiter extractis, cum bene ferret, ilicò ipsa melius habere cœpit: ita vt postea calor febrilis plurimũ decresceret ac minueretur. Ceterùm cùm & aphthis laboraret, ac gutturis inflammatione, pro hoc symptomate depellendo, vsa est variis remediis, imprimis gargarismo ex aqua solatri, plantaginis, & diamoro. Sed cum lingua aphthis densissimis, tum intus os ac labia infecta essent, ad emollitionem linguam butyro recenti obliniri mandauimus, & similiter vt hoc linctu ad rimas quoq. & inflammationem faciente, qui ex succo semperuiui, succo liquiritiæ, pilulis bechicis, & saccharo penidiorũ, exigua aqua solatri admixta, instar crassioris linamenti constabat, vteretur præcepimus. Et ad maiorem detersionem continuò os ac linguam abluebat, tenuissima cereuisia, quam vulgares nostro idiomate Scarbier appellant, quæ ex Harlemo adferebatur: nam illa ablutione maximè delectabatur, ita vt continuò sic os collueret, lingua, tum os intus nõ solùm refrigerabantur, sed & aphthę optimè

timè detergebantur. licet materia quoque subinde os tum fauces intus ac linguam, quæ ex aphthis vlcerata erant, cum lacte chalibeato collueret, modò etiam cum aqua solatri sola, ad maiorem refrigerationem: quamuis & pro linguę scabritie & siccitate, in ore noduli detinebantur, ex zaccharo candi albissimo & semine cotoneorum parum contuso concinnati, in aqua solatri prius immersi, & per linguã sæpius conuoluti. Atque his omnibus sæpe reiteratis tandem aphthæ curatæ sunt. Verùm cùm & labia inflammata & excoriata ob calorem febrilem postea forent, succum semperuiui accepimus vnà cum aqua solatri, & in iis panni linei cõculcati frequenter, vixque tepidè labiis apponebantur. quo remedio hoc accidens similiter cessauit, & cùm conuenienti victus ratione à nobis præscripta probè per totum morbi decursum vteretur, mox nobilissima hæc Domina cum nostro honore conualuit.

SCHOLIA.

HÆC erat febris illa minuta syncopalis ex bile tenui satisque venenata, quam duplicẽ esse diximus Scholio Obseruat. XLI. *lib.* 2. *Continuam quidem, vel intermittentem. Continua autem semper ferè lethalis est: intermittens quoque non periculo vacat, cùm diligenter ipsa quoque curanda sit. At hæc nobilissima Domina biliosa erat, licet iam ætate progressa, & in hyeme existens, potius in tertianam hanc intermittentem biliosam inciderit ex bile crassiore paululum, quam syncopalem quoque minutam vocant, quàm in continuã. licet postea inualescens absq. tamen syncope postea, quasi in continuam hæc febris euaserit. Cùm autem huius febris malignæ curationem absoluerimus Obser.* XLI. *lib.* 2. *Non opus est eadem hic repetere,*

repetere, nisi quòd intermittens ob bilem venenatam, eo modo curetur vt continua. Nam & aër cubiculi, in quo decumbit æger ad humidum & frigidum etiam in intermittente declinare debet, aut natura aut arte prohibendo euaporationem nimiam, quæ in istis corporibus multa contingere solet, vires exoluendo. Cibus etiam si opus est ob syncopem in principio paroxysmi exhibendus, vel paulò ante: vt panis in minutissimas partes veluti in scobem redactus & coctus (panatam vulgares vocant) hordei cremor cùm punicorum malorum succo, ius stillatitium ex carnibus irroratis cum aqua acetosa. Vinum detur acerbum & ponticum dilutum aqua frigida aut decocto rad. buglos. Sed quia syncopis postea desiit, & febris eam quasi continuò affligeret, à vino abstinere iussimus. Et quia vrina erat rubra & crassa, pauca portio sanguinis extracta, febrilem calorem minuebat, & optimè tulit. Hic non purgamus, sed potius clystere emolliēte vel leniente medicamento tantùm vtimur, si necesse sit, aluo restricta. Si materia turgeat, eam authores leniore medicamento expellunt, alioqui dant syrup. conuenientes bili prasinæ in febribus pestilentialibus. Sauonarola euacuat cum myrobal. & rhabar. cum décoct. prunorum, thamarind. vel manna. At syncopi præcipuè occurratur zaccharo perlato, seu manu Christi cum vnionibus & santalis, aut hoc vel simili condito. ℞ conser. ros. conf. rad. buglos. ana ℥ ß. cort. citri condit. ʒ j. fragmentorum lapidum pretiosorum, margarit. ana ϑ ß. deauretur foliis auri. Vel ℞ pul. diamarg. frig. ϑ j. corall. rub. compos. alchermes, de hyacintho ana ϑ ß. syrup. de acetos. citri ℥ j. aquæ acetosæ bugloss. ana ℥ j. ß. misce. fiat potio exhibenda syncopis tempore. A frictionibus in hac febre abstinendum, quoniam humores nimirum subtiles sunt & tenues. Verùm leues frictiones digitorum tantum adhibuimus. Valent & hic epithemata, vt in febribus pestilentibus,

Curandi ratio.

Sauonarola.

Vide Fontanonum lib. 4. De Morb. inter. curat. ca. 18. de curatione febr. Syncopalis à bilioso humore.

tibus, quæ cor refrigerent & roborent, quæ & testiculis admoueri possunt: Verùm si horum tum aliorum remediorum copiam desideres, conferas te ad Obser. XLI. lib. 2. & quæ ibidem in Scholio dicta sunt. At vnicornu verum hic maximè in syncope profuit cum vino in principio paroxysmi seu tempore syncopis propinatum. Ceterùm hoc de vnicornu notatu dignum & hic maximè annotandũ, videlicet friuolum esse experimentum quorundam vulgarium, quod ipsum in vinum proiiciant, & si bullas vinum emiserit, verum & legitimumesse pronunciant, licet vnumquodlibet cornu idem præstet. Verùm multò exactius id per te ipsum experieris, quàm quilibet mercator, qui falsò sæpius aliud cornu pro vnicornu vero ac legitimo vendit, scobem eius cum arsenico deuorandum dabis gallinæ, turturi, aut columbæ, si superstes manserit (vel vnicornu statim post arsenicum sumptum datum fuerit) verum & legitimum vnicornu esse pronuntiabis. Rarum enim est, quamuis à mercatoribus in maxima copia falsum pro vero vendatur. Alij in aurificis fornacem demittunt, si odorem cornu à se non emittat, verum prædicant. Alij referunt quod in vstione non omnino comburatur, sed augeatur, minimé que in vstione fœtorem cornu habeat, quemadmodum de cornu ceruino constat. At nunc curationibus febrium intermittentium bilioſarum omnium absolutis, ad pituitosas febres demum progrediamur.

Vnicornu verum.

OBSERVATIO XX.

De febre quotidiana intermittente.

PVELLA annorum circiter triginta, crassa & valdè obesa, quæ Delphis ad forũ Hauenarium habitabat, in otio viuens, tempore pluuioso ac humido, hyeme, in febrem quotidianam intermitten-

tem incidit. Rectè dixit Galenus, & quidem ætatibus, naturis, anni temporibus, & tempereraturis humidioribus accidunt quotidianę: Nam iuuenem, inquit Galenus, bilioſum ac ſicca natura nunquam vidi huiuſmodi corripi febre. Pueri autem & maximè paruuli ex iis qui craſſiores & humidiores ſunt. Cognoui autem hãc febrem quotidianam eſſe ex ſignis fuſiſſimè deſcriptis à Galeno 2. De Criſibus cap. 5. quia primo ſtatim die cum rigore non inuadebat, ſed proceſſu temporis refrigeratio puellam occupabat, pulſus quoque ordinem neque æqualitatem ſeruabant, dum acceſſiones fierent, neque veloces aut vehementes erant, aut magni vt in tertiana, ſed rari, ſubmerſi & debiles, vrina verò erat alba & tenuis in principio, poſtea etiam rubra, ſiue ſiti, ſiue ſudore quoque ob materiam craſſam non emanantem, aderatq. oris ventriculi ac hepatis imbecillitas, ob debilem concoctionem: præcordia ſubinde intumebant, ob caloris credo diminutionem ac imbecillitatẽ, ſub veſperam etiam inuadebat febris, & calor primo tactu erat debilis, vaporoſus, ſed dum mora fiebat in tangendo ſentiebatur acris & nonnihil mordax, quotidie ſub veſperam reuertebatur, perque ſex horas cùm falſa quiete demittebat ægram: quæ ſigna cùm ſpectabam, quotidianam febrem intermittentem eſſe, facilè percepi. Quare ad hanc accitus, probam victus rationem inſtitui ex Galeni præſcripto. 1. ad Glauc. cap. 8. nempe extenuantem victum & incidentem nonnihil. Et ſic præ omnibus elegi aërem ad calidum & ſiccum nonnihil inclinantem, eumque purum & clarum, quem etiam arte parabam, ſi ex natura talem repperire non poteram. Somnum mediocrem, non tamen excedentem conceſſi, ac pro exerci-

ercitio & motu frictiones adhibebam: & per totum morbi decursum, si aluus non responderet, cum enemata non admitteret, glande irritabam. pro potu verò, cùm hæc puella satis dives esset, præter cereuisiam etiam vinum tenue pauciferum admisi. & quod ad cibum attinet, primis diebus tenuem adhibuimus: in processu verò paulò pleniorem, quamuis temperatum & ad calorem aliqualem vergentem, gallinas, gallinaceosque pullos, perdices, phasianos, interim & lepusculos, cuniculos, auiculas montanas, contusa, tum alio modo liquata, herbis ac radicibus vim extenuandi habentibus, in iisdem decoctis iniectis, dabam: vt est hyssopus, radix petroselini. Ptisana quoque, pauco cinnamomo addito. Interim hoc obseruato, quod primis diebus incidentia non exhibuerimus, sed potius in morbi processu. Ad medicamenta deueniendo, primum hunc bolum deuorauit. ℞ elect. lenitiui ʒ vi. diaphœnici ʒ ij. zaccharo pauco aspersо, fiat bolus: quo probè aluum egessit. Hoc modo minorata materia ad humorem incidendum & coquendum hunc syrupum propinauimus. ℞ syr. acetosi simplicis, oximellis simplicis ana ℥ j. syr. ex infus. ros. mellis rosati colati ana ℥ ß. aquar. borag. fœniculi, capill. ven. ana ℥ ij. misce, pro duabus dosibus. Aëtius lib. 5. cap. 85. ad quotidianam primis diebus vtitur oximelite. Mox & hoc purgante medicamento vtebar. ℞ cassiæ recens tractæ ℥ ß. diaphœnici, diacatholici ana ʒ ij. dissolue in ℥ iij. ß. aquæ fœniculi, syrup. ex infus. ros. mellis rosati colati ana ℥ ß. misce, fiat haustus. detur in diluculo. Postea rursus redibam ad syrupos. Oportet enim his vniuersam curationem moliri (vt rectè admonebat Alexander Trallianus) per vices & interualla: ita

namque accommodari debet morbis, qui ex crassioribus humoribus generantur, ac sensim extenuare, & leniter purgare materiæ copiam oportet, donec satis habere videbitur. Nam si æger assumat medicamentum quod copiosius purget, magnam corpori intemperiem conciliat, & potius nocet, quàm iuuat, magisque in iis adhuc qui calidiore temperamento & bilioſiori præditi sunt. Exhibitis igitur adhuc syru. magis incidentibus in hunc modum. ℞ syrup. de byzantiis, oximellis simplicis, syr. acetosi simplicis, vel eius loco oximellis compositi ana ℥ j. aquæ hyssopi, fœniculi, cichor. ana ℥ ij. misce, pro ij. dosibus. Postea illam iterum purgauimus hoc modo. ℞ folior. senę ʒ iij. agarici fœmini albi lenis ʒ j. ß. sem. anisi ʒ j. zinzib. albi ϑ ß. infunde per noctem in. ℥ v. aquæ fœniculi, facta prius leui ebullitione; manè fortissimæ expressioni adde mellis rosati colati ℥ j. misce, fiat potus. quo rectè purgata mitius, deinde febris eam affligebat: alioqui deuenissem ad decocta longa Interim stomacho debiliori ceratũ stomachicum apposui, & interius cum aromatico rosato, & diarod. abb. ventriculum roboraui. Interea & vrinam prouocantes cum decocto apij, & fœniculi, & absinthij. Cumque aliquando prius per se vomeret, etiam in accessione, oximel dedi per se, quemadmodum & aliis nõnullis cum aqua tepida leniter vomitum irritãdo. Aëtius autem in hac febre post cibum assumptum & raphanum, vomitum imperat. At istis iam dictis remediis puella hæc post mensem à febre liberata est.

SCHOLIA.

Quotidiana etiam à Græcis amphemerina

FEBRIS *hæc quotidiana intermittens dicitur, etiam à Græcis amphemerina, teste Aëtio, quod amborum, diei*

diei, inquam, ac noctis particeps sit, singulis diebus exacerbationem habens, licet in febris integram quietem non desinat, occupat ferè decem & octo horarum spatium. cis amphemerina dicta.

Estq; hæc febris duplex, alia pura seu legitima, alia notha. Et illa pura dicitur cuius accessio ad 18 horas extenditur, & quæ fit à pituita dulci extra venas putrescente, vel insipida, vel ab acida & vitrea. Quæ à salsa pituita fit, hanc quidam solam ad notham quotidianam referunt: Alij è contrà ex dulci, quia cum sanguine permiscetur ad notham referunt quoque, vt Antonius Gradus. Est tamen febris quotidiana, teste Fernelio, omnium aliarum febrium rarissima & quæ vix ex sexcentis vna contingit. Sed cùm laborans quotidie febre conflictatur, id ferè à duplici tertiana fit. De qua re latius videas Fernelium. Causæ verò harum febrium variæ esse possunt: nempe temperies frigida & humida totius corporis & potissimum ventriculi: rarò enim euenit, teste Galeno, 1. ad Glauc. cap. 5. quin ventriculus patiatur. ita & ex intemperie frigida & humida cerebri, vnde excrementa pituitosa, ex quibus quotidianæ & febres catharrales fiunt ex Galeno 1. ad Glauc. cap. 7. Ideo hæc quoque febris, Aëtio teste lib. 5. cap. 84. maximè pituitosas naturas infestat, hyemis tempore, frigida & humida constitutione, senili ætate, & puerili, propter ingluuiem, & his qui regiones frigidas & humidas incolunt, atque otiosam vitam in rerum satietate degunt. Quod si etiam à cibo lauerint, confusoq; alimentorum ordine pituitosis vescuntur, haud facilè erit id febris genus euitare. Eadem ferè habes apud Gale. 1. ad Glauc. cap. 7. & 2. De Diff. feb. cap. 1. & 4. quæ similiter ab Auicenna referuntur. Signa explicantur à Gal. 1. ad Glauc. cap. 7. & 2. De Diff. feb. ca. 4. & 6. & 2. De Crisi. cap. 4. & apud Auic. Inuadit cum refrigeratione extremorum, atq. horrore potius quàm rigore: sed legitima etiam sine horrore, vt quidam volunt. Febris quotidiana dupliex, alia pura, alia notha. Causæ. Signa.

Sùntque hi somnolenti, minimèque siticulosi, neque corpus nudant aut vestimenta abiiciunt: pulsus teste Alexandro Tralliano, bona ex parte exigui & rari existunt: incrementum non velox, sed longiore tempore detinet: Vomitus hic pituitosus, & deiectiones pituitosæ, frigidæ, humidæ, aquosæ. Vrinæ in principio quales in quartanis incipientibus, teste Galeno 2. De Crisibus. cap. citato. At primo De Arte curatiua ad Glauc. cap. 7. albæ, tenues vel crassæ & turbulentæ, vel rubidæ. Idem & Aëtius testatur, in principio tenues esse, postea crassas turbulentásque fieri. Initio non sudant ob materiam crassam, progrediente tempore vix, & ideo manifestè non perueniunt ad manifestam quietem, exceptis paucis. Calor fumosus, per moram tangenti quidem acris, postea cum humiditate quadam etiam vaporosus. Iudicatur præterea ex accessione: difficulter eius natura accenditur, vixque in calorem permutatur frigus: producitur aliquando, vt dictum est, ad horas 18. Atq; vbi desinit accessio, vestigia quædam febris relinquit, vt quibusdam continua credita sit. Accenditur sicut ignis in lignis viridibus, vnde accessionis spacium longius est 2. De Diff. feb. cap. 4. Noctu magis affligit vel post meridiem & præcipuè ad vesperam & noctem, non manè neque vsque ad meridiem. Quibus si iudicia à causis prægressis tum supradictis sumpta, diligenter iungantur & animaduertentur, facilius hanc febrem dignosces. Interim differentiæ quoque signorum notandæ, quæ enim ex pituita dulci vel insipida fiunt, cum partium extremarum frigiditate accessio fit: frigent interim magis in acida quàm in dulci pituita. Ex falsa magis horrent quàm rigent. Ex vitrea vt in epiala quoque rigent, in dulci quoque vomitiones & sputa dulcedinem præ se ferunt: in insipida nullum saporem: in salsa salsedinem persentiunt, & magis siticulosi sunt. Sed hæc omnia multò clariora exemplis fient.

Vide 3. De Morb. vulg. text. 6.

OBSER-

OBSERVATIO XXI.

De febre quotidiana intermittente mutata in hecticam & tabem, ac de altera transeunte in hydropem lethalem.

VXOR autigæ Ioannis Damiani, quæ Delphis ad murum, prope portam, qua ad Mosam iter, longo tempore decumbebat ex febre quotidiana intermittente, quæ sub vesperam inuadebat, & tota nocte apprehendebat, postea etiam die vt diurna magis (de qua in Scholio latius) spectaretur. Cum medicamenta non iuuarent, tandem ad hecticam deuenit, postea ad tabem & pulmonis vlcerationem, vt multis annis miserè vitam traheret mulier quantumuis vetula, quæ adhuc superstes erat, dum hæc scriberem, quamuis miraculi instar cadaueris mortui ita viuit, vt viuere non præstaret, cui è naribus tanta copia sanguinis fluxerit, vt vix dici queat, adeò vt eam ilicò morituram esse diceres, omnibus remediis tentatis nihil iuuantibus. At Christianus rusticus septuagenarius, post domum meam habitans, ad diuum Hieronymum quasi in tugurio, cum febre quotidiana correptus esset, & medicamenta etiam non proficerét, ad cachexiam crurium deuenit, mox ad hydropem lethalem, qua quum diu conflictatus esset frustra adhibitis remediis, tandem & hic quoque interiit.

SCHOLIA.

QVOTIDIANA *febris intermittens, ex quocumque humore generetur, longa est, & nõ sine periculo:* Prognostica. *vt liquet 1. De Arte curat. ad Glauc. cap. 8. Rhases quoque 10. Almansoris de quotidiana intermittente inquit,*

hæc ipsa febris multis moratur mensibus, & mortis suspicionem præbet; éstque ea, vt omnes alij referunt, periculosa, & vt summatim rem complectamur, febres phlegmaticæ cæteris paribus bilioſis & melãcholicis sunt deteriores: cùm autẽ in his lædantur & ventriculus & hepar & splen, facilè hac febre laborãtes in cachexiã & hydropem incidunt. Mutatur enim in alios affectus periculosiores: & ita si æger omni hora in hac febre quotidiana somnolentior euadat, ac grauitatem quandam circa caput senserit, caron seu subeth adfuturum notat, vti euenit iuueni qui in platea Flandrorum Delphis, lanionis filius, tandem mutus & stupidus decumbebat: cui enema iniicere non potuimus, amicis obstantibus: nam & hi quoque somnolentiores modò in stuporem, modò in lethargum conuertuntur, nisi medicamentis per inferius purgantibus ilicò succurratur, & cerebrum fortiter calidis exiccetur ac roboretur. Hæc quoque febris si diutius ægrum affligat in hecticam mutatur, vt huic mulieri suprascriptæ contigit, dispositione supra materiam vincente: ad hydropem (vt seni iam dicto euenit) materia supra dispositionem prædominante. Nonnunquam transit etiam in erraticam febrem, deinde & in quartanam, vti euenit Margaretæ Cornelij in insigni Rosæ, quæ à me egregiè, Deo opitulante, sanitati restituta fuit. Vbi verò quotidianæ principium est cum multis oscitationibus, stupore quodam, ac cum faciei liuore ac tumore, lethargum significat, in quem morbum facilè transit, sicuti mediocriter seni contigit in platea Diui Hippolyti decumbenti, qui & optimis remediis à me quoq. gratia diuina sanatus fuit. Quæ ex vitrea pituita fit, si nimium perduret, hydropem quoque minatur: Nam & illa quæ ex vitrea pituita fit omnium longissima esse solet, ac reliquis speciebus deterior, mortis suspicionem adferens, ob pituitam vitream, crassam muscilaginosamque: nam & hac decumbenti-

In quos affectus quotidianæ intermittentes transeant.

Vide plura de his apud Sauonarolã.

bẽtibus præcipuè dolor ſtomachi accedit, eò quòd in ipſo pituita plurimum augeatur & coaceruetur, & ideò ſi diuturnior (vti reliquæ omnes perdurãtes) in hydropẽ trãſmutatur. Nocturna magis diuturna, minúſque tamẽ periculoſa diurna, ſi in ea citius ſudor apparuerit, coctione præcedẽte, tum & minus quoque diuturna eſt. Quæ autem ex vitrea pituita eſt, vt nunc diximus, præter hoc quod ſit periculoſiſſima, etiãm valdè longa & diuturna eſſe ſolet & difficulter ſolubilis, vt conſtat lib. 2. De Diff. feb. cùm frigidus magis ac craſſus & tenax fuerit humor. Sunt autem febres quarum quædam interdiu tenent, nocte intermittunt, quas Hippocrates nocturnas & diurnas appellat, nocturnam illam, quæ nocte inuadit: diurnam, quæ die, eáſque videtur reducere ad quotidianas. Sed quæ videbatur Hippocrates (inquit Gal. Comment. 3. De Morbis vulgar.) nocturnæ tribuere laudi, hæc ipſa non minus vitio vertit, eò quòd non ſimpliciter dixerit, nocturna non eſt lethalis, ſed addiderit non admodum. Nam ſi non valdè eſt lethalis, liquet mediocriter lethalem eſſe. Diurnam autem non modò nocturna eſſe longiorem dixit, ſed etiam eſſe lethalem, cùm ad tabem vergat: vt vel ea cõditione ſit deterior. Partim enim quo tempore digeri & rareſcere magis ſolet, ſi conſtringatur corpus & conſpiſſetur, inuallẽs meritò videatur prauior: partim quòd tempus habet, quo conſuli ei debebat, incommodum. Quo enim oportebat tempore cubare, hoc cogitur ægrotus medico conſulenti dare operam. quæ cauſſa eſt, cur temporis diuturnitate marceſcant, tabeſcántque propter alterutrum, ſi cubent interdiu, ſomni defectu; ſi non cubent, quòd veſpertilionis vitam, & non hominis agant. Si verò exquiſita non fuerit quotidiana, breuior erit quàm exquiſita. Nam quemadmodum exquiſita tertiana (vt diximus) breuis temporis eſt, ſic quotidianæ ac quartanæ, cùm exquiſitæ fuerint, ſunt diuturniores, teſte Gale. 1. ad

1. De Morb. vulgaribus. Comment. 3. ſuper textum 2. & 6.

Glau.cap.8. Est itaq. quotidiana longa & nõ sine periculo, & Galenus ipsam non vidit in adolescente bilioso, vt prius dictum est. Præterea quæ antea in medium adduximus de præsagiis quotidianæ continuæ. Huc quoque transferri possunt: interim sciendum quod quotidiana intermittens pura ex phlegmate puro durat vt plurimum vsque ad quadraginta dies, quandoque adtres menses. Si intra 14. diem terminetur, vel non diu post, id non contingit ex qualitate materiæ, sed ex quãtitate diminutæ, maximè si tũc in principio venæ sectio (modò signa plethoræ adfuerint) præcesserit, quantumuis parca, vel euacuatio fortis, si plurima quoque quaque die excernantur circa paroxysmum quemlibet, nempe fluxu ventris, sudore, aut vomitu. Secundum alios (vt etiã Guainerius recensuit) terminus quotidianæ est 44. dierum, & secundum nonnullos 64. Quidam verò ad sex menses extendi volunt ob materiæ crassitiem, viscositatem & multitudinem. Signa tardæ coctionis in vrina, vel si citò vel tardè appareant, paroxysmi quoque productio vel alleuiatio febrem hanc longam vel breuem ostendunt. Si paroxysmi statim à principio ægritudinis anticipent, breuiorẽ sq. euadant breuiorẽ ægritudinẽ decernunt: contrà, si tardentur, si in statu eodem permaneant, non præcedente aliqua sensibili aut insensibili euacuatione, materiæ quidem crassitiem & morbi longitudinem præsagiunt. Quamobrem si hic virtus quoque deficiat, & appetitus deficiatur, mortem expectare oportet. Si itáque paroxysmi anticipent, est augmentũ: si postponatur, & euacuatio præcesserit copiosa sensibilis, est declinatio. Sin autem æqualiter procedant, & signa coctionis perfectæ nondum apparuerint, & accidentia maligniora accrescant, statum adesse iudicabis, & periclitabitur æger, eò quòd signa coctionis non appareant. Quod si antea apparuerint, & virtus sit fortis, minus timendum est. Atque hæc ipsa sicut locum habent in tertiana

aut quar-

aut quartana intermittente, ita & in quotidiana breuitas paroxysmorum, & sudor copiosus breuitatem febris ostendunt. Et quibus euenerit vomitus in principio accessionis, & sudor multus in fine eius, citò ægritudo terminabitur, cum obediẽtia materiæ ac virtutis robur inde iudicantur. Et ita breuitas atq. leuitas paroxysmorũ seu alleuiatio temporum suorũ decernunt febrem fore breuis ac citæ terminationis & sanationis. Cùm autem materia incipit digeri, mitigantur accidentia, & vrinæ calor mutatur, & accedit hypostasis melior. Si autem sæpe contigerint sternutationes post statum ægritudinis, bona signa sunt: quia indicant virtutem expulsiuam fortem esse. Si quotidiana laborantes in declinatione patiantur inflationem pedum & tibiarum, ne mireris, modò alia bona adfuerint signa. Tunc quidem à nimio potu & cibo abstinendum: & bonum est vt æger sudet, & vt virtus digestiua tunc roboretur. Conualescentes effrenati, vel non bene gubernati, à quotidiana sæpissimè molestantur. Debilis enim virtus digestiua & cibi potus immoderata assumptio, pituitã augmentare faciunt. Cùm & in his febribus (vt dictum est) totum corpus crudis humoribus scateat, ætatibus, naturis, anni temporibus, & temperaturis humidioribus frequens, tum pueris & natu minoribus & ex grandioribus pituitosis magis, corporisque habitu crassiore, vitámque agentibus otiosam, gulæ indulgentibus, ebrietati, balneis crebris deditis, & cibo plus iusto vtentibus. Et quemadmodum longas febres, ita quotidianam sequuntur hypochondriorum & stomachi cruditas, inflatio ac tensio. At illa quotidiana magis salua ac tuta censetur, quæ multi sudoris est, & in qua materia vniformis est, eáque securior in quo vomitus præcesserit, sudórque emanans: significatur enim materia non admodum viscosa, sed naturæ robori satis obediens, & quod venarum ac cutis meatus plusquam sint aperti. Vbi enim in principio humor fuerit valdè crassus, vis-

Febris quotidianæ breuitatem quæ ostendant.

ſus, viſcoſus, ægri ætas ac temperatura pituitoſa, virtus deiecta & natura debilis, acceſsio longa, cùm nullo aut pauco ſudore, ventriculi imbecillitate, ſomnique profunditate (vt dictum eſt) mors eſt prædicenda. Ideo hæc ipſa qualiſcumque fuerit ob periculum quod imminet diligenter curanda eſt. Interim illa quæ ex pituita dulci naturali & maximè benigna fit, reliquis tutior eſt: magis autem ſi tempora munda in ſua interpolatione habuerit, & ab accidentibus prauis libera ſit, vt à ſyncope, ab appetitus deiectione, capitiſque grauitate & ſimilibus. Quæ verò ex pituita ſalſa eſt, eadem quoque periculoſior. Neque ea quæ ſit ex acida pituita negligenda, cùm hæc ipſa magis in erraticam & tandem in quartanam ob ſimilitudinem phlegmatis acetoſi ad humorem melancholicum tranſeat. Nunc aliud exemplum curationis proferamus.

OBSERVATIO. XXII.

De febre quotidiana intermittente non diu perdurante.

FAMVLA illius viri ditiſſimi & cognati noſtri Andreæ Guilhelmi de Oeſthoren, annos viginti duos nata, propria temperatura pituitoſa, alba, craſſa, ſatisque obeſa anno 1547. menſe Nouembri, quotidiana febre intermittente corripi cœpit. Huic frigus leue in extremis partibus oboriebatur, cuius ſenſus (vt in cæteris quotidianis intermittentibus) primum ferè à ſummis digitis manuum ac pedum, itemque à naſo incipiebat, cui & vomitus aderat pituitoſus, calorque febrilis lentè admodum & paulatim increſcebat, hebes, humidus, fumoſus, vapore miſtus, ſed vigente acceſſione aliquantulum mordax & acer euadebat, ſemper tamen is ipſe inæqua-

liter

liter percipiebatur, frigoris interdum permixtum sensum exhibens. Insuper accedebat dormiendi penè inexpugnabilis necessitas, nihilque primis diebus sitiebat, nihil sudabat, nihilque ferè de febricitatione intermitti videbatur. Pulsus inordinatus erat, plusquam in aliis febribus, inæqualis quoque & tardus, paruus, ac debilis, verùm postea creber euasit, minus tamen quàm in aliis febribus; æquè tamen atque in quartana velox. Ventriculus assiduè & satis huic dolebat, aluus quoque liquida & cruda subinde deiiciebat, vrina initio alba, tenuis, mox crassa & turbulenta, postea etiam rubra, crassa turbidaque visa est. Corpus maximè hebescebat, & graue admodum erat. Ipsa quoque accessio octodecim ferè horas perdurabat, tandem post aliquos paroxysmos finiens sudore. Quæ quidem signa cùm obseruassem, atque quotidianam esse cognouissem, victu moderatè incidente præscripto, ad curationem peruenimus sumpto initio à materiæ communis eductione hoc modo. ℞ cassiæ recens tractæ ʒ j. elect. hyerę picræ simplicis ʒ j. ß. fiat bolus, quo aluus satis fluida facta est; pro materiæ interim coctione & incisione hos syrupos sequentes ebibit. ℞ oximellis simplicis, mellis ros. colati ana ʒ j. ß. aquar. cichor. fœniculi, petros. ana ʒ ij. misce. Deinde pro aqua cichor. aquam origani accepimus, & pro maiori coctione & incisione hos syrupos sumpsit. ℞ oximellis squillitici, oxymellis simplicis, mellis ros. colati ana ʒ ij. aquar. apij, petros. fœniculi ana ʒ iiij. misce, pro quatuor vicibus sumẽdis. Postea hoc purgans medicametũ propinauimus. ℞ diacatho. ʒ vr. diaph. ʒ ij. dissolue cũ aqua hyssopi, fœniculi, apij, maioranę ana ʒ j. oximel. squillitici ʒ ß. misce. cœpit in aurora, cùm minus febricitaret

taret & pluſquam ſexies multa pituitoſa deiecit. Die vno atque altero intermiſſo vel interpoſito, cùm ad vomitum per ſe procliuis eſſet, vomitorium lene ebibit poſt cibum aſſumptum, quod ſequitur. ℞ oximellis ſimplicis ʒ j. oximellis compoſiti ʒ ß. aquæ hordei mundati ʒ v. tepidè cùm totum ſumſiſſet, plurima pituitoſa euomuit cum alleuiatione haud exigua. Rurſus decoctum incidens & præparans ac concoquens præſcripſimus & cum infuſo agarici, ſenę & decocto aperiente denuò eandem purgauimus. Poſtremò ad vrinam euocantia deuenimus, radicibus apij, fœniculi, petro. hyſſopo, abſinthio, decoctis in aqua ad tertias, adiecto exiguo zaccharo ad ſaporem. ventriculum inunximus oleo maſtichino, menthaceo, & maceris. quibus remediis tandem febris eam reliquit. Interea dum conualeſceret, electuario in tabulis concinnato ex ſpeciebus aromatici roſati commodè vtebatur, & perfectè ſanata eſt.

Scholia.

Vomitus.

Cvm in hac febre materia multa eſt, neque corrigi poteſt, ideo damus lenientia in principio, quæ vim habent expurgandi ſuperfluitates pituitoſas. quam ob cauſam, ſi æger eſt procliuis ad vomitum, conducit exhibere ſucci raphani ʒ j. oximel ſimpl. ʒ j. ß. iuris pulli tepidi ʒ viii.

Leniens medicamẽtum.

vel ſex. Si materia ſit fluctuãs in ſtomacho vel in inteſtinis ſuperioribus, commodè exhibemus ʒ iij. mellis roſ. ſolutiui. Galenus dabat aquam mellis cum hyſſopo etiam ad detergendum. vel exhibeatur caßiæ ʒ. j. elect. indi maioris ʒ j. ß. Pro ſtimulo vel eius loco adiiciatur exiguum agarici trociſcati. Si materia ſit in inferioribus inteſtinis, iniiciatur

Clyſter.

clyſter ex decoct. maluæ, mercurial. & furf. ℔ i. mellis roſ. ʒ iij. ol. communis ʒ iij. ß. ſalis ʒ j. vel vt validior ſit,

adde

adde ℥ j. vel ℥ j. ß. succi mercurialis. Curtius in decoct. adiiciebat carthamum. Syrupi sunt deinde incidentes, primò leuiores vt acetos. simpl, è corticibus citri, mel. ros. aquæ fœniculi, borag. capill. ven. Interea clysteres iniici poterunt ex decocto supradicto, adiectis flor. chamomillæ & oleo chamæmelino, diacathol. vel hyera picra simplici. Aëtius, Paulus, & Oribasius, quod acceperant à Galeno, primis diebus dabant oximel. Prodest & syrup. de betonica. Paulatim ad vehementiores accedemus ad Bisantinum, de duabus aut quinque rad. ad. oximel compos. syrup. de hyssopo, de stœchade, cum decoctis proportione respondentibus: vt saluiæ petros. fœniculi, hyssopi: interim si metuamus calorem febrilem cichoracea addemus: ratio quoque habenda nunquid à cerebro originem habeat, tunc non desistemus à betonica, à stœchade. Si à ventriculo, pulegium, si opus est, addemus vel calamintham, attamen septima die transacta. Purgabimus verò cum diacatholico, elect. de dactylis cum polypod. decocto, adiecto agarico, subinde etiam rhabar. melle acreo, aut syrup. ex multis infus. ros. vel pilulis aggregatiuis, vel stomachicis aut ex rhabar. & hiera, vel agarico trocis. prout videbitur commodum. Si stomachus afficiatur, pillulis mastichinis: si caput, cochiis in exigua quantitate; & febre procedente ad statum clysteribus fortioribus vtemur, benedicta laxatiua adiecta, vel diaphœnico vel in decocto ponendo turbith. carthamum, hyssopum. Vltimò expurgamus quoque materiam per vrinam cientia & sudorem, cum decocto apij, hyssopi & syrupis supradictis: sudorem etiam prouocamus frictionibus, inunctionibus ex oleo chamæmelino, exiguo vino aromatico adiuncto ad penetrationẽ, nõ quidẽ à principio, sed postea, vt 12. Meth. 3. à partibus inferioribus incipiendo ad superiores cum panno aspero, vt caro calefiat. deinde inungendo cum oleo iam dicto rarefaciente: Galenus sabino vtebatur. Post inunctionem de-

Syrupi.

Purgatio.

Vrinã scientia & sudorem prouocantia.

nem detergendum, mox denuò fricandum, sic enim materia diuertitur, quæ syncopem in hac febre efficere posſit.

Ventriculi roboratio.

Istis euacuationibus peractis oris ventriculi ratio habenda est inungendo cum oleo nardino, mastichino vel similibus. adhibenda quoque sunt emplastra, sacculi, vnguenta: at non in principio, ne materiam attrahant, & inflammationem generent, ac febrem augeant vt habetur 2. Meth. cap. 15. quæ non applicentur nisi ex parte digesta materia atque educta. At summatim quinque intentionibus hanc febrem curabimus. Primo, cum regimine (vt vocant) sex rerum non naturalium. Secundo, cum crassi humoris incisione. Tertio cũ euacuatione. Quarto, cum vrinæ & sudoris prouocatione. Quinto, cum symptomatũ remotione, & membrorum roboratione. Prima intentio vt iam ostendimus perficitur cum attenuantibus cibis & incidentibus, primis diebus tenuem adhibentes victum, in processu crassiorem: quanquam in his, tum in aliis rebus non naturalibus, certa regula dari non posſit, cùm inter salsam & crudam pituitam, inter dulcem & acidam magna differentia est: & ideo vt Trallianus dicebat non in omnibus debemus vti attenuantibus; qua ratione & Galenum carpebat, sed malè, cùm Galenus j. ad Glauc. non de qualibet febre quotidiana intermittente mentionem facit, sed de ea quæ exquisita est ex materia pituitosa, crassa & viscida: Alexandrum quoque refellit Donatus. At secunda intentio completur vt ex supradictis constat, clysteribus lenientibus, syrupis incidentibus superius scriptis. Tertia cum agar. trocis. rhabar. confectione de turbith. diaphœnico elect. indo. Quarta quæ erat vrinæ prouocatio & sudoris, aliqui his in fine theriacam exhibent, quamquam in quartana potius conuenit non in principio, sed in fine. Quinta erat symptomatum correctio. ventriculus & hepar hic debilitantur. Galenus circa statum vtitur inunctionibus supradictis pro stomacho, &

Accidẽtium correctio.

cho, & in declinatione ad debilitatem hepatis vtemur speciebus diarod. abb. & fomentis externis, si opus est. Adest hic frequenter in hac febre vomitus, qui nullo modo est inhibendus, si non excedat; tunc per frictiones & ligationes pedum materiam diuertemus. neque tunc danda est mulsa nisi cum cremore ptisanæ vt docet Gal. 12. Meth. cap. 3. & si perseueret æger, nutriendus halicæ sorbitionibus, & reliqua ab auctoribus scripta peragenda. Adest similiter aliquando in istis febribus dolor capitis, qui si ægrum valdè infestet, fortibus frictionibus deorsum trahendo, & ligationibus membrorum extremorum diuertemus, vel cucurbitulas siccas spatulis apponemus. Dolore perseuerante Auic. embrocha supra caput vtitur ex aquæ chamæmeli. Aliquando in harum febrium principio est ingens frigus, potissimum si fiant à pituita vitrea: tunc per duas horas ante paroxysmum vtemur fortibus frictionibus. Alij aquam calidam in potu dant, & inungunt oleo costino post frictiones, & deinde abstergunt alio qui obstructionem infert. Hic quoque appetitus plerumque deiectus est atque is reuocandus oliuis conditis, capparibus, moderatè tamen sumptis. Si adfuerit viscerum obstructio, ea aperienda erit. Si sequatur cachexia, hydrops, curationem ex propriis locis petemus. Lapis ætites (Tralliano teste) corpore alligatus ad quotidianas facit. Hæc de curatione quotidianæ intermittentis generaliore modo dicta sufficiunt: particularis verò curatio ex subsequentibus exemplis magis innotescet.

OBSERVATIO XXIII.

De quotidiana febre intermittente ex pituita insipida.

MVLIER quadraginta annorum vtcumque obesa, & pituitosa, sub finem Autumni, aëre

valdè nebuloso ac pluuioso existente catharrum incurrebat, mox etiam febre quotidiana intermittente correpta est, à pituita insipida, os saliua madebat insipida, nulla sitis aderat, sub noctem febris inuadebat, cum lento frigore: pulsus huius erat mollior, quamuis tardus, calor exiguus, & subinde phlegma insipidum euomebat: debilitas etiam ventriculi hanc febrem comitabatur, tussicula quoque leuis aderat; quæ ex catharro prius orta fuerat. Hæc cùm animaduertissem, in curatione morbi causam tollere nitebar, quàm morbum ipsum, quod in febribus biliosis minus conuenit, quàm in pituitosis. Ideo ad septem pluréue dies victu tenui vtebar, iure pulli cum modico pane intrito; in progressu verò vt in præcedente febre ad paulo pleniorem victum accedebam. Pro materiæ digestione, materia communi prius educta, cum ʒ j. electuar. lenitiui, vtebar potius decoctis digerentibus, quàm aquis distillatis, cum syrupis hunc in modum, habendo etiam rationem catharri, & tussiculæ. ℞ vngulæ caballinæ, hyssopi, betonicæ, cichor. capill. Ven. pellitrici ana m. j. liquiritiæ rasæ ʒ ß. vuar. passul. ab arill. mundat. vuar. corinthiac. ana ʒ ß. iuiubar. ana num. v. hord. mund. p. j. se. fœniculi, anisi, cucumeris ana ʒ j. fiat decoctio in aqua communi pro ʒ ix. colaturæ adde syrup. capill. Ven. mellis ros. ana ʒ j. ß. misce, pro iij. dosibus. Postea ita illam purgauimus. ℞ folior. sennæ Alexand. ʒ vi. Agarici fœmini, albi, leuis ʒ j. ß. sem. anisi ʒ ij. zinz. albi ϑ j. infunde per noctem in ʒ ix. decoct. pectoralis, facta prius leui ebullitione, manè fortissimæ expressioni adde syr. capill. Ven. oxymellis simplicis, syrup. de liquir. ana ʒ ß. misce. & medietatem vna vice sumpsit, post duos dies reliquum, & mul-

& multa pituitosa excreuit,& tussicula sedabatur. Interim pro catharro fiebant frictiones brachiorum ad diuertendum. & quia ventriculi aderat imbecillitas, cùm rursus ventrem non deponeret, accepit pilulas sequentes. ℞ pilul. aggregat. de hiera simpl. ana ϑ j. pilul. mastich. ϑ ß. cum aqua betonicæ fiebant pilulæ quinque. Deinde capiebat ius cicerum pro absterſione. postremò ad ea quę vrinam euocabant peruenimus, ad decoctum hyssopi, rad. fœniculi, apij, petrosel. bruſci, graminis, & pro sudore euocando dedimus ʒ j. theriacæ optimæ cum ʒ iij. vini Rhenani. Vltimò stomachum roborauimus cerato stomachico, & sacculo ad modum scuti parato ex absinthio sicco, mentha, rosa. rub. se. coriand. macere, & caryophyllis. Dando etiam aromatic. rosa. cum diarod. abb. Quibus remediis hæc ipsa mulier sanitatem consequuta est.

SCHOLIA.

OPORTET *cùm de febre quotidiana intermittente agitur, seu de febre pituitosa, diligenter animaduertere in quo genere pituitæ febris incenditur. Nam ex eo, & curandi ratio euariat, & præsagium certius instituitur. Græci ferè in genere de febre quotidiana scripserunt. Arabum familiæ plenius distinxerunt. A phlegmate igitur naturali fatuo (qualis hæc febris erat) præter signa iam dicta, de Quotidiana febre in genere hæc adsunt: saliuatio, vrina citrina vel alba & spissa, pulsus tardus, rarus, nullus saliuæ gustus, grauitas capitis. Quod ad curationẽ attinet, omnes species quotidianæ in principio in tribus rebus communicant, vt etiam dicebat Antonius Gradus, in lenitione aut vomitu, in administratione subtilium, & incidentium, diuerso tamen modo: nam aliter curatur illa quæ est ex pituita naturali fatua, aliter ex innaturali:*

Lib. De Fe. cap. 12. de feb. quotidiana.

Dif. 2. tract. 3. De Feb. cap. 2. De curatione feb. phlegmaticæ interpolatæ à pituita.

turali: in hac aliqui curationem incipiunt ab iniectione enematis, si aluus excrementa non deiiciat: quorum copiam vide apud Guainerium, & apud Fontanum, qui ab eodem sua remedia mutuatus est. Pro purgatione leni vel minoratione materiæ infundit ʒ j. turbith - ß. agarici, zinzi ϑ j. spicæ salis ana gra iij. in aquæ lactis ʒ iiij. & oxymellis simplicis ʒ j. parum bulliant, & fiat expreßio addendo cassiæ aut mannæ ʒ j. vel minus; & fiat potus. habes ibidem pulueres, & pilulas, tum syrupos digerentes & apozemata, atque medicamenta solutiua, tum roborantia. Verùm id quidem notatu dignum est quod ad purgantia attinet pharmaca, leniora, vt cassia, thamarindi hic non laudantur adeò à quibusdam: quia stomachum offendunt & tantùm quod est subtile euacuant. Itáque aloe, turbith, carthamo tum aliis quæ ab ipsis scribuntur, vti malunt. At in quotidiana inueterata quæ nec concoquentibus, nec soluentibus medicamentis vinci potest, vtile est theriacã veterem exhibere (vt in hac muliere postremò fecimus) tribus aut quatuor horis ante prandium, vacuo ventriculo, & reiectis excrementis primæ concoctionis, cum vino tenui albo quidam exhibent, quemadmodũ & nos fecimus. Conuenit & vinũ absinthite in declinatione sumptum. Plura vide apud autores iam dictos, quibus & adiunges etiam ea quæ Rondeletius & Holerius De Curatione harũ febrium annotarunt.

Ad quotidianam inueteratam.

Observatio xiiii.

De febre quotidiana intermittente ex phlegmate dulci.

Gvilhelmvs Herendalius monachus Franciscanus, in otio viuens, vt alij monachi ferè solent, febre quotidiana intermittente ex phlegmate dulci, autumnali tempore, anno 1549. dum adhuc Alcma-

Alcmariæ praxim exercerem, correptus est: aderat huic capitis dolor grauis, os minimè amarum erat, sed dulcedinem in ore percipiebat, siti non infestabatur, cum minore frigore incipiebat. Ad hunc (cum huic monasterio vt medicus inseruirem) accitus post quartum diem lenitiuum sequens propinaui. ℞ diacath. ʒ vi. diaphœnici ʒ ij. dissolue cū ʒ iij. ß. decoct. communis mellis rosacei ʒ j. misce, fiat potus. sumpsit in aurora ex quo cùm bene excreuisset, die vno atque altero intermisso, cùm lotium rubrum spectaretur, & sanguine nonnihil abundare videretur, sanguinem detrahere iussi ex vena media (quæ melius apparebat) in brachio dextro, at in quantitate exigua. Altero die sequens decoctum præscripsi. ℞ fumariæ, summitatum lupul. bugloss æ, borag. cichoreæ ana m. j. lupulorum, cardui benedicti (quem longa experientia edoctus sum ad quotidianam valere, quamuis vulgares perperam ad omnes febres vtantur) m. ß. betonicæ, scabiosæ, endiuiæ ana m. ß. florum stœchados vtriusque (ob dolorem capitis) florum rorismarini ana p. j. rad. fœniculi ʒ j. liquir. rasæ ʒ ß. seminis anisi ʒ j. ß prunor. damas. num. xiii. iuiubarum, sebesten ana num v. coquantur in aqua communi pro ℔. j. ß. colaturæ addendo oxymellis simplicis, syrupi acetosi, mellis ros. colati ana ʒ j. syr. de duabus rad. è stœchade ana ʒ ß. misce. decocto ebibito tandem illum hoc modo purgauimus. ℞ diaphœnici, diacathol. ana ʒ ß. dissolue cum ʒ iiij. aquæ betonicæ, & fiat haustus. quem summo diluculo capiebat, quo copiosè admodum pituitosa & varia egessit. Pro capitis dolore, inungebat frōtem ac tempora vng. alabastrino, quod egregiè profuit. Postremò ad roborationem viscerum tum vētriculi ex con-

dito sequenti vtebatur. ℞ conſeruæ borag. anthos, roſ. ana ℥ ß. conſeruæ bugloſſæ, viol. betonicæ ana ℥ ij. ſpec. diarod. abb. ℈ ij. ſpec. arom. j. roſ. ℈ j. ß. cum oxyzach. compoſita q. ſ. fiat conditum. Alij vtuntur trochiſ. de roſ. vt Guainerius, iubetque vt ex eo cinnamomo & zacch. adiecto morſelli fiant. Ventriculum inunximus oleo nardino, maſtichino, ex cotoneis, & abſinthino ſimul mixtis. Atque his remediis tandem ſanus factus eſt.

SCHOLIA.

DICTVM eſt prius quod alij hanc febrem ad legitimam quotidianam intermittentem referant, alij ad notham; cum hæc pituita paucum ſanguinem admixtũ habeat, quæ etiam facile in ſanguinem mutatur, & ideo vix à naturali pituita diſtat, ita vt pro naturali ſubinde ſumatur, & ideo hanc ipſam volunt eſſe legitimam, vel huic valdè propinquam, licet breuior eſſe deſcribatur quàm ea quæ fit à pituita inſipida, ita vt eadem ferè ſit curatio: non deſunt alij, eò quòd hæc cũ minori frigore incipiat in principio paroxyſmi, quàm illa quæ fit ex pituita inſipida, quam veram eſſe volunt: cùm enim phlegma dulce (vti aiunt) fiat ex commixtione ſanguinis, vel quòd ex digeſtione acquirat hanc dulcedinem, minus frigidum naturali exiſtit: hinc quoque cum minore frigore hæc febris inuadit, & in ea plerumq. vrina rufa vel ſubrufa magis quàm in præcedente apparet: cuius ſubſtantia per totum ſpiſſa, parum ſuperius obumbrata, ob ſanguinem, cernitur. Circa mediam noctem plerumque affligit inter horas phlegmatis & ſanguinis, calor quoque in hac (veluti frigus) lentus eſt: quia materia non eſt ita frigida & humida, vt magnum frigus inducat; neque ita calida & ſicca, vt rigorem inferat; neque ita frigida & ſicca, vt horripilationem

vel

vel horrorẽ producat. Adest oris dulcedo, coctionis corruptio, ciborum sumptorum putridus & fumosus ructus, tanquam ex ouorum putridorum comestione, fœtor quoq. nimius excrementorum, capitis grauedo, sputi ac saliuarum dulcis abundantia, quæ omnia huic monacho aderant. Curatur ferè vt legitima insipida, quamuis in hac etiam venæ sectio adhibetur, vrina existente crassiore & rubicundiore, maximè si sanguis videatur abundare. Et hic quæstio suboriri solet nunquid venæ sectio in febre quotidiana intermittente conueniat, cum Galenus j. ad Glau. cap. proprio eam omiserit, nec de ea mẽtionem facit. Ratione pituitæ non conuenit, multóque minus quæ fit ex pituita crassa & viscida aut vitrea; neque videtur conuenire in insipida ac dulci, quia dulcis non multum recedit à natura sanguinis. ideo potius purgatio conuenit, nullo modo in vitrea. Præterea quia hæc febris maximè contingit in hyeme, in corpore senili, in pueris, in debilibus; ideo indicatio sanguinis in talibus locum non habet: quia virtus, temperatura & anni tempus prohibent. Alij tamen, vt Guainerius, in ea quæ fit ex pituita insipida vel dulci, si virtus sit fortis, & illi qui Arabum decreta sequuntur, si vrina sit rubra, crassa, admittunt. At Paulus, Galenus, Aëtius, Alexãder, de ea non meminerũt. Et Actuarius lib 3. suæ Method. cap. 20. ait, Quotidianam, quæ à pituita ortum duxit, neque venæ sectione (nisi aliquid vrget) nec refrigerantibus compescere oportet. Asserimus autem nos, quatenus quotidiana sit ab humore frigidiore, venæ sectionem non desiderat. Hinc Galenus neque citati authores Græci eam præceperunt: vbi verò aliquid vrgeat (vt dicebat Actuarius) potissimum si cum pituita sanguis abundat, & viribus valentibus ac reliquis omnibus consentientibus, sanguinem mittere conuenit, vniuersalissimo præcepto ipsius Galeni j. Method. medendi cap. 15. Ad hæc, si morbi magnitudo adsit cum virium robore, mittendus siquidem

Curatio.

De Venæ sectione.

Auicenna j. 4. tract. 2. cap. 55.

dem sanguis est, vt idem inquit lib. De Venæ sect. quibus scopis præsentibus (vt ipse refert) nulla esse potest crudorum humorum tanta talisque plenitudo, quæ hoc inhibere auxilium possit. Venam itáque secare interdum non inconuenit pro quotidianæ curatione, modò vires ac cetera omnia quæ requiruntur pro venæ sectione, eam non prohibeant, haudquaquam tamen copiosus mittendus est sanguis: leuata enim per eam natura, atque exonerata eo, quo veluti sarcina premitur, haud ægrè, quod reliquum est, concoquet ac vincet. Hinc quoque Antonius Gradus etiam in quotidiana notha ex phlegmate salso de venæ sectione etiã mentionem facit, quam iubet fieri si virtus sit fortis, & alia consentiant, in æstate ex basilica dextri brachij, & sinistri in hyeme. vide eundem tract. De Feb. cap. 13. vbi etiam ponit curationem à phlegmate dulci, pro purgatione benedictam taxat, non laudat nisi in hyeme & quando phlegma esset in renibus. Et consules Guainerium De Feb. Diff. 2. tract. 3. cap. 2. in quo curationem ponit tam à phlegmate insipido, quàm dulci.

OBSERVATIO XXV.

De febre phlegmatica seu quotidiana intermittente ex pituita acida, seu melancholia cum pituita.

ADRIANVS Almerus faber ferrarius, qui in platea lata Aggerina dicta Alcmariæ commorabatur, facie admodum pallida ac alba (quod rarum est in fabro ferrario igni perpetuo assidẽte) homo pituitosus ac nonnihil melancholicus, natus annos triginta sex, tempore verno, anno 1546. in testiculorum inflationem incidit, mox febre quotidiana intermittente correptus est: inuadebat autem hæc febris quoti-

quotidie post meridiem versus noctem cum ingenti frigore, ita vt ægrotus sibi ossa frangi putaret, quod propter melancholiæ grauitatem eueniebat, incipiebat autem tẽpore serotino, vt diximus, affligere inter horas phlegmatis & melancholiæ. Melancholia enim ab hora diei nona vsque ad horam tertiam diei affligere consueuit, quemadmodum pituita ab hora noctis tertia, vsque ad horam noctis nonam. Sanguis verò ab hora noctis nona vsq. in horam diei tertiam; bilis ab hora diei tertia, vsque in horam nonam diei. Hæc itaque febris cum ingenti frigore vel horrore aut horripilatione inuadebat,& hoc ob phlegma acetosum proprietatem habens cum melancholia: ideo horrorem inducebat & cum calore lento procedebat; aderatque sapor acidus in ore,& capitis grauedo,ventriculi indigestio, & hypochondriorum inflatio, hinc & facies pallidior more solito ob malam coctionem, vnde necessarius sequebatur malus color. Vnde medici inferre solent si videãt aliquem malè coloratum, quod talis necessario malè digerat: cum in pituita acida excessiuè superabundante duæ qualitates principales peccent, non est mirum si color in contrarium permutetur. Hæc cùm animaduertissem,minimè hæc febris negligenda erat, cùm hæc ipsa ob acidam pituitam facilè transeat in erraticam, aut quartanam. quamquam nunc in vere minus hoc timendum erat, quàm si in autumno fuissemus, & ideo quoque minus longa fuit: alioqui hæc ipsa cùm hic pars melancholiæ sit admixta, valdè longa esse solet etiam cum appetitu canino subinde. At hic breuior fuit ob vernum tempus, quemadmodum existimauimus. Ad hunc igitur accitus, hunc syrupum pro ij. vicibus sumendum præscripsimus. ℞ syrup. de fumoter-

motertæ ℥ ij. oxymel. ſimplicis ℥ j. aquæ fœniculi, ſcabioſæ, hyſſopi, ana ℥ ij. miſce. deinde etiam ſequentem, ℞ oxymellis ſimplicis, mellis roſ. colati ana ℥ j. ß. aquæ bugloſſ. ℥ iiij. aquæ abſinthij ℥ ij. miſceantur, & adiecto cinnamomo ori gratiora reddantur clareti inſtar, quibus per biduum ægrotus diluculo vtetur. Hoc medicamentum purgans ebibit ſummo manè. ℞ diacathol. ʒ vi. confect. hamech. ʒ ij. cum ℥ iiij. decoct. pectoral. fiat potio. qua quatuor ſedes copioſas habuit. Deinde pro vlteriore materiæ digeſtione capiebat ſyrup. ſequentem, ℞ ſyrupi de epithymo, oxymellis ſimplicis ana ℥ j. ß. aquæ bugloſſæ, fœniculi, abſinthij ana ℥ ij. clarificetur & aromatiſetur vt ſuprà. deinde iterum purgauimus cum pilulis ſubſequentibus. ℞ pilul. de agarico ℈ ij. pilul. indarum ℈ j. cum aqua bugloſſæ fiant pilulæ vii. quibus aluum probè egeſſit. ſequentibus deinde diebus ex condito ſumebat omni hora indifferenter. ℞ conſer. borag. bugloſ. ana ℥ ß. corticum citri conditi ʒ iij. conſer. roſ. ʒ ij. elect. de gemmis, ſpec. lætitię Gal. diarod. abb. ana ℈ j. cum ſyrupo de corticibus citri, fiat conditum. in fine ac in declinatione huius febris conceſſimus cappares, oliuas conditas, aſparagos, & radices petroſ. Interim poſt primam purgationem teſticulorum inflationi hæc appoſita fuere, ℞ florum meliloti, chamomillæ, ana m. j. ſem. maluæ ℥ ß. coquantur in aqua ad mollitudinem, piſtentur addendo farinæ fœnug. farinæ hordei, fabarum ana ℥ j. ſe. aniſi, fœniculi, cumini puluerisat. ana ʒ ß. olei chamomilli, lilior. lini, anethini ana q. ſ. redigantur ad formam cataplaſmatis, & teſticulis admoueantur. quo remedio inflatio ex parte ceſſabat, duritie tamen nonnihil permanente. quare & hæc infra ſcripta impoſita

posita fuere. ℞ muccag. semin. lini fœnugræci. altheę extract. cum decoct. capitum liliorum alborum ana ʒj. farinæ hordei, farinæ fabarum ana ʒj. olei lilior. q. s. ad emplastri formam, cera adiecta vt melius cohæreant, testiculis applicentur. quo remedio testiculi ad naturalem formam redierunt: & febris eum quoque tandem reliquit supradictis medicamentis adhibitis.

SCHOLIA.

HÆC febris cùm sit à phlegmate melancholiæ permixto, secundum mistionis varietatem curatio ipsa etiam instituenda est. Præter ventris lenitionem siue per enemata, siue per potiones, ea ipsa poterunt adhiberi, sicuti & venæ sectio, si opus est, & aliquid sit quod vrgeat, interea syrupi, tum solutiua pharmaca non solùm pituitam concoquant & vacuent, sed & melancholiam, procedendo gradatim, à minimis incidentibus ad magis incidentia & aperientia: quorum medicamentorum copiam si desideres, si exemplum huius obseruationis præcedentis tyronibus non satisfaciat, legant cap. 4. Guainerij Diff. 2. tract. 3. De Febribus, De Curatione febris phlegmaticæ à phlegmate melancholiæ permixto. Vel 4. lib. De Curat. morb. internorum. cap. 13. apud Fontanonum, qui magna ex parte suæ remedia à Guainerio mutuatus est, in quibus locis curatio huius febris ex professo tractatur.

OBSERVATIO XXVI.

De febre phlegmatica quotidiana intermittente, à pituita mista cum bile, hoc est, à phlegmate salso.

NANNIVS Forestus frater mihi charissimus, vtriusque Iuris Licentiatus, iuuenis doctus, anno 1557.

no 1557. in febrem quotidianam intermittentem ex pituita salsa incidit, mense Augusto, eo tempore cùm ipse in Brabantia agerem vnà cum vxore. In principio sui morbi nullos consuluit medicos, nisi cum per decem dies febricitasset, & vnà cum febre diarhœa laboraret, Alardum Cœltuntium, medicum iuniorem, qui tunc ex Italia venerat, ad se vocauit. At medicus cùm decreuisset illum adhuc velle purgare, vt pote debilis, metuens dysenteriam, medicum dimittebat. Interea cùm domum rediissem, ac eundem accessissem, illum ipsum inueni ex longo fluxu viribus planè destitutum, ac febre quæ quotidie ad sexdecim dies inuaserat, debilitatem magis inferente, cui & ventriculus debilis ex morbi longitudine accesserat. Cùm autem quotidie typum habebat cum horrore quodam, cùm tertianæ solent cum rigore inuadere, intellexi non tertianam duplicem esse, sed quotidianam intermittentem ex pituita salsa, in qua horrificus motus apparere solet: Deinde cùm in hac febre fluxus symptomaticus adesset, noluimus tamen eundem restringere neque etiam mouere, sperantes quòd febris per hunc fluxum tandem finiret, cùm fluxus esset partim biliosus, partim pituitosus, cum salsedine quadam: nam & expuitiones salsæ erant, vti in his febribus esse solent, quæ pituita magis defluens ad ventriculum & intestina fluxum quoque præsentem concitauit; sitis quoq. illum premebat, quæ magis ægrum vrgere solet, quàm in præcedentibus febribus. Ceterùm nõ erat hic adhibenda purgatio, ne fluxus ob pituitam salsam, quæ facit abrasionem, augeretur; interim contemperandus & reprimendus erat. Propterea hos syrupos qui ad bilem & pituitam facerent, primò præscripsimus. ℞ oxyzach.

zach. simplicis ana ℥ iij. capiat subinde cochleat vnum: deinde lotorium sequens propinaui, nam hoc modo abstersa materia salsa, fluxus restringi poterat. ℞ decoctionis hordei communis in aqua simplici (ad detersionem) ℥ iij. oxymellis simplicis (ob pituitam detergendam) ℥ j. syrup. ex multiplici infus. ros. (pro bilis abstersione) ℥ ß. misce. altero die exhibuimus potionem sequentem. ℞ plantag. capil. Ven. flor. rosar. ana m. ß. sem. portulacæ, cucumeris, anisi, ana ʒ ß. corticum myrobal. citrinorum, chebulor. ana ʒ j. ß. bulliant in aqua communi, & huius expressionis accipe ℥ iij. rhabar. puluerisati ϑ j. syr. ex infus. ros. syrup. myrtill. ana ℥ ß. misce, fiat haustus: ter excreuit sed non ita liquida. sequentibus deinde diebus ad ventriculi imbecillitatē, & fluxum comprimendum sumebat ex mixtura sequēti. ℞ conseruæ rosaceæ antiquæ ℥ j. diacithonij sine speciebus ʒ ij. conseruæ borag. bugloss. anthos ana ʒ iij. corticum citri conditi ʒ ij. ß. spec. diarod. abb. trionsand. ana ʒ ß. spec. arom. j. ros. pul. cinnamomi ana ϑ. j. oxyzach. simplicis, syrup. menthacei ana q. s. fiat mixtura ad modum conditi. & fluxus paulatim cessauit. Deinde omni manè capiebat ʒ ij. ex tabulis infrascriptis pro febre, & ad stomachi maiorem roborationem. ℞ spec. arom. j. ros. sine musco ʒ j. ß. spec. diarod. abb. ʒ j. dissolutis in aquæ ros. adiectis zacchari albissimi ℥ iij. ß. & ʒ ij. fiat confectio in tabulis secundum artem. Exterius ventriculus inungebatur cum oleis cydoniorum, mastichino, & absinthij simul mixtis. tandem fluxus cessauit, & febris eundem 23. die reliquit, ac optima victus ratione vtens nostro consilio cum ope diuina sanus factus est.

SCHO-

SCHOLIA.

HÆC febris ex pituita salsa à quibusdam solùm refertur ad quotidianam nothan, de qua Galenus non dixit: loquitur quidem Gal. De Cura tertianæ intermittentis exquisitæ & nothæ; at de quartana & quotidiana tantum exquisita, vtens magno artificio tanquam hoc superfluum foret. Cùm enim agit de tertiana notha, id eidē satis fuit: quia ex curatione tertianæ nothæ quilibet potest etiam intelligere curationem quartanæ & quotidianæ nothæ. ratio est, quia tertiana notha pēdet à bile permixta cum pituita: quare egemus auxiliis respicientibus bilem & pituitam. Ad eundem modū quotidiana notha pendet à pituita permixta cum bile: eadem igitur erit ratio cognitionis & curationis. Nam vbi cognoscemus peccātem pituitam & bilem in tertiana notha, eodem modo in quotidiana notha. Interim hoc discrimen est, quod in quotidiana notha magis viget vis pituitæ quā in tertiana notha, & propterea in tertiana notha symptomata bilis prævalent symptomatibus pituitæ. Contrà verò in quotidiana hac notha, symptomata pituitæ efficaciora sunt, quàm bilis. Hanc etiam ob causam eadē oportet sit curatio, hac tantum differentia annotata secundum magis, & minus, & quantum sit etiam ratione prognostici.

Causæ. *Hæc febris causas habet ratione pituitæ, & refrigerantes & humectantes: ratione bilis & calfacientes & exiccantes. Quidam volunt hanc fieri ex pituita dulci in salsedinem commutata, alij phlegma salsum originem habere aiunt ex commistione bilis adustæ, vel ex supercalfactione partium terrestrium eiusdem, vnde vim acquirit exsiccādi, ac est multò minus frigidum naturali: & ex eo putrefacto extra venas, secundum Arabes, fit quotidiana notha modò in æstate, modò in autumno, modò in vere. Notha quidem*

Cur hæc febris notha dicitur. *dicitur, eò quòd ab humore calido & sicco potestate dependeat,*

deat, vnde quatenus à pituita actu fit, pituitosa febris & quotidiana dicitur: quatenus verò à pituita calida & sicca potestate, ratione salsedinis quotidiana notha appellatur. Cognoscitur autem, vt dictum est, ex horrore & ex causis prægressis, multiplicantibus primò pituitam frigidam, quibus demum accesserũt causæ adurentes, & licet bilis sit admixta ad differentiã tamen biliosæ febris, singulis diebus accessionem habet, cũ horrore ob salsedinem, cui postea succedit maior calor & maior sudoris copia, orisq; salsedo cum siti maiore, quàm in febribus præcedentibus. Magna quoq. ex parte contingit hora bilis vel pituitæ, maximè autẽ hora nona diei, vsq. ad mediam noctem affligens. Vrina in hac apparet rufa vel subrufa, mediocriter tenuis in principio & mediocriter crassa in statu & declinatione minus liuens. Adest etiam coctionis corruptio, capitis dolor, & aliquando pruritus per corpus vniuersum, quandoque & scabies, & præcipuè pruritus in inferioribus partibus corporis circa nodos & iuncturas. Licet quotidiana sit periculosa, vt dictum est, minus tamen periculo vacat, & citius tollitur, quàm ea quæ sit ex pituita vitrea, & ideo hæc citius terminabatur ob fluxum, quo materia febrem procreãs paulatim minorabatur. Deinde cùm videremus fieri anticipationem, signum erat augmenti, quod non diu duraret hæc febris, cùm per fluxum eiusdem paulatim fieret solutio. Sicuti rursus perseuerantia paroxysmi notat longitudinem febris, seu morbi: sic anticipatio cum breuiori paroxysmo significat morbum breuem, fortitudinem virtutis, teste Gordonio. Postea fiebat & in hac febre postpositio, medicus prior ob hoc febrem longiorem putabat. Nos autem contrarium sentientes, eò quòd anticipatio paroxysmi prius indicabat augmentum: ita postpositio quoq. declinationem. Postponitur autem paroxysmus, quia natura negligit materiam morbi, & parui pendit, cum minorata sit in temporibus præcedentibus,

Signa.

Præsagia.

Anticipatio.

Perseuerantia paroxysmi.

Postpositio.

tibus, ideo minus affligit, quia parum curat: quare consumptio & terminatio ægritudinis significatur. Quamquam Græci semper laudant anticipationem, postpositionem minimè: tamen experientia nos vidimus iuxta Gordonium sæpius morbum breuem significasse, cúmque signum declinationis existeret. Vtrumque igitur laudari potest, & anticipatio cum breuiore paroxysmo, & postpositio cum signis coctionis præcedentibus. Hinc si postpositio prius fuisset facta ante anticipationem, materia nondum concocta existente, proculdubio tunc significasset febrem longiorem, & quod non fuisset in declinatione: nunc verò prius præcedente anticipatione, deinde postpositione subsequente, signis optimæ coctionis præcedentibus, morbum breuiorem, & per consequens declinationem, hæc ipsa iam dicta notabant: hinc & 23. die, vt dictũ est, terminabatur. At quæ sit causa postpositionis & anticipationis, de ea dicemus cùm de quintana febre agemus, ac de vi & natura periodorum & paroxysmorum loquemur. Quod ad curationem attinet huius febris, aliter hæc curatur ex sententia Tralliani contra Galenum, quàm ea quæ sit legitima. de qua tamen Galenus tantùm mentionem facit, ideo & malè carpitur ab Alexandro Tralliano, vt dictum est prius: Interim tamen in hac non sunt danda eiusmodi calida attenuantia, vt quidam faciunt, qui exhibent radiculam raphani, piper, salsamentum, capparim, & decocta, & antidota vehementer extenuantia: quæ prius danda sunt in ea, quæ fit à frigido & acido humore, de qua re perlege Historiam à Tralliano recitatam: in qua & victus ratio, tum medicamenta ad febrem ex pituita salsa conuenientia enumerantur. Habet autem hæc febris similem curationem ferè vt illa quæ à bile vitellina fit, de qua diximus Obser. 17. huius libri: particularius autem fiat lenitio cum cassia aut manna: syrupi concoquentes & solutiua medicamenta non solùm pituitam, sed &

Curatio.

sed & bilem, magis quidem aut minus, prout ipsa cùm pituita misceatur, adhibenda: Nam si solam pituitam vacuaremus, ferueret, furereturq; bilis, et quoddam aliud genus (teste Guainerio) longè periculosius excitaret. si verò sola bilis educeretur, pituita incrudaretur. Itaq; danda sunt mista medicamẽta, quorum copiam inuenies cap. 5. Diff. 2. tract. 3 feb. apud Guainerium, & Fontanonum cap. 14. lib. 4. Vel pro lenitione ℞ cassiæ recens extractæ ʒ. vi ellect. de succo ros. diaphœnici ana ʒ j. mellis ros. colati ℥. j. dissolue cùm ʒ. iij. ß. decocti communis in aurora, facta lenitione. Conuenit hic etiam venæ sectio, maximè in principio, quæ in fratre omissa fuit, quamuis postea fluxu oborto minus vtilis erat. Vnde & Guainerius dicebat, si phlebotomiam fiendam iudicaueris, basilicam vel nigram incide. Ideo & in hac febre conferre potest, cùm etiam Gal. 5. Meth. 14. cap. in catharro salso venam secat. Materia deinde concoquatur in hunc modũ. ℞ syrupi acetosi simplicis, syr. de end. mellis ros. colati ana ℥ j. aquar. fœniculi, absinthij, cichoreæ ana ʒ ij. misce. Vacuetur cum infuso rhab. & agar vel pilulis aggregatiuis. Roborentur partes principes cum istis vel similibus morsellis, ℞ spec. diarod. abbat. spec. diamasci dul. ana ʒ ß. spec. ellect. de gemmis ϑ. j. dissolutis in aq. borag. zacchari albiss. ℥ ij. fiat confectio in morsellis. Stomachus roboretur vnctionibus sæpe iam dictis.

Venæ sectio.

OBSERVATIO XXVII.

De febre phlegmatica quotidiana intermittente notha, ex phlegmate vitreo, crudo, musciliginoso seu pontico.

SIMON Wiggerus vitrarius, longo tempore paralyticus, sæpè etiam morbo articulari laborans, homo quinquagenarius, qui etiam obnoxius erat frequenter

quenter colicis doloribus ac arthritidi. Hic verò commorabatur Alcmariæ in platea diuæ Annæ, cum asperrima hyems esset anno 1549 mense Ianuario, febre quotidiana intermittente ex pituita vitrea correptus est. Inuadebat autem hęc febris cum tanto frigore membrorum extremorum & totius corporis, vt æger se congelatum esse diceret, occupabat autem frigus iuncturas, tamquam frangerentur, & incipiebat cum grauitate somni, & vrina erat glauca, subinde tenebrosa ac si globi phlegmatis in ea natassent, post tertiam horam noctis magna ex parte ęgrum inuadebat. materia hęc tanquam glacies ægrum molestabat, ob indigestionem: ita vt eiusmodi febricitantes quandoque per vomitum vel per secessum in modum glaciei vel vitri phlegma muscilaginosum deijciant cum intestinorum ingenti dolore, vt huic nostro ægro contingebat. quam passionem Galenus expertus intestina sibi terebello perforari dicebat, sed ex melle calido cùm clyster ei iniectus esset, phlegma emisit quod Pythagoras vitreum appellauit. Post hoc frigus in hac febre sequebatur lentus calor, & in ea aderat pulsuum magna diuersitas. Hæc cum animaduertissem, imperaui vt totius vitæ regimen ad calidum inclinaret, & adhibui in paroxysmo fortiores & longiores frictiones, quia hęc materia viscida inepta est resolutioni in paroxysmo, dum calor egrediatur. Ad feces communes educendas consului vt acciperet bolum sequentem ℞. Cassiæ recens tractæ ʒ. vi ellectuarij hierę picrę ʒ ij. fiat bolus. Deinde materiam concoquendam esse iudicaui cum syrupo sequenti ℞ oxymellis simplicis ℥ j. mellis ros. colati ℥ ß. aq. absinthij, fœniculi ana ℥ j. ß. misce. Postea exhibui ʒ j. pilularum ex hiera picra Galeni, componendo pilulas vii. ex quibus habuit

habuit vnum atque alterum seceſſum. Venæ ſectionē hic non adhibuimus cùm in hac febre minus conueniat. Ceterùm poſtea quamuis febris non ita vehemens, dolor tamen ingens ventrem occupauit, vitrea pituita inteſtina obſtruente: quare vt hic clyſter iniiceretur præcepi ℞ hyſſopi, centaurei minoris, betæ, mercurialis, parietariæ, florum chamomeli, florum meliloti ana m. j. coquantur in aq. comm. pro ℔. j. ß. addendo colaturæ caſſiæ mundatę pro clyſteribus, electuarij hieræ picræ ana ʒ. ß. benedictæ laxatiuæ ʒ ij. olei chamæmelini, anethini ana ʒ j. ß. ſalis communis ʒ j. ß. miſce, & fiat clyſter. quo cum bene excreuiſſet, dolor nonnihil ſedatus eſt; at febris perdurauit & veſperi hora octaua eum quotidie inuadebat. Per os deinde in ſummo diluculo exhibui ſolutiuũ ſequens ℞ diaphœnici, electuar. hieræ picræ, caſſiæ recenter tractæ, elect. Ind. ana ʒ ij. diſſolue cum ʒ iiij. decoct. pectoral. miſce, fiat potio. qua plurima pituitoſa ac viſcida per aluum depoſuit. Vrina adhuc valdè cruda permanebat, quamobrem iterum digerebam cum decocto aperiente, oxymelle ſimplici compoſito & ſquillitico ſimul admixtis, & iterum purgaui modò cum pilulis ex hiera, modò cum infuſo ſenæ & agarico in decocto aperiente. Cæterùm cum hinc poſtea more ſolito materia febrilis ad iuncturas decumberet, poſt vniuerſales purgationes adhibitas, hoc infra ſcriptum apozema ebibit. ℞ ſaluię, meliſſę, chamepithyos, chamed. herbæ paralyſis, bethonicæ, maioramæ ana m. j. florum ſtœchados, vtriuſq. florũ roriſmarini, florum cordial. ana p. j. ſem. aniſi ʒ jß. ſe. careos ʒß. cicerum rub. ʒ ij. fiat omnium decoctio in aqua communi in duplici vaſe. pro ℔. ij. colentur fortiter & dulcorentur melle; deſpumetur: & ex hoc decocto bis ſumebat in

die; febre iam in declinatione vniuersali existente, alioqui non conueniisset, nisi etiam euacuationes aliquæ præcessissent. interea & spinam dorsi, & loca doloribus conflictata oleis subsequentibus inunximus. ℞ olei vermium terrestrium, ol. chamæmelini ana ℥ j. misce pro ventriculi roboratione. omni manè capiebat morsellum vnum pondere duarum drachmarum specierum diacumini: ita vt ventriculus roboratus & dolores inunctarum tandem cessarint, febre quoq; illum non amplius afflictante.

SCHOLIA.

Vide Guaynerum diff. 2. tract. 3. de feb. phegmatica ex phlegmate vitreo.

GVAINERIVS *in hac febre vtitur omniũ primo hac potione*, ℞ *hyssopi m.* j. *capill. Ven. m.* ß. *liquir. passular. aquæ* ℥ ß. *fiat decoct. & huius accipe* ℥ iiij. *in qua dissolue cassiæ vel mannæ* ʒ x. *oxymellis simplicis* ℥ j. *misce fiat potio facta lenitione. Digerenda est materia cum oxymelite & mellerosi. ac alijs extenuantibus. Deinde purganda cum istis pilulis quæ valdè hic commendantur*, ℞ *pul. hieræ picræ descripti 5. Canone & 7. Method. medend. turbith mundati, agarici optimi ana* ʒ j. *spicæ, zinz. ana.* ℈ j. *salis gemmæ gr.* VI. *cum oxymelle simplici, fiat massa pilularum. detur* ʒ. j. *Rursus digeratur cum magis incidentibus. Habes syrupum magistralem apud eundem tum Villonouanum, huic febri magis proprium. In declinatione huius febris commodè propinant syrupum de eupatorio: oliuæ conditæ & asparagi hic quoque laudantur, & etiam clysteres acuti, si vitrea pituita intestinis inhæreat. Febre iam curata, datur diacalamenthum, diamarg. calidum, diaciminum cum vino decoct. pulegij hyssopi, corpore prius repurgato: & in fine, vt etiam in quartana, theriaca conuenit. Quidam hanc febrem ad Epialam referũt, de qua Obseruatione subsequenti agemus.*

Obser-

OBSERVATIO XXVIII.
De febre Epiala.

MVLIER Alcmariana admodum crassa & obesa, pituitosa, ex pedibus impedita ac clauda, vt nullo exercitio vti posset, in otio viuēs, anno 1549. mense Septembri in Epialam febrem dictam incidit, ita vt vno eodemque tempore tum frigus tum calorem in toto corpore persentiret, & quotidie, vt quotidiana solet, sub noctem inuadebat. Cùm autem hæc febris ex pituita gelidissima fieret, quam paulò antè pituitā vitream appellauimus, ideo hoc decocto incidente & calfaciente commodè vsi sumus. ℞ rad. fœniculi, brusci, asparagi, cichorij ana ℥ ß. calaminthę, origani, absinthij ana m. j. se. dauci, fœniculi, carui ana ʒ j. ß. se. cucumeris, melonum ana ʒ j. hordei mundati p. j. cicerum rub. liquiritiæ ratæ ana ℥ ß. vuar. passul. repurgatarum ab arillis ℥ j. coquantur in aqua communi pro P. j. colaturæ adde syrupi acetosi simplicis, mellis ros. colati, oxymellis simplicis ana ℥ j. misce. fiat apozema pro quatuor dosibus matutinis. Huic decocto postea adiecimus folior. senæ ʒ. VI. agarici fœmi. albi, leuis ʒ ij. zinzib. albi ϑ j. bulliant in. ℥ IX. decocti suprascripti, & maneant deinde infusa per noctem; manè fortissi. expressioni adde mellis ros. colati ℥ ij. misce, & fiat potio pro duabus dosibus matutinis: qua potione plurima pituitosa excrementa deiecit. Mox omni manè sumebat ʒ ij. confectionis infrascriptæ ℞ spec. diacalaminthæ, diacinnamomi, diagalangæ, spec. diarod. abb. ana ϑ j. dissolutis in aqua absinthij, adiectis ℥ ij. zacchari albissimi; fiat confectio in rotulis. Nō diu pòst correpta est intensissimo dolore (qui sub vmbilico hærebat) quasi terebelo in-

lo inteſtina perforante. At ſequenti enemate tum cataplaſmate ventri impoſito dolor miraculi inſtar ceſſauit. ℞ bethæ, mercurialis, florum chamomillæ, meliloti, foliorum caulium rub. maluæ, origani, centaurij minoris ana m. ß. ſe. aniſi, carui, cumini ana ʒ j. ß. ſe. carthami ʒ ij. folior. ſenæ ℥ ß. ficuum pinguium numero iij. fiat decoctio in aqua communi pro l'. j. colaturæ addendo benedictæ laxatiuę, elect. hieræ picræ ana ℥ ß. olei anethini, rutacei, chamomeli ana ℥ j. zacchari rubri ʒ vi. ſalis communis triti ʒ j. ſalis gemmæ ʒ ß. miſce, fiat clyſter. cùm aluũ bene depoſuiſſet hoc cataplaſma ventri ſtatim applicuimus. ℞ folior. maluæ parietariæ, florum chamomillæ, meliloti ana m. j. coquantur ad mollitudinem, piſtentur: adde fanæ ſemin. lini fœnugręci ana ℥ ß. pulueris ſemin. maluæ, aniſi ana ʒ j. ß. olei chamomelini, zezamini, ana q. ſ. fiat cataplaſma. Iſtis remediis non tantùm dolor ceſſauit, ſed præter mentem à febre quoque liberata eſt: ſtomacho imbecilliori interim inuncto oleo nardino & maſtichino ſimul mixtis.

Scholia.

Aëtius lib. 5. cap. 86. de hepialis febribus.

Epialon *Græci vocant algorem, eſt febris genus in quo ſenſus totius corporis inæqualis eſt. Nam ſimul algent & calent. Algor quidem vehemens eſt, & calor mitis. Hinc Epialon appellatum vel ὕπνιον Græcis, blandum & mitę eſt. Ea autem febris, quæ priuatim à leui afflictione*

Paulus lib. 2. cap. 15.

hepiala vocatur, inquit Aëtius, vel vt refert Paulus, per tranſlationem à ſale, dico autem mari, quod à principio tranquillum apparet, cùm turbatur, difficillimum euadit,

ἐπίαλα cur dicta.

vel ab ὑπίως, quod eſt molliter, & ἀλεαίνειν, quod ſignificat calfacere, quaſi dicas, quoniam blandè & leniter calfacit, cum ex quotidianarum genere exiſtat, in earum figuram progrediens. Prædicti generis pituitoſi, inquam, febris eſt

bris est, quæ priuatim (teste Aëtio) hepiala nuncupatur, quando ægri febrientes eodem tempore in singulis corporis partibus calorem simul & frigus percipiunt. Gelidissima enim pituita, quam vitream vocant, si sine putredine fuerit, solum rigorem infert, sin putredo mediocris accesserit, hepiala generabitur: exuberante verò putredine, rigor quidam præcedit, sed pura subinde febris subsequitur, frigore à caloris multitudine superato, vt in exacerbationis incremento aut vigore ne tantillum quidem supersit. Sæpe etiam contingit vt vitrea pituita aciditatis simul particeps sit. Et ita quidam volunt fieri à pituita acida, vel cũ hac vitrea. Curatur hæc, teste Aëtio, vt quotidiana, nisi quod hæc maiori indigeat incisione. interim à venæ sectione hic abstinendum, & medicamentis diutius quàm in exquisita quotidiana vtendum, quia diuturnior, & valentioribus & magis calfacientibus. & ideò Galenus de tremore, rigore cap. 7. pro huius febris curatione magis commendabat medicamenta calfacientia, siccantia & extenuantia. idem de victu quoque sentiendum. Si plura de hac febre desideres, legas Gal. 2. De Diff. feb. cap. 6. vbi ait, quod in hac febre simul febricitent & rigeant. Similis est sententia apud eundem lib. De Inæquali temperie cap. 8. Idem asserit Halÿ Abbas 6. suæ Theoricæ cap. 6. & Rasis. cap. 16. Continentis cap. 3. Serapio 6. sui Breuiarij, quæ eodem teste non multum permanet, fortasse vsque 20. dies, quia ob humoris paucitatem diu durare non potest. Idem tamen & Auicenna in hac febre plurimum à Galeno discrepant, si quidem epialam pro lypiria sumunt, de qua prius dictum est: nam quoties frigus in interioribus & calor in exterioribus sentitur, epialam esse dicunt. Gal. verò quoties vterque affectus vna sentitur. Sed ideò errant, quia nomina simul confundunt. Auicenna 4. can. cap. 60. iubet ne in hac febre hepiala calidioribus in principio medicamentis vtamur, Curatio.

ſed quod primo inciperemus cum ſyr. acetoſo, mellino, deinde ad ſyr. compoſitos, demum ad ſemina aperitiua, ad aloën trochiſ. de roſis. ob ſtomachi imbecillitatem, cùm ventriculus inter alia roborari debeat. Verùm ſi plura particularia remedia requiras, lege Guainerium diff. 2. tract. De Feb. cap. 6. & Fontanonum lib. 4. qui eundem ſequitur cap. 15. De Curatione lipiriæ & hepialæ, febrium ex Arabum magis quàm Galeni ſententia. Solet tamen in hepiala ob pituitam vitream cholicus dolor obuenire (vt huic mulieri euenit) quæ in inteſtina decumbit: ad quem dolorem ſedãdum conueniunt enemata, in quibus conficiendis aliqui obſeruant, ne in dolore colico agaricum enematibus immiſceant, quem dicunt inteſtina lædere.

OBSERVATIO XXIX.

De febre ſyncopali humorali dicta ab humore pituitoſo.

VXOR illius cereuiſiarij, qui in Aggere longo nouo Delphis habitabat (ita enim vico nomen erat) cuius ædibus Inſtrumentum verſatile quo filamenta circumducuntur, pro inſigni erat, mulier hæc ſi quæ altera valdè pituitoſa anno 1563. menſe Aprili, febre ſyncopali, humorali dicta, corripi cœpit. Ad quam ſexto die cùm lecto decubuiſſet ſub noctem euocatus fui. (mos enim noſtris inoleuit vt in principio morbi rarò vocemur) Cumque omnia diligenter inquirerem, intellexi febrem hanc circa occaſum ſolis eam inuaſiſſe, cum ſyncope tam vehementi etiam per tres vel quattuor horas perdurante, vt grauiorem ac diuturniorem in vita nunquam viderim. Cùm ad ipſam intraſſem, ſyncopis aderat, pulſus ſimiliter paruus & rarus. Hæc primis diebus, magis tertia quaque nocte inuadebat cũ ſyncope, vt periodũ quaſi tertianę imita-

imitaretur, ob paucam portionem bilis plurimæ pituitæ admixtam. Verùm, vt secreto mihi narratum fuit, statim à coïtu primo inuadere cœpit: nam inter amplexus hæc ipsa deliquio animi correpta fuit, ita vt à coitu difficulter ad se rediret: postea demum quotidie circa occasum solis cum eiusmodi syncope vehementiore hæc febris redibat, quotidianum deinde typum semper obseruans. Vrina huius, quam primo ingressu spectabam, valdè cruda erat, præterea hæc ipsa mulier dolorem euidentem circa ventriculum experiebatur, quæ quidem in lecto decumbens, si se paululùm erigeret vel moueret, ilicò syncopis eam rursus apprehendebat. Summatim omnia illa signa aderant (de quibus postea latius in Scholio) quæ in febre syncopali humerosa apparere solent, quam alij febrem Repletionalem vocant. Cumque igitur viderem hanc in extrema syncopi versari, quo ad quattuor ferè horas in accessione persistebat: ideò statim mandabam, vt extremorum membrorum fierent frictiones, potissimum pedum, manuum ac digitorum, & quod dictu mirum est, si astantes ab eiusmodi frictione cessarent, vel paulo negligentiores essent, ilicò hæc ægrotans exclamabat se hinc ad superos ex animi deliquio emigraturam, mortemque instare vociferabatur, ita vt cum persentiret syncopem futuram valdè expauescebat ac sibi metuebat. Et sic fuimus in illo opere (etiam hac ipsa muliere iubente, cum sentiret ex hoc leuamen) videlicet frictione continua. Et cùm ego ab ea desisterem lassus, tunc astantes continuis eiusmodi frictionibus commodè ex nostro mandato vtebantur, à quibus cum cessarent, syncopis vehementer ingruebat, vt coacti fuerint astantes illis ipsis sine intermissione vti. Quod autem eiusmo-

di frictiones in hac febre fieri debẽt, id ad longũ quoque docet Gal. 12. Methodi medẽdi, in hunc modum. Ergo febricitare incipiunt nonnulli, vbi maximam crudorum ſuccorum copiam, vna cum oris ventriculi (quod ſanè ſtomachũ vocant) offenſione, vel ex cruditatibus, vel alia quapiã occaſione congeſſerunt. His & præcordia inflata, & totum corpus ampliore mole quam pro naturę modo cernitur. Tum color aliis quidem ad albidius quàm pro naturali habitu, & intercute aqua laborantium magis ſimilè eſt mutatus (talis erat color, & huic noſtræ ægrotanti prędicta aderant) nonnullis etiã ad nigrius & liuidius, quos quidẽ medici plumbei coloris vocant. Omnibus pulſus minores ſunt, quàm pro caloris ratione. Præterea omnino inæquales, ſæpe ea inęqualitate quam συσματικὴν Gręci vocant. ſemper verò ea quæ in vno eſt ictu. De curatione poſtea ita ſcribit, Nulli talium ſanguis mitti ſine maximo diſpendio ſolet, cum tamen vacuationem deſiderent. Verùm nec ſanguinis miſſionem, nec purgationẽ ſuſtinent, vtpote quod ſine his ſyncopis ſubitò adoritur. Quæ igitur eſt ratio talibus medendi, qui cum vacuari poſtulẽt, vacuantia præſidia non ferunt? Sanè nullam aliam his idoneam vacuationem inueni, præter eam, quæ ex frictione paratur. Incipere verò in principio ſtatim morbi oportet, ac primũ à cruribus, ſupernè deorſum, idq. linteis non admodum mollibus ſed aſpredinis mediocre quid habentibus. Debet enim radi ab his cutis, cum ſimul & calcferi & digeri ægrotus poſtulet. Dehinc tota brachia ab humeris vſque ad ſupernè deorſum ſimili modo ſunt fricanda. Et hoc modo nos per manus, tamen fortius, extrema fricando, frictione vti per aſtantes iuſſimus. Non tamen inunximus oleo ſabino poſt frictiones, vt Gal. iubet.

iubet. Postea Gal. vtitur mulsa cui hyssopus incoctus est. Nos autem ad pituitæ incisionem oxymel simplex dedimus, iuxta Galenū in eodem loco idem sentiente. Neq. enim qui ita sunt affecti acetum incommodum est, imo sicuti crudos affatim succos esse animaduerteris, oxymeli pro mulsa exhibere assiduè poteris. Propinauimus quoq. vinum Rhenanū optimum in ipsa accessione; Gal. Tiburtinum, Hurentinū dabat. Vide eundē ad longum. sed & Falernū exhibebat; balneo non vtebatur. Cum videretur parum incalescere, syr. de limonibus & de corticibus citri; & pro syncope zacharum perlatū dedimus. Ad materię præparationem & incisionē vtebatur oxymelite, vt dictū est: & quamuis hæc satis prius cruda nunc magis parata per oxymel, eam tamen expurgare non fuimus ausi; cum Galenus etiā à purgatione abhorreat, quamuis infusum senę tandē dedimus, eò quòd hęc mulier etiam aliqua ex parte melancholica existeret. nam sene etiam pituitam ducit. Cùm igitur per tres dies secessum non habuisset, hoc decoctum præparatorium & incidens pituitam & exiguè aluū soluens præscripsi. ℞ Corticum end. fœn. petros. ana ʒ ß. capill. Ven. borag. melliſſæ ana m. j. florcordial. p. j. sem. anisi fœniculi, ana ʒ j. ß. folior. sennæ alexand. absque stipitibus ʒ ß. prun. Damas. num. vij. coquantur in aqua cōmuni pro ʒ vj. fortiſſ. expressioni addendo oxymellis simp. ʒ j. syr. de limonibus ʒ ß. miſ. fiat potio pro duabus dosib. matutinis. Vna dosis cum exhiberetur, imperaui cùm medicamentum operaretur, quòd ex lecto ab astantibus ad sedem non moueretur, sed pannus lineus subterponeretur, vel latrina valdè submissa ad fæces suscipiendas apta subderetur, ne ex motu subito syncope corriperetur. Habuit autem ex vna dosi duos secessus

fœcales

fœcales, verùm syncopis, dum aluus ita exoneraretur, eam apprehendebat: sed adhibitis denuò frictionibus extremorum, & aceto naribus obiecto ad olfaciendum, tandem syncopis cessauit. Postea tertium habuit secessum, verùm tota nocte subsequente cum febris inualesceret, syncopis quoque inualuit; quæ frictionibus tandem iterum cessauit. Vinum deinde exhibuimus, atque eam frequentius nutriuimus. Vinum similiter olfaciebat: nam eo tum etiam aceto naribus admoto vires refocillari annuebat, potissimum aceti optimi odoratu. Alteram deinceps dosim minimè ausi fuimus exhibere, imò ne eandē quidem per quattuor aut quinque plures'ue dies ex lecto mouere, dum etiam lectus componeretur, adeò syncopem metuebamus: sed puluinaribus tantùm substratis eam continuò in lecto detinebamus. Et ita illam gubernantes, solùm frictionibus contenti & oxymelite ac victu parum incidente & restaurante, donec febris illa syncopalis mitescere cœperit, & syncopis minus valida foret. Putauimus quoq. aliquos vapores venenosos ex vtero ad cor ascendere ad syncopem iuuantes, cum à Venere, dū in actu coitus esset, malum hoc cœpisset, ita vt vteri suffocationem sublatere existimarem. ideo hunc globulum in officina parari iussi. ℞ assæ fœtidæ ʒ j. ß. ligetur in puppa linea rara ad odorandum globuli instar. Verùm, vt illa affirmabat, inde nihil auxilij percipiebat, imò damnum potius: sed ex sola frictione & aceti olfactione sese recreari dicebat, atque hoc modo tantum syncopis cessauit. Erat autem hæc mulier prolifica menstruis suo tempore bene reseratis. Ideo hæc febris syncopalis non erat ex vtero, sed potius ex ventriculo phlegmate infarcto. Et quamuis statim à coitu primo syncopis inuasisset,

uasisset, ex motu illo materia in stomacho cruda existés, illa ipsa magis irritata & commota fuit, & inde syncopis subsequuta est, & demum febris syncopalis. Hæc ipsa ante quatuor annos nondum nupta, similiter febricitans, valdè debilis fuerat, sed illo tempore neque syncopem, vt nunc incurrerat, quamuis eodem tempore ope diuina à me curata fuerat. At cum febris iam vna cum syncope inuaserat, somnum inhibuimus, & statim vt dictum est frictiones adhibuimus, bono vtentes regimine viuendi, ita vt singulis accessionibus syncopis diminueretur, & ægram postremò reliquerit. Cæterùm cum diceret se dolorem aliquem circa cor persentiscere, admota manu manifestè sentiebam quandam palpitationem, quæ non veniebat à corde, sed potius ex venis propinquis ipsius stomachi, vel ab ipso stomacho, à vaporibus malignis elatis ad cor, nam prius in ventriculo ipsa valdè conquerebatur. Solet enim talis materia pituitosa cruda (quæ febrem syncopalem humoralem infert, vt omnes doctores practici sentiũt) in stomacho vel in venis propinquis stomachi putrescere, & fit à multa pituita venenata, à qua putrescéte, vapores venenosi versus cor efferuntur, à quibus spiritus læduntur, vnde eorũ virtutes deficiunt, & sic syncopis cum ea causatur, & tremor cordis quandoque accedit, vti in hac nostra muliere euenit. Pro quo symptomate mitigando, cum febris iam magna ex parte cessasset, palpitatione cordis adhuc perdurante, sacculum cordialem infrascriptum, cordi admouendum præcepi. ℞ mellissæ exiccatæ m. iiij. flor. cordial. p. j. contundantur crassiusculè vel incidãtur, & fiat saeculus quadratus intersutus latitudine sex digitorum, & longitudine octo digitorũ, & syndone rubra coopertus, vt

artis

artis est. eoque cordi admoto, palpitatio miraculi instar cessauit. mirabilis vis inest melissæ tam intus assumptæ, quàm externis admotæ, vt experientia longa iam edocti sumus, ad cordis tremorem. Bona itaque victus ratione vtens, præter amicorum tum astantium opinionem, tum eorum omnium qui eam inuisebant magno cum nostro honore (Deo auspice) conualuit. At ingrata mulier (vt multi alij quibus noua placent) beneficij immemor, postea anno 1571. in æstate in aliud morbi genus incidens, alium medicum consuluit magnum iactatorem, qui fucum mulierculæ vendebat, quique tanta medicamenta continuò obtrusit, quibus stomachus adeò lacessitus, vt nihil retinere potuerit eorum quæ assumebat: ita vt tandem tabe confecta interierit. Paulo ante mortem Cornelius Heydius ad eam accitus, cùm is perperam curationem medici animaduertisset, me quoque vocari iussit, verùm cum tunc animam ageret & atra per superiora deiiceret, muliere squalida, & macie confecta, cadaueroſa existente, præhabito prognostico, medicamentis vomitum irritantibus exhausta prius, cum nihil opis adferre possemus, cum magna angustia diem supremum clausit.

SCHOLIA.

Duo genera febrium syncopaliũ.

FEBRIVM *syncopalium duo genera à medicis describuntur, vnum à bile, quæ ab Arabibus dicta fuit syncopalis minuta, quæ etiam duplex est: vna quidem continua eaq; biliosa, de qua egimus lib. 2. Obser. 41. Altera intermittens, de qua paulo antea diximus in hoc lib. Obser. 19. Alterum genus est de quo nunc loquimur ab humore pituitoso seu phlegmatico, atque hæc febris modò continua est, modò intermittens, vt hæc erat. Vocatur autem syncopalis ab ac-*

ab accidente, non minus quàm præcedens, eò quòd in paroxysmo solet superuenire syncope, & maximè circa vesperam pituitæ accommodam, siquidem febris intermittens sit; si verò continua, in exacerbatione syncope adesse solet. Dicitur quoq; hæc febris modò humoralis, modò repletionalis, & quod fiat ab humore phlegmatico, repletionalis à medicis quibusdam huius temporis, propterea quòd tanta repletio ab aliis humoribus fieri non posset, cùm hi crudi existant & valdè repleant: quamuis non desint qui etiam à cholera vitellina fieri velint, & tunc erit interpolata phlegmatica vel cholerica, vel composita ex quotidiana & biliosa notha. Quare vocatur humoralis seu repletionalis.

At hæc, de qua nunc dicimus, erat phlegmatica, quæ fit magna ex parte ex multitudine pituitæ, ex repletione nauseatiua, vt Auicenna loquitur, vel ex multitudine ciborum crudorum. Cruditas modò est in ventre & primis venis, cuius signa sunt, nausea, ructus, vellicatio, ventris tormenta, hypochondriorum inflatio. Alia cruditas est totius corporis, cuius signa sunt vrinæ tenues, aquosæ, leuiter tinctæ, diuulsæ, conturbatæ, nonnunquam cum sedimenti asperitate, color faciei pallidus, liuidus, plumbeus, totius corporis moles subtumida, pulsus inæqualis, obscurus, paruus. Adiicienda sunt, quæ ad coniecturam certiorem adhibentur; ex anteacta vita, vt est otium, crapula, intempestiua exercitatio, immoderata venus, & alia similia. quodq; hæc cum syncope inuadat, & circa noctem. Continuæ sunt lethales, intermittentes etiam curatu difficiles: quoniam medicamento solutiuo materia euacuari sine periculo non potest, & si multa est facile suffocat ægrum, hinc teste Sauonarola medici quantumuis exercitatissimi circa huius curationem hæsitant. Est quoque difficilis ex parte cibi assumendi: nam ratione multæ materiæ eget abstinentia; ratione syncopis & virtutis deiectæ, plurimo cibo. Si medicamentum solutiuum detur, materiam venenatam & crudam magis agitat

Causæ.

Signa.

Præsagia.

Curatio.

agitat, & grauiorem syncopem inducit. Si tamen supradicta paulo leuiora appareant, tunc de remediis hoc modo sentiendum, scilicet quod non danda minuentia medicamenta materiam propriam, neque eradicantia, sed tantum aluum lenientia, atque enemata, vt quidam volunt, ad materiæ communis vacuationem. Primus modus curandi à Galeno traditur per fricciones, vt iam diximus. Secundus ab Auerroë & neotericis, qui iubent hanc febrem curari syrupis incidentibus, attenuantibus, aperientibus & medicamento debili, & ita quidam primò victum commodum instituunt. secundò ventrem clysteribus, vel securius cum balanis vel suppositoriis leniunt. Tertiò materiam communem euacuant, & fricionibus vtuntur, & digesta materia, cum debili medicamento educunt. etiam si opus est, vomitum lenem imperant, materiam diuertunt, vrinam leniter euocant & sudorem, cor roborant, & accidentia corrigunt. Remedia particularia petenda ex Sauonarola, Blasio, Astario, ex Holerio, & Fontanono lib. 4 De Morb. internorum curat. cap. 17. De Febre syncopali ab humore phlegmatico.

OBSERVATIO XXX.

De febre phlegmatica diurna quotidiana cum cachexia.

AVGVSTINVS Teylingius, filius Florentij Teylingij sororij mei, puer quinque annorum, cachexia laborans, & quasi hydrope, ventre admodum duro & prominente, aliisque membris valdè gracilibus existentibus, & brachiis & cruribus carnem vix habentibus, qui pro morituro habebatur: præter hæc incommoda dicta, etiam febre diurna phlegmatica afficiebatur. At his sequentibus remediis per me ope diuina curatus est, anno 1544. mense Octobri cum

cum hac febre correptus esset. ℞ corticum rad. petrosel. apij, fœniculi ana ʒ j. melissæ, cassuthæ, agrimoniæ, satureæ, pulegij, hyssopi, fœniculi, origani, arthemisiæ, calaminthæ ana m. j. se. anisi ʒ ij. fiat decoctio in aqua communi pro ℔. ij. colaturæ addendo oxymell. simplicis, syrupi de quinque radicibus ana ʒ ij. arom. cũ ʒ iij. cinnamomi electi & depuretur. Capiebat cyathum vnum in nocte per aliquot horas ante febrem: quæ valdè lenta erat, & in declinatione alium cyathum sumebat, donec hoc decoctum absumptum esset. Postea huic decocto adieci ʒ vi. foliorum sennæ, & aluus satis in puero soluta fuit. interea omni die capiebat ʒ j. ß. specierũ diacimini in tabulis recèns confectarum. Rursus decocto præparante & simul soluente cùm vsus esset, hanc confectionem solidam vna vice vt deuoraret præcepi. ℞. foliorum sennę ʒ j. seminis anisi ϑ j. fiat puluis subtilissimus, dissolue cum aqua fumarię, adiectis ʒ ij. zacchari albissimi, fiat confectio in tabulis. Hoc medicamento multa pituitosa & aquosa simul egessit, & venter nonnihil detumuit. Decoctum deinde præparans rursus descriptum est, cui paulo pòst etiam folia sennæ incocta fuere. Postremo capiebat omni tempore intermissionis ʒ j. ß. confectionis infrà scriptæ per quinque vel plures dies. ℞. diacurcumæ ʒ j. Ventrem inunximus oleo rutaceo, chamemelino, irino, simul mixtis; stomachum autem oleo mastichino. Puer verò præter omnium mentem à febre tandem liberatus est, & ab hydrope euasit, quamuis non confirmata, sed iam incipiẽte. Ita alteri paulò grandiori ʒ ij. diacarthami solutiui in forma solida, materia prius parata, assumptæ profuere, quemadmodum & aliis diaphœnici ʒ ij. vel tres propinatę, qui etiã postea diacurcuma vtebantur.

SCHOLIA.

lib. 4. fen. tract. 2 cap. 98. de feb.

Febris diurna ac nocturna phlegmatica.

DIVRNA *febris apud Auicennã (quæ ex Galeni Commento Epid. 1. accepit) est illa, cuius paroxysmus in die accidit, & eius tepor in nocte. Nocturna verò contrario modo se habet. vtræque sunt malæ, quamuis diurna longior & deterior, & in hecticam (vt Scholio Obser. 21. huius libri diximus) plærumque transmutetur, etiam in hydropem, cum sit ex genere febrium phlegmaticarum. Quare diurna sit longior ac deterior, ratio est: quia pituita nocte inuasionem facere solebat, cùm autem in die contingat, signum est maioris multitudinis & malitiæ. In nocte quidem cum hæc incipit declinare, tunc oportet dare cibum & non dormire, & ita si parum dormiant ducunt vitam vespertilionis. Si autem in die dormierint, cùm nec in principio neque in augmento somnus conueniat, plus afficiuntur. Hinc diuturnitate temporis tabescunt, vt Hippocrates loco citato prædixit. Hæ verò febres, eodem Auicenna authore capite proprio, eandem curationem habent cum febre quotidiana intermittente. Et ita de omnibus febribus pituitosis intermittentibus tractatum absoluimus; nunc ad melancholicas progrediamur, seu quartanas intermittentes.*

OBSERVATIO XXXI.

De febre quartana intermittente.

PATER meus chariſſimus Iordanus Foreſtus, vir nobilis, qui tum inter alios publicam curam gerebat ſarcinandi aggeris, quem vulgo appellãt Hontboſch, agens annum quinquageſimum octauum, ſi quis alius valdè robuſtus, & optimæ temperaturæ, ita vt in vita vix vnquam ægrotauerat, quamuis anno 1554. autumni tempore in febrem quartanam inter

intermittentem inciderit. Primis quidem acceſſionibus horrorem quendam quarto quoque die percipiebat, qualis naſci magno ex frigore ſolet, qui quoque interpoſito tempore tantiſper increſcebat, donec in vehementem rigorem abiret, ſub quo corpus intremebat, dentesque ſtridebant, vt ipſa oſſa quaſi tundi atq; obteri profundo pondere viderentur. Decedente rigore calor oboriebatur, frigoris quodam ſenſu circa intima oſſa, pulſus verò inuadente acceſſione ſimiliter languidus, rarus & tardus erat, poſtea idem validus fiebat, magnus, frequẽs, celer, quàm in aliis febribus, inæqualis. Vrina prima, ſecunda, tertia acceſſione tenuis, alba conſpiciebatur, poſtea etiam varia. Ad patrem itaque cum ingreſſus eram, ſtatim prima acceſſione quartanã futuram ſuſpicabar: Ideo primo die poſt primum paroxyſmum exhibui ʒ x. caſſię in bolo, quem cùm deuoraſſet, aluum quinquies excreuit, facilis quidem ſolutionis erat. Quarto verò die rediit paroxyſmus, vt nunc quartanam ſatis legitimam eſſe cognouerim, quæ per ſe nullo præcedente morbo inceperat. Gloriatur Galenus libro 2 De Criſ. cap. 4 nonnullis ſuis familiaribus, quorum pulſus tempore ſanitatis exquiſitè cognouerat iam ingruente acceſſione etiam prima, quartanam fore prædixiſſe. Verùm Galenus & cæteri Græci & Aſiani, vt nunc Hiſpani (vt ait doctiſſimus Campegius in campis Galeni hiſtorialibus) admodum ſunt iactabundi, & aliquando in hiſtoriis mendaces: ita vt hoc dictum valdè iactabundè à Galeno putat, tertianam quidem à quartana, qui primo ſtatim die neſcit diſtinguere, neque omnino medici meretur nomen. quod arroganter, (inquit Campegius) dictum putauimus: Non omnia poſſumus omnes, teſte Horatio. Exercitatio tamen plu-

men plurimum in hac re (eodem Galeno auctore) potest, & sic secunda accessio suspicionem nostram, quam de quartana futura conceperamus, melius confirmauit. Die igitur sequente secundam accessionem, ex vena lienari in brachio sinistro (cùm pater meus amantissimus adhuc vires validas haberet) vncias ferè sex sanguinis detrahere mandauimus. Deinde aliis diebus cùm tutus ac liber à paroxysmo foret, hoc decoctum sequẽs sumendum bis in die, propinauimus, ℞. fumariæ, scolopend. cardui benedicti, agrimoniæ, ceterach, capill. Ven. ana m. j. flor. cordialiũ p. j. cort. rad. fœniculi, liquiritiæ rasæ ana ʒ ß. seminis agni casti ʒ ij. corticum rad. cappar. thamaris. ana ʒ j. ß. folior. sennæ repurgatorũ à stipitibus ʒ vi. epithymi, polypod. querc. ana ʒ ij. prunor. damas. num. xiii. fiat decoctio secundum ordinem in ℔. iij. seri lactis ad consumptionem medietatis: coletur & zach. melior & delectabilior sapor inducatur, quo decocto quotidie bis térue aluum deponebat. Postea decocto absumto duobus diebus intermissis, vt hanc purgationem die quietis sumeret præcepi. ℞. cassiæ recèns ex cannis tractæ ʒ ß. confectionis hamech ʒ iij. seri lactis ʒ iiij. misce. In diluculo cùm sumpsisset, sexies aluum egessit, & quod dictu mirum est (in sene licet robusto) post quintum paroxysmum perfectè à quartana liberatus est, neque febris amplius rediit.

Scholia.

Tertium intermittentiũ febrium genus est exquisita quartana, quæ ex solo melancholico humore generatur, qui frigida & sicca constat temperatura: succenditur autem paulatim velut lapis aliquis, aut testa, aut os, aut tale aliquid huiusmodi corpus frigidum & siccum. Hæc autem

autem vera quartana declinanti ætati, cùm calor langueſcit plerumque contingit. Quamuis exquiſita quartana omnibus quidem ætatibus (Aëtio teſte) fieri poſſet, declinanti tamen maximè peculiaris eſt, licet Hippocrates libro De Hebdomadibus, vigentem maluerit, videturq; illi idem homo bis quartana occupari non poſſe. Idem inquit homo quartana bis non laborat vnquam, neque laborabit, ſi ſemel euadit. Propterea ſecundum ſingulorum naturam ætate vigente fit, neceſſe enim eſt vigentem hominis naturam hoc tempore quartana laborare, tranſacto vigore & à quartana & & à laboranti tempore abſolui. At quartana notha magis ætati conſiſtenti eſt familiaris. Nam & quartanæ febris, teſte Alexandro Tralliano, non vna ſpecies eſt, ſed multiplices & diuerſæ exiſtunt: alia ex flaua bile nimium adusta, alia ex fæculento ſanguine. De qua re vide ad longum Donatum ab Altomari parte 3. De Feb. medend. cap. 5. de exquiſita quartanæ cauſa, dignotione, prognoſtico, & curatione. in quo loco contra Auicennam contendit pituitam per aduſtionem in atram bilem mutari non poſſe. Qui Arabum ſecreta ſequuntur, exquiſitam quartanam eſſe volunt, qui ſit ex melancholia naturali vel ſucco melancholico: notham autem ex melancholia non naturali. Naturæ verò melancholicæ huius febris feraces ſunt, vt dicebat Aëtius, è temporibus autumnis, præſertim qui ſeipſo frigidior aridiórque ſit: edulia, potus, vniuerſaq; viuendi ratio, frigida & ſicca, & lienes aucti. Peculiare illi eſt, vt non ſtatim à prima die incipiat cum rigore, imò plærumque ex alterius febris decidentia gignatur, præcipuè ex his, quæ nullo ſeruato ordine accedunt, erraticæ appellatæ: progrediente tempore iam rigor inuadit, inualeſcitq; quotidie vſque ad totius morbi incrementum, cuius ſenſus non pungentis, ſtimulantiſue cutem, ſicut in tertianis, ſed vehementem algorem inducentis, & tanquam oſſa frangentis eſt. Audire igitur licet

lib. 5. cap. 82. de quartanæ exquiſitæ dignotione.

cap. 16. lib. 12.

Cauſæ.

Signa.

patientes detorqueri sibi ossa, perfringi carnem. Pulsus parui, debiles, tardi, rari, in principio accessionum fiunt, vt tales in aliqua vsquam dispositione haud facile inuenias: videbitur enim tibi in prima accessione arteria in deterius detrahi, & reddita prohiberi, vt quamuis æger fuerit adolescens, decrepitæ ætatis arteriam motione imitetur, quod si huius pulsum naturalem antea cognoueris aut alia ægritudine laborantem in principio accessionis viseris, nihil vltra expectabis, quin planè asseras hanc primò inuadentem quartanam fore, adeò immensam quandam tarditatem raritatemq; in arteriæ motione deprehendes. Vrinæ in principio quidem tanquam per crassiorem materiam excolatæ, sunt albæ, tenues, aquosæ: progrediente verò ægritudine seriatim coloratiores fiunt, crassamq; subsidentiam deponunt, ac declinante exacerbatione sudoris multitudo consequitur. Verùm exemplis subsequentibus hæc multò clariora euadẽt.

OBSERVATIO XXXII.

De febre intermittente subitò curata, & de altera longo tempore perdurante.

HVGO Iacobus Dussennius, zythepsa, patricius Delphius vir natus annos quinquaginta octo, æstate declinante circa autumni initium, plethora & cacochymia affectus, in febrem quartanam intermittentem incidit, quæ cum pauco frigore incipiebat, & adueniente statu, caliditas non erat ita vehemens vt in tertiana, licet maior quàm in quotidiana. eodem tempore nonnullæ quartanæ grassabantur. Cæterùm cùm bis aut ter paroxysmum passus esset ad eum accitus fui. Cumque animaduertissem corpus validum esse, & crasso sanguine abundare, ventre ventre prius à fecibus communibus per medicamentum le-

tum lenius subducto venam lienarem in brachio sinistro secari iussi, eoque nigro ac crasso exeunte ad vncias sex pluréue, viribus constantibus sanguinem fluere permisi. Deinde hunc syrupum ebibit. ℞ syrupi ex infus. ros. de, limonibus de epithymo ana ʒ ß. aquar. fumariæ, borag. ana ʒ. j. ß. misce. fiat syrupus. Postea die quietis hoc medicamentum purgans accepit in aurora. ℞ folior. senæ alexand. ʒ ij. rhabar. selecti ʒ ß. squinanti ϑ ß. se. anisi ʒ j. infunde per noctem facta prius leni ebullitione in ℥ v. aquæ fumariæ, manè fortiss. expressioni adde confectionis hamech ʒ vi. (nam ex natura durioris alui erat) electuarij de succo rosar. diacatholici ana ʒ j. syrupi de epithymo ʒ ß. misce & fiat haustus, quo multa melancholica & varia excrementa nouies egessit. & à febre deinde liberatus, & sanus factus est. At vxor eius paulo ante illum etiam quartana laborans, cum ab initio nulla remedia adhibuissèt, nunc quidem vena secta, post bolum cassiæ deuoratum, & medicamenta purgantia licet leuia adhibita (nam in quartana clementer agendum est initio) nihil profuere, cùm & ipsa postea in duplicem quartanam inciderit, demum in ictérum, sed ab eo liberata, vna quartana desiit, sed non diu pòst iterum in duplicem hyeme instante lapsa est, etiam ad cachexiam deuenit, ac pedes inflari cœperunt, sanguine subinde postea nimium è naribus fluente, vnde hepar frigidus euasit & cachexia subsequuta est. Verum postea rursus in simplicem quartanam transiit, & pedes minus inflabantur. & postremò ictero correpta, per totum corpus flaua euasit: ab ictero tamen & à crurum inflatione cùm mediocriter curata esset, in vere febris eam nondum reliquit, quamuis minus

duraret & horis tantum sex affligeret. Interea mense Maio, post decocta maialia ex herbis viridibus descripta rursus vena secta fuit in exigua tamen quantitate: postea rhabarbar. infusum accepit, & febris vix quinque horis tunc affligebat: deinde cùm in paroxysmi principio aquam rosaceam ebibisset, valdè angebatur, neque tunc epoto oxymelite, vomere potuit, ita vt pertæsa remediorum amplius, postea medicamentis vti non vellet. Paroxysmo altero tamen subsequente per se enormes secessus habuit, vt ea vice planè libera à febre videretur, ita vt nobis persolueret, ne amplius illam accederemus: res mihi tamen erat suspecta, febre deinde more solito redeunte, sed cùm vltra quinque vel sex horas perduraret febris, ab vlterioribus remediis deinde omnino abstinuit, quanquam vltra annum progressa hæc febris eam non reliquerit, & adhuc eadem laborabat, cùm hæc scriberemus.

SCHOLIA.

Definitio febris quartanæ exquisitæ.

PRIMA febris ad quartanam exquisitam referri poterat, licet in corpore satis pituitoso, & in homine catharris valdè obnoxio, interim plethora laborante. Altera verò, qua vxor detinebatur minus exquisita erat, cùm siti magis premeretur; nam in ipsa accessione, contra præceptum nostrum, copiosè ceruisiam bibebat: vnde paroxysmi non solùm longiores, verùm etiam ex malo regimine, febris simplex, duplex euasit. At febris exquisita quartana intermittens hoc modo à quibusdam definitur. quòd sit febris putrida, ex melancholico humore frigido & sicco orta, extra venas putrefacto, de quarto in quartum diem affligens. Cognoscitur autem ex Galeni dictis 2. De Differ. feb. cap. 1. & 5. & 2. De Crisibus cap. 3. & 4. & 1. ad Glauconem cap. 5.

cap. 5. & 7. Contingit magis declinante ætate, in qua calor languescit & humor melãcholicus colligitur, cutisq; densatur, & quartanæ veræ excitantur. nam & huic gignendæ melancholiæ magis apti sunt frigidi & sicci, qui curis & mœroribus confecti sunt, cibisq; crassis addicti terreis ac omnino fœculentis. Atq; huius melancholiæ copia accrescit autumni tempore, regione cœliq; statu inæquali. Aduenit verò in autumno vt 3. apho. 22. habetur, maximè si frigidus sit & siccus, vel inæqualis vt 2. De Cris. cap. 4. potissimum in temperaturis melancholicis vt 1. ad Glauc. cap. De Signis: maximè quando transit ætatem consistentiæ, nempe post 35. annum magisq; si eo tempore hæ febres vagentur vt 2. De Diff. feb. cap. 5. & si febres inordinatæ præcesserunt, vt 1. ad Glauc. etiam nocumento hepatis subsequente 2. De Cris. cap. 4. Atque has causas colligere possumus 2. De Differ. feb. cap. 1. & 5. & 3. Prog. Comment. 27. & 1. ad Glauc. cap. 7. in quibus locis etiam de signis fit mentio, vt etiam causæ ex iisdem locis facile deprehendantur, siue melancholia fiat à temperamento totius vel partis secundum Gal. 3. De Loc. affect. cap. 7 de melancholia per essentiam vel consensum. Totius verò vt sunt corpora calida, sicca, hirsuta, latas venas habentia, colorq; totius niger. Ex temperamento partis, vt iecoris, vel lienis. Hinc ex liene obstructo melancholia augetur, si putrescat, quartanam producit. Huc etiam spectant causæ externæ, aër inæqualis, Autumnus, cibi melancholici, potiones vini fæculenti & crassioris, tristitia, hæmorrhoides suppressæ, vel menses retenti in mulieribus. Ex febribus ardentibus, erraticis, si fiat incineratio, & putrefactio, febres quartanæ subsequuntur. Signa exquisitæ quartanæ ex iam dictis tum ab exemplis præcedentibus facile colliguntur. Incipiunt enim primo die cum paruo rigore, aut potius horrore seu frigefactione, qualis per gelu hybernum sentitur. At in augmento, hor-

Causæ quartanæ legitimæ.

Signa exquisitæ quartanæ.

to horror magis frigore confringens carnes & ossa, pulsus acceßionis initio velut ligatus & intrò retractus, vt decrepitorum, etsi iuuenis existat: in augmento & statu velox, frequens, seruata tamen tarditate aliqua, & semper inæqualis, tanquam huic febri proprius. Calor autem minus æstuans, feruens, deurens, quàm in tertiana: sitis exigua, quamuis hæc, tum reliqua symptomata grauiora quàm in quotidiana, mitiora quàm in tertiana: aluus quandoque retinetur, deiectiones nigræ sunt. Vrinæ albæ, tenues, crudæ, subrufæ, postea magis coloratæ & crassæ, variæ: vomitus biliosus hic minimè adest, acceßiones ferè habet horas 24. alias breuiores. est acceßio cæteris intermittentibus longior: in declinatione sudores fluunt sed minus copiosi. Quibus addere posses signa externa à causßis desumpta, ab ætate inclinante, temperatura melancholica, & aliis iam superius dictis. nunquid etiam febres quartanæ populariter grassentur spectandum. rarò etiam per se initio prehendit, sed febres erraticas, inordinatas, & alios morbos iam dictos, nempe lienares, sequi solet. Quod ad prognostica attinet. Quartana omnium febrium est securißima, facillima, longißima. id quidem intelligendū de eiusmodi quartana quam veteres intelligebant, nempe sine duritie, obstructione & abscessu lienis qui trāsit in hydropem. vindicat etiā à magnis morbis. nam epilepsiam sanat: Cum & à quartanis capti rarò conuelluntur: si verò iam conuellantur, quartana superueniente liberantur apho. 70. lib. 5. Ratio est aphor. 26. lib. 2. Imò spasmum & tetanum febris superueniens soluit. At per quartanas Hippocrates intelligit intermittentes & non continuas, vt liquet etiam 2. De Diff. feb. cap. 2. quæ enim perpetuò infestāt, meritò graues & dicuntur & sunt. Oportet deinde vt eadem sit genita, absque lienis aut alterius visceris affectu: quandoquidem ex liene sæpenumero grauiter vidimus, inquit Galenus 1. Epid. homines febre laborasse quartā

Signa prognostica.

Hippo. lib. 1 epid. & Gal. in commēt. 3. in eundem & textu 4.

quartana, ac deinde collecta aqua inter cutem esse defunctos. Verùm ipsa sua sponte quartana absque alio visceris affectu præsertim magno periculo vacat, neminemq; iugulat, vt inquit Celsus, & ab aliis etiam morbis liberat: atque ita nouimus morbos comitiales fuisse à quartana diu tamen infestantes discussos. & vt alij annotarunt quòd rarò illi, qui quartana laborant, maniam, melancholiam, epilepsiam, spasmum, ex repletione incurrant, eò quòd huiusmodi materia in vnoquoque paroxysmo facile expurgetur. & si istis morbis supradictis succedat, deinde etiam melancholicis, horum ægritudines magna ex parte tollit. ita & menses atque hæmorrhoides, si quartana laborantibus superuenerit, bonum: maxime autem coctionis signis præcedentibus. tunc enim plerumque à quartana liberantur. Elephanthiasi aut lepra affecti rarò quartanam incurrunt, si verò hac corripiantur, atq; hæc ipsa diu adhæserit, lepram inchoatam sanat. Febres quoque inordinatè vagantes iuxta Hippocratem & Galenum quartanæ fiunt. Loci autem natura & morborum ingruentium vis inspiciendi, num lien intumuerit, febresq; inordinatæ præcesserint, & ætas vigorem excesserit, tales autem quartana occupantur. Et ideo Rhases ex mente Hippocratis tum Galeni rectè dixit, quòd febris quartana rarò per se incipiat, quæ vt plurimum alias febres diuturnas sequitur, sæpissime verò quotidianam & tertianam non puram, præcipue si earum periodi oberrare cœperunt. cum enim præcedentibus febribus calor febrilis magis inflammetur, propter humorum incinerationem subtilibus accensis, tandem & crassus incenditur quartanæ fomitem præstans, Ruffo auctore, vt habetur apud Aëtium. Quartanæ quæ à principio vitio lienis inuaserint, diuturniores sunt, deprehenduntur à colore corporis, & cruditatibus, & quod haud facilè secedat aluus, item à lienis tumore, quodq; in sinistram magis decumbant: quibus periclitatur homo, ne tandem

Celsus 3. cap. 5.

Rhases.

Ruffus. Aëtius.

tandem temporis progressu in hydropem decidat. At quibus inflammatur hepar, colore albicantes sunt, & toto corpore turgidi, vrinæ subrusæ sandarachæ colorem imitantes: tangentibus dexterum hypochondrium, tumor occurrit, maior in his quàm in splenèticis, anhelitus difficultas, maior tussis, qui denique in hydropem ineuitabilem dilabuntur. Quartana quoque laborantes plærumque splenetici sunt, vel magna ex parte tales euadunt, & in icterum nigrum incidunt, sæpissimè verò & in sceletyrben seu stomacacem, vt in multis quidem apud nostros Batauos, maximè verò nautas in communi praxi hactenus obseruauimus. Prædixit Hippocrates aphor. 25. lib. quòd æstiuæ quartanæ magna ex parte breues sunt: Autumnales longæ, & maximè quæ hyemem attingunt. id etiam apud Gal. in Commento de quolibet morbo intelligitur. Breues sunt in æstate, quia humor tenuior est, cutis laxior, & materia facile discutitur. Autumnales quartanæ longæ & ad hyemem accedentes; quia harum materia crassior, cutis durior, ob externum frigus, quod excretionem prohibet, & materiam febris intus repellit. Neque perpetuò tamen æstate breues, sed cùm materia tenuior & sanguis tempestiuè detrahitur, & iusta vitæ ratio obseruatur. quod cum in patre meo charissimo, & in hoc primo ægrotante commodè factum sit, etiam in Autumno, hæ duæ quartanæ breuissimæ fuere. ita & in æstate iuxta aphor. 21. libri 3. quartanæ fiunt magis quoque in Autumno secundum 22. aphor. lib. 3. At vetus quartana rarò, nisi vere soluitur, inquit Celsus. Cùm autem febres diuturnæ sequuntur motum solis, sicuti acutæ, motum lunæ, quartanæ incipientes autumno, vere quandoque terminantur. Quæ ad hyemem fiunt, nonnumquam ad æstatem protrahuntur. Si autem non admittatur error in curatione, & æger sit obediens, rarò annum transit. Producitur autem ferè in tertium vel sextum mensem, aliquando in annum. Non desunt tamen quar-

Celsus cap. 17. lib. 3.

quartanæ, vt Ioannes Bacchanellus medicus Rhegiensis annotauit, quæ per duodecim annos perdurant, quibus omnibus inimicus est autumnus. Hæc autem ab Auicenna edoctus est, cùm is ipse in duodecimum annum produci scripsit. Nec id mirum, nam Mæcenas tota vita, perpetua febre (vt refert Holerius) laborauit, supremo triennio nunquam dormiuit. Sic & ego quendam noui (quod & annotatu dignum esse censeo) famulum Delfici portus, qui per octo annos cùm febre quartana laborasset, anno 1565. cùm quadraginta annorum natus esset, in pleuritidem incidit, à qua cum ope diuina remediis aptis à me exhibitis euasisset, postea 14. die à pleuritide restitutus cũ continuò febricitasset, quod signum etiam pleuritidi proprium est, rursus more solito eum febris quartana apprehendebat. Verùm huic consului, ne quid contra quartanam adeo illi innatam & confirmatam tentaret, cumq; nullis bonis remediis hactenus adhibitis non cederet: at imperaui vt se quietum teneret, & bona victus ratione vteretur. At his nostris mandatis neque consilio saniori auscultans, post annum cùm eadem quartana adhuc affligeretur, ex empiricis illis qui se errones seu AEgyptios medicos vocant, medicamentum contra quartanam, me dehortante, accepit: sed non diu ab exhibito medicamento anno 1566. cùm nouem annis quartana laborasset, subitò extinctus est. Huic quoque lien intumuerat, quod his semper ferè euenit, quibus diuturnius malum est, quàm si ab hepate ortum habuisset. Huic resistebat vtcumque aluus & facilior illi in sinistrum latus decubitus erat, mirum quod in hydropem non deuenerit confirmatam, quamquam ventrem vtcumque tumidum habebat: facies illi subnigra & totum corpus liuidum, quasi ictero nigro laborasset, quod illi ob splenis tumorem fieri iudicabam. Quamuis autem dictum sit ab antiquis, quòd quartana sit salubris, neminemq; iugulet, id quidem intelligi debet non simpliciter, vt etiam Rondeletius an-

tius annotauit, ſenes enim magna ex parte interficit, iuxta Paræmiam vulgarem Italicam. Quartana el iouene ſana, el ſene amaſſa: *nã iuxta Hippocratem ſenibus, ſi ægritudines diuturnæ fiunt, commoriuntur: inde credo natum prouerbium. Quartana iuuenem ſanat, ſenem interficit. Licet hæc regula non ſemper ſit vera: nam & ſeniores aliquos curauimus; niſi de decrepitis intelligatur & valdè ſenibus, qui rarius curantur ob virtutis debilitatem & defectum. Eſt & apud Italos aliud prouerbiũ,* El quartana non faſonara la campana. *quod quoque intelligitur de iuuenibus & non de ſenibus: cum ſenes magna ex parte moriantur, & iuuenes curentur. Interim quartana illa deterior eſt, quæ fit ex melancholiæ naturalis aduſtione: deinde illa, quæ fit ex aduſtione flauæ bilis, & potiſſimum ſi diu duret, hydrops metuenda eſt. Quæ autem abſque offenſione ſplenis, ſecurior eſt. citius autem illa curatur quæ ex ſanguinis aduſtione oritur, aliasq; febres ſequitur, quàm illa quæ ardentibus febribus ſuccedit, meo quidem iudicio peior eſſe cenſetur. Breuior itaque ex melancholia ſanguini permixta: atque hæc citius terminatur: deinde quæ ex bile, mox ex pituita (teſte Sanonarola): ex melancholia ſola omnium diuturnior eſt. Rara quoque quartana eſt ſine duritie aut ſplenis obſtructione. ſi ſine iſtis accidentibus ſalubrior, habetur. Quartanæ igitur ſanguineæ, biliosæ facilioris curationis exiſtunt, & omnis quartana intermittens cum robore virtutis, magna ex parte ſalubris iudicatur. Quartana ex bile vitellina cum melancholia vel ex pituita, difficiliores & longiores: ex nigra bile aut melancholia aduſta peſſimæ ſunt, & vehementius affligunt, licet citius terminentur. Quæ verò eſt ex melancholia non aduſta, moderatius ægrum torquet, licet tardius terminetur. Ea quoque melior eſt, quæ ex ſe incipit, & non ſequitur alias ægritudines, aut febres, cum obſtructione, aut hepatis apoſtemate vel lienis, inſanabiles exiſtunt,*

existunt, si ad hydropem conuertantur. Crisis quartanæ puræ quandoque in septem periodis absoluitur, scilicet 20. diebus aliquando. Aliquando verò septem septimanis, nonnumquam in septem mensibus, post diem quadragesimum. Soluuntur quartanæ vrinis crassis, aliàs albis, nigris, euntibus menstruis, hæmorrhoidibus fluentibus, & sanguinis è naribus profluuio, idq; præcipuè si sanguine multo æger abundat, modò non excedat, & hepar infrigidetur, vt huic mulieri euenierat: in cachexiam delapsa soluitur etiam abscessu in crura. At accidentia hic quoque consideranda, quæ si minuuntur, tum paroxysmi ipsi, bonum: si augeantur, & fortissima sint, deteriora; quamuis in statu talia esse solent. Anticipatio paroxysmi maior, iuxta Guainerium, augmentum significat: minor declinationem. at æqualis anticipatio, aut principium, aut statum. Verùm hæc discernes ex signis coctionis: quæ si appareant, tunc anticipatio vel postpositio æqualis, significat statum: si non appareant, significat principium. Similiter anticipatio maior vel minor, si prius apparuerint signa digestionis, semper significat digestionem: si verò non, notauit augmentum, sic & postpositio, si antea apparuerint signa coctionis, significat declinationem. Quare etiam diligenter vrina est inspicienda, vt rectè admonebat Bertratius: nam si vrina fuerit alba, subtilis, aquosa, statim à principio, vt perdurauerit hac forma, tempore longo, morbi longitudinem, & materiæ crassitiem decernit. Si color augeatur de die in diem, cum crassitie & bonitate contentorum, morbi breuitatem præsagit. At nigra aut plumbea cum sedimine crasso, liuido, & rubeo, arenoso, post signa perfectæ coctionis gradatim euenientis quaque die, morbi declinationem significat & salutem. Si verò talis ante signa coctionis subitò euenerit, & modò apparens, & rursus delitescens materiæ, multitudinem & virtutis naturalis angustiam repræsentat. In declinatione vrina crassa,

crassa, nigra, copiosè facta, quartanam sæpissime soluit. At si quartana (vt Rondeletius meminit) in continuam mutetur, graue periculum imminet, ac ferè desperatio. Quartanæ quoque aliquando lapis renum succedit, ex adustione: permutaturq; aliquando in morbos grauiores, epilepsiam, conuulsionem, cancrum, scirrham alicuius partis internæ, & in elephantiasim, si æger his vitiis obnoxius fuerit. Curatio verò exquisitæ quartanæ intermittentis, de qua nunc plenius deinceps agemus, hoc exemplo curationis interposito, melius eluceſcet.

OBSERVATIO XXXIII.

De quartana febre exquisita intermittente.

QVI in Autumno Delphis quartana afficiebatur, vir admodum melancholicus, annorum circiter quadraginta, niger, hirsutus: & cum ea existeret exquisita quartana, in Autumno oborta: inprimis, quod ad curationem quartanæ attinet, cùm illud maximè obseruare oporteat, quòd qui ea laborant, ab initio mediocriter ac leniter tractandi sunt, ita vt neque aliquod forte medicamentum neq. vacuationem vehementiorem adhibeamus, Galeno teste 1. ad Glauc. De Arte Curat. cap. 11. quem sectati sunt Paulus cap. 22. lib. 2. & Aëtius cap. 84. lib 5. Victum itaque instituere oportet optimum minimeque flatuosum, arcendique sunt à carnibus suillis, atque ab omnibus eduliis quæ tenacia sunt, & tardum habent exitum, ac quæ refrigerant & exsiccant corpus, vt ibidem à Galeno scriptum est. ob hanc causam, ægro huic nostro consului vt boni succi cibum, concoctu facilem, substantia non crassa sumeret: quemadmodum volatilia quæ in paluſtribus non degunt, vt gallinæ earumque pulli sunt, similiter & columbarum, carnes capi,

capi, perdicis, phasiani & reliquæ eiusmodi, insuper & quænon refrigerandi exsiccandique vim habeant, sed leniter calfaciendi ac humectandi corpus. Auicenna autem iubebat, si possibile esset, quòd æger perpersistere posset per primas tres hebdomadas sine carnibus, vt id faceret: postea eas concedebat. interim versus statum victum tenuiorem præscribebat. Galenus tamẽ carnes admittit paruorum volatilium, in die quo non febricitant ægri, si per tres septimanas carnium inædiam tolerare non possunt. Die itaque paroxysmi æger à cibo abstinebat, aliis verò temporibus, pullis gallinaceis & volatilibus carnibus vtebatur; vinum quoq; admisimus tenue & album. Atque hæc prima intentio curandi, cum postularet, victum optimum minimeq. fluctuosum, sed ventrem emollientem, pruna cocta atque poma zaccharo aspersa & oua mollia concedebamus. Deinde ad secundam intentionem curandi accedentes, quæ perficitur ventris lenitione, tum clysteribus emolliẽtibus, quos cùm abhorreret, feces communes cum cassia recenter extracta eduximus: postea ad præparationem materiæ hunc syrupum ebibit. ℞. syr. de succo borag. de fumo terræ, acetosi simplicis ana ℥ j. aquæ fumariæ, lupulorum, borag. ana ℥ ij. misce pro duabus dosibus. Mox ad tertiam intentionem curandi accessi, quæ completur euacuatione, vel per venæ sectionem, vel pharmacum solutiuum: venam verò secamus si sanguis abundat. Cum autem aliqua ex parte plethora adesse videretur, venam lienarem secari iussi in sinistro cubito ex mente Galeni, & optimè tulit, qui vtcumque crassus, & niger fluebat ad vncias ferè sex. Deinde illũ purgaui infuso senę, cum sero lactis etiam epithymo adiecto. Deinde rursus ad syrupos ex succo

borag. de pomis, de epithymo, de fumaria, adiecto decocto fumariæ, scolopend. lupul. absinthij, borag. buglossæ & similium: mox ad decocta simul purgantia & digerentia accessi hunc in modum. ℞. rad. bugloss. fœniculi ana ʒ ß. fumariæ, lupul. scolopend. capilli Ven. ana m. j. borag. absinthij ana m. ß. folior. sennæ alexand. ʒ j. epithymi ʒ ij. mirobal. chebul. Indor. ana ʒ iij. prun. damas. numero ix. vuar. pass. enucleat. ʒ j. se. anisi ʒ j. seminis citri ʒ ß. fiat decoctio in aqua communi pro ʒ ix. manibus fricetur, decoctum adhuc tepidum coletur addendo sy. de epithymo, de fumoterræ, de pomis ana ʒ j. pro iij. dosibus misce. Ad euacuationem etiam pertinet vomitus, vrinæ & sudoris euacuatio. At cū medicamtēis tædio afficeretur, & febris eum non relinqueret, quartam intentionem quoq; aggressi, lienem inungendo oleo de capparibus, & ventriculum oleo mastichino. tum quintam intentionē simul absoluendo, quæ ad symptomatum correctionem pertinent, ad remotionem frigoris, spinam oleo rutaceo inunximus. alij costiuo vtuntur, & theriacam vel mithridatum exhibent. Sed cum amplius medicamentis vti non vellet, hyeme iam progressa, ac remediis postea omnino abstinuimus: interim vt victu optimo ac conuenienti vteretur, mandaui: & vere instante prius à febre quartana liberatus est.

Scholia.

Quod ad iudicationes curandi febrem quartanam exquisitam attinet, cuius exemplum nunc attulimus respiciunt melancholicum succum, siue humorem præparemus, siue purgemus, siue partes affectas roboremus. Exigua indicatio hic sumitur à febre, vt etiã medicus insignis Capo de Vacca

de Vacca apud Italos sentiebat. sed omnis ferè ab eius causa. Causa autem huius febris est humor frigidus & siccus, ideo si illum educere velimus, prius incidendus est & præparandus: & quoniam viæ non sunt apertæ, oportet eas aperire, humorem subtiliare, incidere, materiam melancholicam educere: interim ea aliquãdo habet sanguinem admixtum, & tunc hic humor educitur per venæ sectionem, in qua non expectamus coctionem, vt 11. Methodi. 15. constat. De remediis postea. At prius circumspiciendum nunquid indicationes absoluere possimus, quod ex supradictis signis satis constat: nam quartana exquisita, de qua nunc fit sermo, non pẽdet ex atra bile, nec ex humore calido, sicco, pessimo, sed ex fece sanguinis melancholici naturalis, in qua non est malignitas, vt in atra bile: deinde hic humor putrescit extra venas, ideo neque calor est intensus, neque adeo sæua adsunt symptomata. Curari itaque potest, dummodo non pendeat ex tumore lienis, & diuturnitate temporis ad hydropem ager veniat, tunc est periculosa. Sed quamuis hæc febris curationem admittit & tuta sit, ea ipsa diligenter est tractanda. Secundum quosdam quinque sunt intentiones curandi, vt in Obseruatione præcedente diximus, & de prima Galenus loquitur 1. ad Glauc. cap. 2. cum victum instituat optimum sine flatibus. de quo victu etiam vide Auic. 4. Can. cap. 68. fusius: idem prohibet ægrotantem in die paroxysmi à comestione: præstat febrem superuenire vacuo ventre, ne natura obruatur. De aliis intentionibus Galenus sermonem habet loco citato, sic inquiens, Quartana mediocriter ac leniter ab initio tractanda, nullum forte medicamen aut euacuationem exhibentes, nisi sanguis abundare vehementer videatur, tunc vena secetur interior, vel media, quæ est in sinistro cubito: quod si niger, aut crassus sanguis videatur, audacius mittatur: si flauus & tenuis, statim supprimatur: cùm morbus in suo vigore fuerit, prouidendum

Indicationes febris quartanæ curandæ.

Prima intentio.

De aliis quatuor intentionibus curandi.

dendum est visceribus cum his quæ emolliunt & laxant, deinde medicamentis vtendum est quæ vrinam cient: etsi coctionis indicia apparuerint, cum his purgandum quæ humores atros expellunt, non semel tantùm, sed sæpius, si fuerit necessarium: vtendum & à cibo vomitibus, & qui nequeunt vomere, per inferiora purgentur. Hæc Galenus: Auicenna verò de his fusius pertractat 4. Canone, cap. 66. & Rhas. x. Alma. cap. proprio. Pessimè igitur faciunt Paracelsici, qui hanc febrem ab initio cum antimonio curare nituntur, vel aliquod vehemens medicamentum propinant: vnde vel commoriuntur, vel in duplicem febrem incidunt.

Observatio xxxiiii.

De muliere ex mensibus suppressis in quartanam intermittentem incidente.

Mvlier alioqui subnigra, hirsuta, melancholica, cui longo tempore menses constricti erant, licet virago, quartana febre correpta fuit quadraginta circiter annorum, mense Septembri, cùm aliquot quartanæ etiam grassarentur. Cassiæ bolo deuorato, zaccharo aspersò, cum semine anisi exiguo ad correctionem, materiæ communes expurgatæ sunt. Quidam electuarium lenitiuum ab initio exhibent, alij id minus probant ante venæ sectionem, cum sennam recipiat & electiuè purget: attamen vbi multitudo materię adest, potest pro minoratione materiæ in principio adhiberi: cum Benedictus Fauentinus præceptor meus charissimus in initio diasene lenitiui ʒ j. epithymi pulueriſati ʒ j. ß. dabat. Interim si superfluitates sint in intestinis ante venæ sectionem, etiam clysteres molliores minusq. acres in principio conueniunt, quibus etiam nos in hac febre felicissimè ali-

mè aliquãdo vſi ſumus. Fecibus communibus repurgatis, vena media ſiniſtri cubiti ſecta fuit, cumque ſanguis niger & craſſus efflueret, viribus conſtantibus, magis audacter ſecundum Galenum extractus eſt. Poſtea ſyrupi propinati ſunt hunc in modum ℞. ſyrupi acetoſi ſimplicis de duabus rad. oxymellis ſimplicis ana ℥ j. aquar. meliſ. cichorij, borag. ana ℥ij. miſce pro ij. vicibus. Syrupi aliqui hic non ſemel ſunt propinandi, ſed ſæpius, prius mitiores ante purgationem: quales ſunt bugloſſæ, de ſucco boraginis, de pomis, capill. Ven. cum aqua meliſſæ, borag. vel decocto earundem. Nos autem ſyrupos acetoſos dedimus ad maiorem inciſionem. iſtis tum aliis ſyrupis adhibitis, leniter prius purgata eſt. ℞. diacatholici ℥ vi. confectionis hamech ℥ ij. ſy. de bugloſſ. ℥ ß. cum ℥ iij. ß. decoct. communis, qua in fine ebullierint epithymi ℥ ij. miſce. Hic ſciendum eſt epithymum non ſuſtinere decoctionem, ſiue in ſyrupis, ſiue in apoſemate, ſiue in ſolutiuo addatur: nam multa coctione vis euaneſcit. ſumebat autem in aurora, poſteriore die quietis: quo quidem die portio melãcholiæ, quæ ſequentem paroxyſinum factura eſt, quodammodo mouetur, quæ ſic mota facilius educitur quàm priore die. Poſtea ſyrupi magis incidentes cùm conuenirent, vt de fumaria ſimplici & compoſita, ſyr. de pomis compoſ. de quinque radicibus, oxymel. compoſ. ſyrupus de Byzantiis: talem ſyrupum accepit ad tres quatuórue dies. ℞. ſyrup. de epithymo, de Byzantiis, oxymellis compoſiti ana ℥ ß. aquæ meliſſæ, arthemiſiæ, (eò quòd menſes reſtricti erant) borag. ana ℥ j. miſce. Deinde fuit hoc vel ſimili modo purgata. ℞. diacatholici, confectionis hamech ana ℥ ß. decoctionis communis (in qua ebullierunt folior.

ſenæ, polypod. quer. ℥ß.) ℥ iij. ß. ſy. de epithymo ℥ß. miſce, fiat hauſtus in diluculo ſumendus, ſecundo die à paroxyſmo. tandem, vt menſes fluerent reſtricti, ſaphena ſecta fuit. & decocta magis aperientia cùm ebibiſſet ex borag. meliſſa, arthemiſia, pulegio, bugloſſa, ſcolopend. adiectis ſy. de arthemiſia, de fumoterræ, de epithymo menſes aperti fuere, non diu poſt febris eam reliquit.

SCHOLIA.

QVAMVIS vacuatio vehemens in initio quartanæ minus conueniat ob id quod humor, qui hanc efficit, tractui ſit contumax: ægrè enim per initia, & antequam coctionem ſit expertus, trahens medicamentum ſequitur, tum propter craßitiem ac frigiditatem, tum quòd vias anguſtas, per quas tranſit, obſtruit, tum quòd qui carnoſo genere reſidet infarctus ſit meatibus. Igitur expectanda concoctio, nam ſi prius vehementi medicamento trahere moliaris (humore non ſequente) ſanguis & carnes eliquantur, natura irritatur, obſtructio & febris augentur, & alia id genus incommoda fiunt. Verùm cum in miſßione ſanguinis coctionem non expectamus, vbi ſanguis admodum exuperat, huius ſtatim, vt Galenus ſuadebat, molienda eſt vacuatio: ideo hic ſtatim vena ſecta fuit. Non deſunt tamen viri doctißimi, inter quos eſt Rondeletius qui id ab initio non præcipiunt, ſed potius circa medium tempus augmenti. Atque ita non poſtremæ notæ medici nonnulli cenſent ſanguinis miſßionem in progreſſu morbi, materia iam concocta potius, quàm in principio, faciendam. At præſtantiores alij id ab initio fieri volunt, modò ſanguis abundet ſeruatis regulis iam ſæpe dictis, præmiſſo clyſtere aut medicamento leniente, ſi aluus probè non reſpondeat. Si igitur adſit plethora, ſi corpus craſſo ſanguine ſit repletum, ſi vena turgida

De venæ ſectione.

turgidæ, si corpus gracile, si suppressa sit aliqua solemnis purgatio, vena secanda: scilicet vena interna, vel media sinistri cubiti: hæc enim ex liene, qui præcipuè in febre quartana affici solet, humorem melancholicum vacuat. Quidam verò vt præceptor meus Benedictus Fauentinus primò ex sinistra basilica sanguinem detrahit, secundò verò post tres dies ex saluatella. At ferè semper aperitur sinistri brachij; saluatella verò, iuxta Holerium, si quidem viribus metuimus. At non semper eadem vena mittitur, quamuis enim Galenus 1. ad Glauc. mediam in sinistro cubito secat, potest & interna secari etiam in sinistro cubito secundum eundem, si splenicus fuerit homo, etiam Aëtio teste: at si circa hepar fuerit affectio, vt idem Aëtius testatur, ex basilica dextra vena aperienda est, cùm hepar magis quam lien laborauerit: & ita etiam aliquando saphena aperienda circa talum: vt in hac muliere, vbi menses restricti sunt. Si itaq; vena secetur in cubito primo, illud semper obseruare oportet, si ater, crassus, & niger fluxerit, audacter mittendus est; si flauus, tenuis, aut rubicundus appareat, statim reprimendus est, ex Galeni decreto: quamcumque secueris venam: licet aliquando periculi gratia, vt cognoscamus qualis sit sanguis, vena inciditur. Vbi verò signa sanguinis non apparent, Benedictus Fauentinus præceptor meus suadebat, vt etiam in Empirica sua scripsit, ne sanguis mitteretur, eò quòd peccantẽ humorem magis infrigidet & morbum producat. quod videtur sumpsisse ex 4. cano. Auice. cap. 66. Quando, inquit, non est necessaria phlebotomia, tunc est nociua, quatenus debilitat & ducit ad contrarium melancholiæ, & quatenus mouet humores ad exteriora. Interim sẽcta vena, præcipuè etiam curandum est vt venter, si minus respondeat, consuetis alimentis vel medicamẽtis mollioribus potissimum autem clysteribus leniatur: etiam eo tempore, dum materia concoquatur, clysteribus lenioribus commodè

Quæ vena secanda.

Clysteres vtiles.

vtemur, primum mollioribus, deinde acrioribus: sensim enim augenda est vis, prout sensim materia febris concoquitur. Quidam enim quarto quoque die clysterem infundere solent, de vsu horum enematum vide latius Rondeletium. Exempla mollium facile ex supradictis colliges, paulo acriores apud eundem quoque describuntur. In aliis verò, qui clysteres non admittunt, potiones lenientes primò exhibituri sumus, etiam leues euacuationes non sunt relinquendæ in principio & purgationes, quamuis fortiter interdixerit Galenus. quod etiam Celsus videtur intellexisse, quando aluum ducere præcepit post septimum diem. & sic nos magna cum vtilitate sæpe exhibuimus ʒ iij. syrupi solutiui ex rosis pallidis. vel ʒ j. ß. mannæ cum sero caprino. vel syrupi viol. ex infus. ʒ iij. Interim etiam prius, antequam leue detur purgatis medicamentum, syrupi aliqui non semel duntaxat sed sæpius exhiberi poterunt; primò mitiores (vt diximus) paulo pòst, magis incidentes: hæc inquam in principio & augmento facienda sunt, & ideo semper illud memoriæ commendandum, quod initio quartana, vt dictum est, mitius tractari velit, neque medicamentis catharecticis natura irritanda neque incidentibus, cum digerentia media esse oporteat. Nam quicumque initio non solùm catharecticis, sed etiam fortibus incidentibus & digerentibus vtuntur, ex simplici quartana, duplicem, vel omnino maiorem & difficiliorem; ex duplici triplicem, vel omnino maiores, difficilioréque reddiderunt. Nonnumquam & hæc ipsa (vt sæpius spectauimus in Paracelsicis & empiricis, qui fortibus metallicis aut violentis purgationibus vtuntur, vel admodum calidis) continua fit, quæ ægros occidit. Tempora igitur huius febris diligenter animaduertenda sunt: neq; enim vrina sola, sed omnia accidentia, paroxysmi quoque inter se comparandi, videndúmque an grauiora, an minora symptomata superueniant,

Potiones lenientes.

Celsus.

Syrupi.

Paracelsici male exhibent fortia metallica in quartana.

stiant. Verùm quod ad pharcama attinet, non perpetuò expectanda sunt signa coctionis. Aliquando enim multa materia est corporibus neruosis impacta, sequiturq; paralysis, cuius si qua ostenduntur signa, etiam si manifesta coctio non apparet, maioribus remediis vtendum est. Neque leuioribus pharmacis vti & clysteribus interdictum est, qualia sunt lenientia iam dicta. Interea in curatione quartanæ exquisitæ de qua nunc agimus ex succo melancholico, si ea quis laborans corpus non modò succo melancholico, sed aut pituitoso, aut bilioso aliquo modo sit refertum; sic præter sennam, verbi gratia, in purgationibus admiscebimus aliquid agarici, vel rhabarbari, & magis semper signis coctionis aliquo modo apparentibus, syrupis magis incidentibus vtemur, & deinde purgationibus paulo vehementioribus non tamen violentis. Post materiã digestam & bene expurgatam suppressa purgatio solemnis suo modo incitanda erit, & ita menses restrictos non in principio sed postea euocauimus: eodem modo & hæmorrhoides retentæ, aperiendæ, & expurgandæ. Cùm & Benedictus præceptor meus in Empirica sua cap. proprio de quartana, inquit, Si his peractis phlebotomiis (nempe ex basilica vel ex saluatella sinistra) post sex dies apponantur hyrudines hæmorrhoidibus, vidi experientia ægrum liberari à quartana. Verùm vt in prædictis ordo obseruetur, primò aluum leniemus, deinde venam secabimus, vel vt alij post leniens medicamentum tres vel quatuor syrupos leniores dabimus, deinde venam aperire præcipiemus tertio vel quarto die, non tamen in die accessionis: mox rursus quatuor vel quinque syrupos propinabimus, postea purgans lene, deinde ad fortiores seu magis incidentes syrupos veniemus, & paulo validiores purgationes. Sunt autem hi humores quartanam inferentes difficilis eductionis ex mente Galeni, ideo medicamenta sæpius repetenda.

Pharmaca quando exhibenda.

OBSERVATIO XXXV.

De febre intermittente quartana legitima, populariter grassante.

ANNO 1558. multi quartana licet vera & legitima in Hagacomitis in Autumno laborantes moriebantur, quamuis eodem anno Delphis paucos quartanarios præ manibus habuimus & qui nobis contingebant omnes bona victus ratione, & remediis tempestiuè adhibitis sanati sunt. Eodem tempore cùm quasi populariter quartana in Hagacomitis grassaretur, Henricus Vergerius medicus doctissimus, multo me senior, pro febre quartana propulsanda aquam vomitoriam quandam ex aceto & herba acetosa destillatam in ipsis accessionibus febrium, videlicet cyathum vnum propinabat, atque ita vomitum irritabat, qua etiam in iis vtebatur quibus pituita aut bilis stomacho inhærebat, ac nauseam inferret. Adidem malũ tum etiam quartanam vtebatur aqua rosacea ex rosis prouincial. à pharmacopeis ita vocatis destillata, quam & Amatus pro experimento indubitato pro quartana propulsanda tradit conuenire, Cent. 2. Curat. 97. sic inquiens, Cum frigore quartanarius torqueri cœperit cyathũ stillatitiæ aquæ rosatum ebibet, quo multa & biliosa euomet & sanus euadet, ita enim multis euenisse obseruauimus. Existimo autem Amatum intelligere aquam non ex quibusuis rosis destillatam iuuare, sed potius illam quæ ex pallidis rosis prouincialibus dictis destilletur, quæ magis laxat, qua Vergerius vti solebat. Ego tamen mallem vti remediis communibus, & si his vetndum sit, cum cautione id præstandum, aliis omnibus remediis vniuersalibus prius tentatis: mulier enim illa, de qua

de qua egimus Obs. 32. præcedente, cùm aquam rosaceam ex nostris rosis communibus albis destillatam sumpsisset, nullo modo potuit euomere, aqua circa præcordia hærente, quæ insignem dolorem & angustiam inferebat. Vidi etiam in matrona illa nobili, vxore Domini Cornelij Zuzij Consiliarij, aquam rosaceam licet prouincialem vel acetosam (cùm quartana afficeretur) ex consilio Vergerij cùm sumpsisset, & vomere non posset, nisi pauca quædam, cum maxima angustia, ita vt postea quartana non tanùtm sæuire magis cœperit, sed etiam mutata fuerit in duplicem quartanam: quæ multis deinde mensibus durauit, neque vllis remediis à me tum eodem Vergerio curari potuit, ita vt tandem ex ea ægritudine obierit. quamuis tamen alij nonnulli vomitu irrumpente sanati fuerint. Interea eiusmodi experimentis (vt prius admonuimus) vtendum est cautione adhibita.

SCHOLIA.

VOMITVS *quamuis laudatur ab auctoribus, eo tamen cautè vtendum suadeo, iis quoq. obseruatis, quæ ad vomitum eliciendum spectant, & quo tempore magis vel minus conueniat. Quidam in principio at leuem vomitum laudarunt, modò materia in stomacho fluctuet, aut natura ipsa tentet vomitum: quoniam multæ materiæ melancholicæ in quartana à splene in stomachum transferuntur vel ventriculum & tunc leui vomitorio ipsam iuuare & sine molestia expellere possumus. quemadmodum doctissimus ille Curtius facere præcipiebat cum aqua hordei tepida, & syrupo acetoso. At fortiora non conueniunt vomitoria in ipso principio. Rursus vomitus ante cibum iuuandus, si æger facile vomat: si difficulter, post cibum. Videtur vomitus potius commendari à Galeno 1. ad Glauconem in quartana non*

na non tantùm præmissis vniuersalibus remediis, nempe lenientibus sectione venæ, syrupis & purgationibus, verùm etiam iis quæ vrinas euocant, quæ etiam non antea adhibebat, nisi coctionis notæ apparuissent, & tunc quoq; medicamentis vtebatur quæ atram bilem educebant: non semel, sed subinde purgabat, si res ita exigere videbatur, tunc primum mentionem faciebat de vomitu: sic inquiens, A cibo verò ægrotum vomere oportet: tunc autem si nihil vetet, album veratrum sæpe dandum est: primum radiculis immistum: quod si nihil profuerit, ipsum veratrum. His verò qui vomere nequeunt vehementius per inferiora purgatis, medicamentum quod ex viperis est paratum, dandum est, & alia quæ aduersus has febres commendantur: in quibus omnium probatissimum habetur, quod ex liquore Cyrenaico conficitur, nobis vsitatum. Qui autem per initia aliquod ex his medicamentis dederunt, aut omnino ante morbi statum, ex simplici quartana duplicem sæpe aut sine dubio maiorem ac difficiliorem; ex duplici verò triplicem, aut omnino duas ipsas difficiliores ac maiores reddiderunt. Noui enim medicum quendam, qui tribus quartanis laboranti medicamentum ex viperis ante vigorem dare sit ausus: deinde omnibus vt par erat adauctis assidua febris successit, quæ hominem iugulauit. Idem Aëtius à raphanis, nisi quod prohibuerit: plurimi enim, inquit, qui ad hoc præsidium confugerunt, quidam exactè salutem adepti sunt, quidam subinde lenius tulerunt ægritudinem: nam haud solùm infectos humores è stomacho reddunt, sed inde quoque rectius concoquunt. quod si nihil impediat, albus quoque helleborus mirè subuenit, primò raphanis infixus: veluti libro De Purgantibus medicinis docuimus: inde ipsius etiam hellebori substantia. quibus verò vomitus non conceditur, his exactè prius per secessum purgatis, dandum medicamentum è viperis, quod Theriacam vocant. Verùm cum non omnes ad vomitum

Cautio.

lib. 1. cap. 83. de curatione quartanæ.

mitum sunt idonei, quales qui presso anguſtóque sunt pectore, quiq; vomere non consueuerunt, supplendum per inferiorem ventrem eſt, quod per vomitiones eſt negatum. Ideo vbi leniora medicamenta præcesserunt, vehementiore medicamento opus eſt, quod humorem deorsum ducat. Idq; maximè apparentibus coctionis signis. imò verò, vt verè dicam, atra bilis, vt Galenus docet, semper deorsum eſt educenda, niſi aliò feratur. At quibus conuenit vomitus, diuerſo tempore à quibuſdam imperatur, à quibuſdam Græcis à cœna, vel à cibo: ab Auicenna ante cibū: rurſus alij hora ante paroxyſmum: nonnulli initio paroxyſmi. Quidam etiam recentiores practici (vt ita dicam) in initio huius febris vomitum prouocant & ante paroxyſmum: quamuis & hæc commodiſſima hora eſſe poteſt, vbi materia commota facilè ſequatur: huius remedij tanta vis eſt, modò rectè inſtituatur, vt multi hoc vnico præſidio conualuerint, quamuis aliis quoque, quibus non conueniebat, noxam haud exiguam intulerit. Holerius verò hoc præſidium commendat, vbi ſigna coctionis manifeſta apparuerint, pridie acceſſionis ex decocto ſeminis atriplicis, vel raphani, aqua, vel ptiſana tepida digito immiſſo in gulam, penna illita oleo in vomitum à cœna cōmouebat. At Capo de Vacca medicus inſignis & profeſſor Patauinus, vt nuper ab eiuſdem diſcipulo intelleximus, medicamentum per ſeceſſum potius quàm per vomitum laudabat, niſi quis pronus ad vomitum eſſet, tunc vomitorio vtendum ſuadebat, ſignis coctionis apparentibus: & licet atra bilis humor calidus & ſiccus ita per vomitum euacuatur, melancholicus verò ſiccus frigidus & ſiccus magis difficulter. interim tamen ad veratrum non veniendum ſuadebat, niſi in valdè diuturnis, reliquis remediis iam dictis non iuuantibus. Satis validum eſſe putabat quod ex ſucco raphani & floribus geneſtæ fieret. Iſtis tamen non conferentibus, magis illi placebat adhuc veratrum album quàm antimo-

Quando vomitus inſtituendus.

Holerius.

antimonium, quo Paracelsici nostri tam temerariè etiam in principio mali vtuntur. Idem obseruauit, veratrum album ad grana tria nihil effecisse, at ex quatuor granis antimonij semper subsequutas fuisse enormes euacuationes. At recordor, inquit, exhibitum ab aliis fuisse cuidam Hebræo in minima portione, & eduxisse aquam in magna copia ad innumeras libras, & mortuus est. Et ideo magis veratrũ album præponebat, dũmodo rectè propinaretur. Interea licet veteres veratro albo vterentur, maxima cautione opus erat.

Historia de veratro albo malè in substantia assumpto.

Nam ipse memini cùm Delphis pistor quidam longo tempore valetudinarius, cumq; ex mulierculæ consilio veratrum in substantia sumpsisset, in conuulsionem incidit & pænè in mortem, nisi remediis aptis per me adhibitis, vt De Venenis assumptis alias latius declarabimus, si Deus nos superstites fecerit, restitutus fuisset. Præstat igitur aliis vomitoriis vti, & tutius quidem oxymellis simplicis ℥ ij. cum l. ß. aut ℥ 4. aquæ tepidæ exhibebimus, interim ipsius raphani, seu radicum, in eadem aqua facto decocto, aut adiectis eiusdem succi ℥ ij. vel iij. ab albo helleboro ægros abstinendos esse inbebimus, quoad fieri poterit. Vel in principio id tentabimus, vt dictum est. si adsit nausea cum leuioribus: nam & Rondeletius vomitum laudat, si nauseat æger, in principio accessionis hunc in modum. ℞. florum chamomillæ ℥ j. florum anethi ℥ ß. fiat decoctio in aqua raphani, vel cum eiusdem decocto bibat initio accessionis. Vel fiat decoctum ex semine asari vel ex radice eius. Deinde cum vomitus initio paroxysmi & remissione fiat, tum etiam iam cænatis, & iuxta mentem Galeni à cibo. Alexander verò Trallianus cap. 8. lib. 12. vomitum omnibus vtilissimum fatetur, præsertim iis qui humores crassos in ore ventriculi continent: verùm non à cibo, sed optimum eius tempus esse, inquit, accessione incipiente. quoniam etiam tunc humores cum materia mouentur, & illa in stomachum confluunt, illumq; rodunt & nauseam

Alexander Trallianus

nauseam excitant. exhibet autem mulsam, non nimis aquosam, ac præcipit anserinis pennis præcipuè vtendum, vt maiori irritatu vomitus omnino proueniat, præsertim vbi humores valdè lenti sunt, ac difficulter auelli possunt: quomodo inueteratas quartanas discussisse fatetur, vt nonnullæ ipsarum superata iam deteriore parte conquieuerint. Porro quæ de vomitu, inquit Alexander, licet ab iis quæ de eo præcipit Galenus, Paulus, & Aëtius dissidere videantur, haud ægrè conciliari queunt: nam à cibo vomitus quem præcipiunt iam dicti viri, exinanire videtur humores, qui futuram accessionem excitare debent: & proinde aut ipsam prohibebit, aut saltem leuiorem efficiet, vbi potissimum præcedente die ante accessionem talis fiat vomitus. Propterea, inquit Donatus, id spectantes Galenus, Paulus, & Aëtius à cibo eam præceperunt, quò promptius crassiores succi aptitudinem quandam habentes ad futuram accessionem per eum exinaniantur. Alexander verò eos dumtaxat tentauit per vomitum crassos succos exinanire, qui iam accessionem efficiunt, & propterea incipiente accessione vomitum commendauit: insuper & motū eorundem humorum, ac confluxum in stomachum eo tempore inspexit, vt ipsemet eodem loco manifestauit: Vterque igitur vomitus diuersa ratione iuuabit, vbi ad eum prompti fuerint laborantes.

Conciliatur Alexander cum Galeno Paulo, & Aëtio.

De meden. feb. par. 3. cap. 5. de exquisitæ quartanæ caussa, dignotione, prognostico & curatione.

OBSERVATIO XXXVI.

De febre quartana intermittente legitima, in hydropem lethalem mutata, ex medicamento calido intempestiuè epoto.

ISBRANDVS, filius Guilhelmi Titelmanni cerevisiarij Delfensis, annorum 25. cùm quartana intermittente legitima aliquo tempore in Autumno laborasset, ac ea liberari non posset, consultum illi fuit à medico

à medico vt puluerem calidissimum ex pipere, cardamomo, sinapi, & similibus cùm aqua vitæ in ipsa accessione sumeret, quod cum dissuasissem, licet hoc ipsam febrem per accidens ob nimium calorem tollere posset, interim ex eo symptomata aliquot multò vehementius & periculosius febre quartana inde euenturum prædixerim. non obstante medicamentum sumpsit, ac subitò à febre euasit: sed ilicò totum corpus intumescere cœpit, ac in hydropem incidit, à qua liberari nunquam potuit, qua cùm per annum miserè vitam traxisset, Paracelsico quodam illi vitam promittente, diuersis & violentis remediis vsus est, sed frustra, non diu morte subsequente.

SCHOLIA.

DICTVM est prius quòd quartana mitius tractari velit: & ideo eiusmodi calida præcipuè in accessione non conueniunt ante signa concoctionis, & quanquam ex hoc medicamento calido epoto febris cessauerit, tamen vtroque viscere obstructo & præcipue liene indurato, ex siccitate magis duriora viscera effecta sunt, tenuiori materia per calorem exhalante. Et quamuis Galenus in quartana salsamentis ac sinapi vtendum suadeat, & certis diebus interpositis medicamentum, quod, quia ex triplici conficitur pipere, trionpipereon dicitur, exhibeat, aut diospoliticon, solúmque piper cum aqua quotidie præbet, id quidem non facit in accessione, deinde etiam piper concedit cum aqua, ob succum melancholicum, frigidum, & siccum: & verisimile est, quod multa fuerit copia aquæ, exiguúmque piperis admixtum. Vnde etiam iniuria Galenus afficitur ab Alexandro Tralliano, qui illum malè reprehendit, quòd eiusmodi calidis vtatur in quartana, quamuis in legitima tantum iis vtitur, & non in aliis legitimis, vt ad longum declara-

Galenus.

Alexander Trallianus contra Galenum.

declaratur à Donato ab Altomari De Medēdis feb. parte 3. cap. 5. circa finem de curatione quartanæ exquisitæ. Verùm cùm hic calida intempestiuè exhibita fuere, cum aqua vitæ ter quatérue distillata, idque in accessione, febrem quidem sustulit, sed symptoma incurabile induxit. Et quanquam Benedictus Fauentinus præceptor meus in sua Empirica quinque ponit experimenta contra quartanam & inter alia exhibet aquæ vitæ quinquies distillatæ ℥ v. pul. caryophyllorum selectorum ʒ j. in die paroxysmi per quinq; horas ante eius aduentum, nullo cibo præcedente ante paroxysmum. at illud non facit nisi præcedentibus vniuersalibus remediis, & aliquot euacuationibus repetitis, vt apud eundem videre licet.

OBSERVATIO XXXVII.

De febre quartana intermittente, post se duritiē lienis relinquente, & hydropem: à quibus tamen accidentibus æger sanatus fuit.

ANTONIVS Bredanus, vir annorum triginta, miles hastatus Principis illustrissimi Auraici, cū quartana laboraret in Autumni principio, nescio quibus remediis antea vsus à febre ita liberatus est, vt in sequiora accidentia quoq; inciderit. nam lienem durum habebat, & pedes supra modū inflari cœperunt, prænuncia hydropis, itavt postea vix ambulare posset, cum maxima anhelitus difficultate. Hic mense Nouembri, cum me consuluisset, hæc infra scripta medicamenta adhibui. primo apozema quod sequitur. ℞ corticum rad. petros. fœniculi, apij, maceratarum in aceto, ana ℥ ß. rad. ireos, ebuli ana ʒ iij. flor. cord. p. j. agrimonij, cassathæ, ceterach. capill. Ven. polytrici ana m. j. folior. sambuci m. ß. se. anisi, fœnic. ana ʒ j. se. carthami contusi ʒ iij. corticum cappar. thamarisci

ana ʒ ij. folior. senæ absque stipitibus ℥ j. polypod. querc. ℥ ß. epithymi ʒ ij. vuar. passul. enucle. ℥ j. liquiritiæ rasæ ʒ ij. fiat decoctio in aqua communi pro ℥. ix. fortiss. expressioni adde syrupi de eupatorio, de Byzantiis, syrupi de cichor. nicoli cum rhabar. ana ℥ j. misce. fiat apozema pro iij. dosibus matutinis, ex quibus quotidie ad minus quatuor secessus habebat, etiam aquosos cum magno iuuamine, vt postea melius ambulare potuerit. continuò comedebat cappares cum aceto, & lienē cum oleo de capparibus primò illinebat, & vtebatur optima victus ratione, nempe attenuante & deobstruente. interea pro lienis dolore & duritie 11. Nouembris hic fotus præscriptus est. ℞ rad. altheæ mundatæ ℥ ij. rad. brioniæ ℥ ß. florum meliloti m. j. foliorum ruthæ, ceterach ana m. ß. se. maluæ, lini ana ʒ ij. florum chamomillæ p. j. coquantur in duabus partibus aquæ communis & vna parte aceti acerrimi pro P. j. ß. & fiat fotus. egregiè contulit, quare idem fomentum postea reiteratum fuit. Post fotum sequenti linimento locum affectum inungebat. ℞ emplastri de mucillaginibus ℥ ß. emplastri de meliloto ʒ ij. olei de capparibus ℥ ß. olei lilior. ʒ ij. misce. Postea cùm prius aluum ex decocto suprascripto probè quotidie reddidisset, ita vt aluus per se vtcumque citatior videretur, quotidie sumebat tribus horis ante cibum ʒ ij. ex electuario solido sequenti decimo sexto Nouembris die descripto. ℞ specier. diarod. abbatis (nam vrina vtcumque tincta erat) ϑ. j. specier. dialaccæ, diacurcumæ, trocis. de capparibus specier. diatreos simplicis ana ϑ. ß. dissolue in aqua agrimonię, adiecta ℥ j. ß. zacchari albissimi, fiat confectio in tabulis. Pedes inungebat linimento sequenti, ℞ vnguenti Agrippæ ℥ ij. succi foliorum sambuci ℥ j.

bulliant.

bulliant in duplici vase ad consumtionem succi. & detumuerunt paulatim crura. Decimo octauo Nouembris ceratum sequens lieni appositum fuit. ℞ emplastri de muccilaginibus ʒ j. emplastri de meliloto ʒ vi. vnguenti Agrippæ ʒ iij. pul. rad. cappar. thamarisci ana ϑ ij. ducatur supra alutam ad formam linguę bouis & sindone rubra cooperiatur & insuatur seu interbastetur vt melius cohæreat & fiat ceratum. Interea ad aquam deponendam, licet illa adhuc exigua esset & venter non ita intumesceret, capiebat subinde diacarthami solutiui in forma solida ʒ ß. vsque ad ʒ vi. quo remedio venter detumuit & pedes ad pristinum statum redierunt remediis supra scriptis sæpius reiteratis, vt maiora remedia non adhibuerit, atque ita sanus quasi factus, postea Hagam comitis subinde accessit in Decembri, vt officio suo apud Principem fungeretur, ita vt aliquando mihi scapha eo proficiscenti in itinere obuiam factus est. Verùm cum nimis tempestiuè aëri sese committeret & victus rationem minus obseruando post sex pluréue septimanas iterum in quartanam licet leuiorem incidit. Verùm crura non amplius neq; hoc tempore in tumorem attollebantur, neque tunc opera nostra vtebatur: quamuis admonueram, vt rursus medicamentis aptis vteretur. Postea tamen rursus febris eundem per se in Vere reliquit, & nunc pancraticè viuit.

Scholia.

Dvo genera remediorum ad quartanam curandam adhiberi solēt, primum quidem ad quartanam ipsam, secundum verò ad eius accidentia, quæ maximè solent huic febri obuenire. Materiam igitur communē, vt diximus, primo euacuamus enemate iniecto, aut leniente medicamento

in quartana pura à naturali melancholia. quale hoc est. ℞ malvæ, viol. bethæ, mercurialis ana m. j. florum chamæmeli p. j. coquantur in aqua communi pro ℔. j. vel ℔. j. ß. adde cassiæ, zacchari rub. ana ℥ j. mellis viol. (magis enim lenit quàm rosaceum) ℥ j. ß. olei communis, amigd. dul. ana ℥ j. ß. salis ℥ j. ß. commistis omnibus, fiat enema, quod ante pastum infundatur. vel eius loco leniens detur, vt cassiæ ℥ j. vel sy. ex infus. ros. pallidar. ℥ ij. aquæ buglossæ vel borag. ℥ iij. misce. Deinde secetur vena, si opus est, eo modo quo prius dictum est. postea leniter (prius adhibitis syrupis ex borag. viol. capill. Ven. oxymell. simpl. vel acetos. simpl. cum aqua lupul. borag. melissæ aut bugloss.) purgetur in hunc vel similem modum. ℞ florum borag. viol. buglossæ ana p. j. fumariæ, lupul. borag. bugloss. ana m. ß. hordei mundati ℥ ß. vuar. passul. vinaceis detractis ℥ j. coquantur in aqua communi vel sero caprino, cui per colum transfuso adde mannatis selecti ℥ j. ß. vel cassiæ ℥ j. vel syr. ex pluribus infus. viol. vel ros. pallid. ℥ ij. ß. misce. detur in aurora posteriore die quietis. ℞ conser. bugloss. vel borag. ℥ ß. sumatur postridiè manè. Rursus coquatur materia quæ rebellis est eductioni cum syr. de epithymo, de fumaria simplici, de pomis, syr. acetos. simp. adiectis aquis borag. bugloss. lupul. melissæ. vel hoc aut simili decocto. ℞ rad. cichorij, graminis dentis leonis, petros. buglossæ ana ℥ ß. cort. rad. cappar. ℥ ij. fumariæ, bugloss. borag. melissæ, summitat. lupul. ana m. j. ceterach, polytrici, scolopend. agrimon. ana m. ß. passul. enucleat. ℥ j. florum cord. p. j. folior. sennæ alexand. ℥ j. polypod. querc. ℥ ß. coquantur in aqua communi pro ℔. j. colaturæ addendo syr. de epithymo, syr. compos. de fumoterræ, de pomis ana ℥ j. misce pro iij. dosibus matutinis. mox si opus est fortiori purgatione, ad hellebori nigrum veniendum in hunc modum. ℞ rad. hellebori nigri ℥ j. infundatur in aqua mellis, in qua prius ebullierint

Potio leniēs.

Venæ sectio.

Syrupi.

Purgatio lenis.

Syrupi.

Apozema.

Infusum hellebori nigri.

anethi

enethi, aureos ana ʒ j ß. flor. viol. nenuph. borag. ana ʒ ij. maneant infusa per diem integrum, deinde fiat lenis ebullitio & colatura, quæ exhibeatur in aurora. in qua etiã dissoluere possumus mannæ ʒ j. ß. vel cassiæ ʒ v. aut vi. vel hoc modo. ℞ rad. hellebo nigri ʒ j. ß. seminis anisi. fœniculi, cortic. rad. cappar. ana ϑ j. fiat infusio in ʒ viii. seri caprini secundum Dioscoridem præparati, & huius diligentis expressionis accipe ʒ iij. cui addere possis mellis ros. solutiui ʒ ij. mannæ selectæ ʒ j. misce. potest & delicatis extractum hellebori dari, & iis qui magnas potiones respuunt. Aut deuorentur pilulæ vii. ex lapide lazul. aut armeno, aut aggregat. ad ʒ j. vel vigorentur cum rhab. spica aut agarico trocis. Interea corroborans aliquod exhibeatur, vt diatriopipereon, diacalaminthon, diacuminum, vel theriaca à ϑ j. ad ʒ ß. primò. aut mithridatum. vel ℞ conf. borag. ʒ ij. theriacæ ϑ j. sic minus erit calidum medicamentum, quod sensibiliter purgat per halitum. Demum ad mediocres purgationes redibimus. Postea semel saltem in hebdomada ʒ j. theriacæ veteris exhibenda est, cui & alij addunt conser. rad. buglossæ, idq; postridie sex horis ante pastum. Alij verò apparente concoctione purgationibus præcedẽtibus duabus horis ante cibum & ante paroxysmum sumant, vel tribus horis ante paroxysmum, id quoque magnopere conducit rigori. Eodem tempore vel ante theriacam ex mente Galeni & aliorum, medicamenta etiam sumuntur, quæ vrinam & sudorem mouẽt, ex decocto rutæ, apij, anethi cum mulsa, vel melliccato calamentho & guaiaci decocto, sed nõ ante purgationes & notas coctionis. Alij thermis sudores eliciunt. Nonnulli frictionibus contenti, quibus plurimum iuuantur. De vomitu prius dictum est. Quod ad roborationem attinet, in principio tales rhombi conueniunt. ℞ spec. diarod. abb. elect. ex tribus santalis ana ϑ ij. pul. diamosc. dulcis, lætitiæ Gal. ana ʒ j. ß. zacch. dissoluti in aqua ros. & buglossi.

Pilulæ.

Theriaca.

Sudorem & vrinam mouentia.

Roborantia.

q. s. fiant rhombi ponderantes ʒ ij ß. è quibus sumatur vnus manè & vesperi per horã ante pastum, diebus quietis quando aliud non sumitur, aut sumptum est. Vbi materia magis concocta est, & in fine. ℞ elect. diamosci dulc. lætitiæ Gal. ana ʒ j. capiat pro vice ʒ. ij. Ad topica remedia non veniendum nisi præcedente concoctione & vniuersalibus remediis, purgationibúsque aptis prius adhibitis. Et ideo Galenus iubet 1. ad Glauconem in morbi prius vigore visceribus prouidendum esse fotu ac litu, quibus emolliendi laxandiq; vis insit: & sic fotus & illinitiones non solùm stomachi, sed & viscerum, primum quidem ex iis fieri debent quæ remolliunt & relaxant, deinde additis quæ flatus excutiunt & aperiunt. Conuenit oleum chamæmeli, absinthij, adduntur & semina apij, rutæ, cumini. Consulunt autẽ visceribus quæ distendi solent tum viscosi tum crassi humores, ac spiritus flatulenti abundantia, quibus resolutis ac vacuatis viscera molliora fiunt, hoc vel simili fomento adhibito. ℞ folior. maluæ, viol. altheæ, flor. chamomill. meliloti, se. fœnugr. ana m. j. coquantur in s. q. aquæ ad tertias, & iuri colato addatur olei viol. ros. laurini, chamæmel. cheirrini ana ʒ j. misce spongia in iis valdè calidis madefacta & expressa pluribus vicibus permutata hypochondriis applicetur. His vel similibus remedis ità supra scriptis plurimos quartanarios curauimus, quorum exempla omnia hic nimis longum esset enarrare. Secundum remedium quartanæ spectabat ad accidentium correctionem, circa quod tria membra præcipua sunt consideranda, quæ magna ex parte in quartana læduntur. Stomachus videlicet, splen & hepar. Splen enim nutritur sanguine & succo melancholico: hepar generat humorem melancholicum, & ex liene in stomachum regurgitat. Ideo horum membrorum cura maximè habenda, antequam etiam peiora symptomata oboriantur. Stomacho verò erunt applicanda corroborantia, calida: vt est absinthium, mastix, spica,

Topica.

Fotus.

Accidentium correctio.

spica, aloes, rosæ, & similia, ex quibus fiunt fotus, cerata, adiectis oleis stomachicis, cidonia ad maiorem roborationem adiungi possunt vt 13. Methodi cap. 4. habetur. Hepar verò & splen minimè negligenda, cum hæc viscera facilè obturentur, quemadmodum 13. Methodi medendi cap. 10. constat: potissimum si hepar contineat sanguinem crassum. lien verò adhuc multo magis cùm crassum humorem melancholicum ad se trahat. Hac etiam de causa interius adhibebimus abstergentia, aperientia, & euitanda erunt ea, quæ viscosa sunt & obstructionem generent: ideo in decoctis ea quæ aperiunt addemus; & vtemur syrupis aperientibus. Exterius calidis mollificantibus, quibus & absinthium ad roborationem adiiciemus. Si adsit caliditas iecoris oleo ros. & succo cichorij inungemus, vel in oleo rosaceo absinthium coquemus, non vtemur planè frigidis, vt vnguento santalino. sic in roboratione lienis oleo de capparibus, non ante purgationem. Si scirrhus, primò cum oleo amigd. dulc. & amaror. deinde chamæmel. & anethino & sensim ad oleum de capparibus veniemus, & ita de emplastris, ceratis à mitioribus, vt primo vtemur, diachylo, de meliloto. Posti fomenta supradicta, lienem hoc vel simili vnguento inungemus. ℞ ammoniaci in aceto fortissimo macerati ʒ ij. cort. rad. cappar. folio. myricæ, ceterach ana ʒ iij. rad. iridis. sem. apij, cumini ana ʒ j. misce & contunde, quibus adde olei de cappar. irini, amigd. amar. ana ʒ j. ß. misce & bulliant omnia, & cum cera formetur vnguentum, secundum artem. Ante hæc etiam fiant apozemata ad materiam, contentam in venis circa lienem & hepar, euacuandam. Quæ enim continetur in venis educuntur per vrinam, vt dictum est, sed iis nequaquam vtendum, vt iam aliàs admonuimus, nisi viscera prius ab obstructione liberata fuerint: humores enim (cum calida sint) secum rapiunt, obstructionem augent: nam vrinæ & sudores (vt iam sæpe dictum

est) non mouentur, nisi iam vigente morbo. Quæ autem circa hepar & venas meſaraicas continentur, per aluum euacuari debent. Sed præcipuè illud quoque obſeruatu dignum cùm quartana non poßit eſſe diuturna ſine noxa lienis, ideo in omnibus medicamentis ſiue ſyrupis, ſiue decoctis, ſiue purgationibus, ſplenetica aliis præpolleant. Præterea quia omnes iſti triſtes ſunt, cordialia applicanda erunt, flores borag. melliſſæ & ſimilia quæ ſpiritus recreent & roborent. Intus verò danda hæc vel ſimilis opiata. ℞ *conſ. rad. bugloſſæ* ℥ j. *conſ. anthos, capill. Ven. ana* ℥ ß. *pul. aromat. roſati, diarod. abb. ana* ℥ j. ß. *diamarg. frig.* ℥ ß. *cort. citri cond.* ℥ iij. *ſyr. de cort. citri q. ſ. fiat opiata. Capiat alternis diebus, ſuperbibendo aliquid vini. id etiam ſtomachum roborat. Vtiles ſunt & conſer. thamariſ. ceterach, rad. apij, ſaxifragæ, præſertim ſi ſint obſtructiones. Atq; his vti licet ante antidota, quæ potius in declinatione vniuerſali conueniunt, crebris euacuationibus præcedentibus. Si alia grauiora ſymptomata obrepant, vt ſcirrhus in liene, vel hydrops, remedia maiora ex propriis locis petenda. Satis eſt hæc de correctione accidentium huius febris hic adieciſſe.*

OBSERVATIO XXXVIII.

De febre intermittente quartana, in ſeptuagenario curata.

SIMON Iohannes Zythepſa, Harlemo oriundus, auunculus meus, qui in vxorem ſororem matris meæ duxerat, Alcmariæ habitans, vir ſeptuagenarius, anno 1557. menſe Octobri in tertianam intermittentem vehemētiſſimam incidit, ita vt in paroxyſmo deliraret. quæ ſæua accidentia non ſolùm morbum naturæ ſenili minimè conuenientem, ſed & periculoſum ſignificabant. Fuit tamen eodem tempore per me Deo

me Deo auſpice aptis remediis, vt lenientibus, zulapiis, purgationibusque lenioribus ad bilioſum humorem facientibus, deinde & alterantibus & roborantibus, curatus. Sed poſt tres ſeptimanas recidiuam paſſus, quartana correptus eſt, cui bilis atra aderat. Cùm autem in priori morbo, videlicet tertiana, vniuerſalia remedia præceſſiſſent, ſatis mihi fuit, vt pro præparatione humoris quartanam inferentis, tantum adhibere fumariæ in ſero lactis decoctum, aliquot diebus tempore quietis. Deinde eodem decocto iniectis foliis ſenæ eundem commodè purgaui. At cùm frigus & horripilatio in principio acceſſionis ei valdè moleſta forent, quæ ſi curentur (teſte Nicolo Florentino quod ab Auicenna accepit) febris quoque curatur. Idem Auicenna præter quædam olea contra rigorem fomentationes calidas præſcribit. Nos verò hoc tempore inſequendo Guainerium ſpinam dorſi inunximus calidè à nucha incipiendo vſque ad clunes deſcendendo oleo anethino, chamæmelino ſimul mixtis, & poſt inunctionem pannos lineos calidos apponendo. Cumque ter hanc inunctionem in ipſa acceſſione abſoluiſſemus, miraculi inſtar non ſolùm rigor ceſſauit, verùm etiam febris in ſexagenario deſiit. licet poſt hanc febrem quartanam hoc modo ſolutam relictus ſit lienis dolor cum duritie exigua, ſed fomentis atque inunctionibus Scholio prędedęte deſcriptis non admodum diu pòſt euanuit. Sed & hoc condito ſequenti vtens, perfectè ſanatus eſt. ℞ conſ. flor. borag. ʒ j. corticum citri conditi ʒ ß. ſpecierum diarod. abb. arom. roſ. ana ʒ j. trociſ. de capparibus ϑ ij. oxyzach. compoſiti, ſy. de fumoterræ ana q. ſ. fiat conditum.

SCHOLIA.

QVI rectè quartanam curabit, eũ scire oportet, quid in hora paroxysmi agere oporteat, quid verò ante paroxysmum, quid in declinatione denique faciendum sit, & quid in diebus intermediis vel quietis. Id quidem egregiè nos docet Guainerius diff. 2. tract. 4. De Feb. cap. 2. De Cura quartanæ à melancholia fecali prouenientis. Ante paroxysmum, si æger ita sit debilis (quamuis melius sit illo die sine cibo permanere, modò vires constant) per quinque horas, leni cibo, vt ptisana hordei, erit alendus. In paroxysmo somnus prohibendus vsque ad declinationem; eodem tempore & potus inhibendus quantum poßibile fuerit, sudore emanante, tunc prius conuenit, & is quoque qui sudorem leniter moueat. Alioqui in paroxysmo si siti infestetur æger, aqua frigida sæpius os colluat ac zaccharum candi in ore retineat. at si sitis vrgeat aqua hordei zaccharata (vt medicè loquar) non tamen actu nimis frigida concedatur. Cæterùm cum rigor, largo modo sumptus pro frigore & horripilatione, in quartana plurimum ægrum grauat, extremitati extremorum succurremus linteis calidis admotis. Refert Guainerius iucundam historiam, sed impuram satis de suo socio Paduano, qui rigorem auertebat iuuenculæ cuiusdam nudæ octodecim annorum, bonæ habitudinis, amplexu. Verùm qui ad talem ignem accedat, videat tuxta Terentium, ne plus satis incalescat. At idem Guainerius rigorem tollit spina inuncta oleo anethino & chamæmelino. aut è pomo colocinthidos medulla auferatur, deinde oleo anethino & chamæmelino impleatur, ac super prunas torreatur vsque ad oleorum feruorem, quo dorsi spina oleo nempe expresso secundum longitudinem vngatur. id equidem expertum ait. Dantur etiam alia ante accessionem vt theriaca, quæ sudorem mouent & rigorem tollunt: Sed non ante signa coctionis

Quæ rigorem tollunt.

ctionis, & præcedentibus vniuersalibus remediis & purgationibus sæpe repetitis. Vomitus aliquando in accessione, leuis tamen in principio, fortis non nisi signis coctionis apparentibus, vt iam sæpius dictum est. Curatio verò quæ diebus intermediis instituitur, ex iis quæ prius dicta sunt, satis constat ex diminutione materiæ communis, præparatione & euacuatione, iisq; sæpius repetitis, vrinam cientibus & sudorem prouocantibus, quæ etiam in declinatione magis vniuersali conueniũt, deinde antidota. reliqua vide apud Guainerium scripta loco iam citato. Sed cum satis de exquisitis febribus quartanis diximus, nunc ad exempla procedamus eorum, qui notha quartana laborarunt.

OBSERVATIO XXXIX.

De febre quartana intermittente notha.

FABER ærarius, iuuenisque bilioſus, ſub finem æſtatis, quartana notha correptus eſt, quæ portionem bilis admixtam habebat, vnde quoq; minus durauit. Huic pro leniente medicamento caſſia cum diapruno ſimplici exhibita fuit. Deinde & hos ſyrupos ebibit. ℞ oxyzach. ſimp. ſyr. acetoſ. ſimpl. ſyr. viol. bugloſſæ, vel borag. ana ℥ j. ß. aquar. borag. bugloſſ. lupul. cichorij ana ℥ iij. miſce pro quatuor doſibus. Mox eum purgaui hoc modo. ℞. catholici ℥ ß. confectionis hamech ʒ ij. ſyr. roſ. pallid. ſolut. ℥ j. ſyr. viol. ex multiplici infuſ. viol. ℥ ß. aquæ cichorij ℥ iij. ß. fiat potio, quam ſumebat die ſecundo poſt paroxyſmum manè tribus horis ante cibum. Poſtea verò & hos ſyrupos ebibit. ℞ ſyr. de epithymo ℥ ij. ſyr. viol. ℥ j. aquæ cichorij, bugloſ. fumariæ ana ℥ ij. miſce. Rurſus purgatione vſus ex infuſo rhabar. & ſenæ. Et poſtremò præſcribens apozema ſimul præparans & expellens bilem & humorem melancholicũ, hunc in mo-

in modum. ℞ rad. bugloss. cichorij, dentis leonis ana ℥ ß. folior. bugloss. borag. viol. acetosæ, fumariæ, summitat. lupul. ana m. j. flor. cord. p. j. se. anisi, fœn. se. 4. frig. maior. ana ʒ j. folior senæ alexand. ℥ j. myrob. citrin. Indor. ana ʒ iij. polypod. querc. ℥ ß. prun. damas. numero XIII. vuar. passul. enucleat. ℥ j. iuiubar, sebesten ana numero VII. coquantur in aqua communi pro l' j. stent infusa per noctem, manè decoctú manibus confricetur, & fiat colatura, cui adde sy. de cichor. incoli cum rhabar. syr. violacei syr. de pomis ana ℥ j. misce fiat apozema pro quatuor dosibus matutinis. Et ita bona victus ratione vtẽs à quartana liberatus est. Verùm quod pænè oblitus eram in principio post lenitiuum, & syrupos priores absumptos, cùm vrina vtcumque tincta videretur, vena basilica in dextro cubito secta fuit, non tamen multo sanguine emisso.

SCHOLIA.

QVARTANA *hæc notha, quæ melancholiam & bilem admixtam habet, sæpe ex tertiana intermittente contingit, quemadmodum euenit Margaretæ Cornelij in insigni Rosæ Delphis commoranti, quæ cùm à tertiana liberata esset per venæ sectionem, & aliis commodis remediis, postea quartanam incurrebat, quæ etiam nostra ope, Deo opitulante curata fuit, cui ℥ j. ß. mannæ exhibuimus, & infusum senæ ac rhabar. postea, similibus deinde remediis in*

Causæ. *Obseruatione præcedente descriptis & hæc conualuit. Solet autem & hæc febris per se incipere, vt in hoc iuuene biliosa, vti & aliis multis euenit. Quæ igitur ex bile & melancho-*

Signa. *lia originem habet, facilè cognoscitur, si habitus fuerit biliosus, si febres biliosæ præcesserint, vel ex se inceperint, præcedente victus ratione bilem & melancholiam procreante, quæ et-*

quæ etiam in fine æstatis vel in autumni principio in macilentis contingere solent. His quoque adest vrina intensa, citrina, russa, vel subrussa & substantiæ tenuioris. Pulsus quoque velocior exilit quàm ceteris & spissior. Magis rigorem sentiunt in accessione ob bilem. sitis, vigiliæ, calor, furor, ira, sudores in his febricitantibus maiores, quàm in aliis: quibus si & tempus anni æstiuum, aër, regio ad calidum siccumq; declinent, certius de melancholica biliosa febre erit iudicium. Curatur hæc quoque citius quàm aliæ febres, quamuis paulo vehementiores sint, quàm exquisitæ. Prognostica.

Medicamenta quæ ad huius febris curationem adhibentur, Curatio. ad humidum & frigidum præsertim in principio declinare debent, quoniam multum caloris in principio habet. In progressu verò minuto calore, calefacientibus vtendum, deinde prohibenda bilis vstio, & quæ iam vsta est, si fieri potest, corrigatur. Cibus quoque in principio ad frigidum inclinans & lactucæ ferculis misceantur, melones, cucurbitæ, in exigua quantitate conceduntur. Quies motu vtilior. vitanda ira & tristitia. Fiant frictiones lenes panno molli. Victus ratio.

Si inædiam ægrotus ferre non posset, cum in aliis quartanis die paroxysmi inædia ferenda est, hic cibus aliquando quatuor horis ante paroxysmum dari potest. Potus sit cereuisia communis, vel vinum aqua hordei vel cocta dilutum. Somnus solito sit longior. Exercitium vehemens & Venerem fugiat æger. Curandi ratio medicamentorum à materiarum communium euacuatione inchoatur, vel enemate vel leniente pharmaco, quod bilem & melancholiam respiciat. Medicamẽtorum ratio.

quale hoc est. ℞ prun. damas. numero IX. trium florum cordialium ana p. j. oxyphœnici seu thamarin. ℥ ß. coquantur in aqua q. s. donec dimidium absumatur, huius colaturæ accipe ℥ iij ß. cassiæ recens extractæ vel mannæ ℥ j. syr. viol. ℥ ß. misce. Interea hoc iulebo digeratur. ℞ aquæ viol. ℥ VI. aquæ end. ℥ iiij. aquæ buglossæ ℥ iij. aceti ℥ j.

zac cha-

zacch. q. s. fiat. iuleb. dentur ℥ iiij. *vel* v. *aut plures. Interest si adsit calor hepatis, & vrina tincta, ita vt sanguis adesse videatur, basilicam dextram incide, sed ea animaduersione vt paucum sanguinis extrahas, cum sanguis bilis frenum existat. Euacuabis cum* ℥ j. *mannæ &* ʒ ij. *confect. hamech & diacatholici* ℥ ß. *vel* ʒ iij. *dissolutis in* ℥ iij. ß. *decocti suprascripti. Vel fiat aqua solutiua apud Guainerium descripta pro delicatis principibus & matronis nobilioribus. Vel detur* ʒ j. *pilul. de fumoterræ. Deinde syrupis magis incidentibus vtendum de epithymo, de fumoterræ, de pomis, syr. violaceo semper adiecto. Mox ad purgationes paulo vehementiores transeundum, ac roborandum cum diacoralla, trionsant. si adsit hepatis inflammatio, diarod. diamarg. versus statum. Declinante verò febre diamarg. diamosco dulci vtendum. His etiam præbent* ϑ ij. *theriacæ cum aqua bugloss. ros. Plura vide apud Fontanum qui hic tum in aliis locis præcipuè Guainerium imitatur.*

Diff. 2. tract. 4. De Feb. cap. 3.

Lib. 4. cap. 21.

OBSERVATIO XL.

De febre quartana intermittente spuria per maiorem bilis & melancholiæ assationem, nempe ab atra bile adusta.

NICOLAVS Wibrandus Alcmarianus, annos triginta duos natus, vir macilentus, faber lignarius & architectus insignis, qui magna industria molas aquam subducentes, tum alias construebat. Quod equidem artificium cum valdè laboriosum sit, magis bilem coaceruabat. Habitabat autem hic in via Aggerina dicta Alcmariæ. Qui cum in æstate anno 1556. tertiana intermittente diu laborasset, in autumno ex materia biliosa, quæ magis adurabatur, & in atram bilem eamque magis adustam transibat, tandem in quarta-

quartanam attribilariam incidit. Ad eum cùm intrassem, victus rationem conuenientem, aliaque remedia & præparatoria & euacuationes aptas præscripsi. Verum cùm statim ex voto sanitatem non consequeretur homo morosus (vt bilioſi esse solent) à remediis omnino abstinuit, ac me reliquit, quamuis paulo post consilia Empiricorum magis amplexus est. Tandem ex præscripto mulierculæ nimis temerariæ & audacis vitriolum album in cereuisia mixtum ebibit in ipsa febris accessione, persuasus sic à febre liberatum iri. Ex quo violento medicamento assumpto imò veneno cum plurima excreuisset & copiosè vomuisset, ita vt astantes putarent animam simul cum vomitu euolaturam, à quartana intermittente in continuam febrem eamque ardentem incidit, & in pectore tum gula subita inflammatione oborta, statim ab assumpto vitriolo strangulari videbatur: interea & tussi quoque vehementiore accedente, tandem & hic miser ægrotus hectica febre & quasi rabida correptus fuit, quam & sputum cruentum mox subsequebatur, postremo verò idem & pus expectorabat. Cum verò hæc purulentia cum valida tussi homini diu multumque adhæreret, & iam pro deplorato satis haberetur, tunc demum de vita sua anxius, denuò me reuocauit, quemadmodum hoc stolidum genus hominum sapere videtur, cùm à stultis mulierculis ac medicastris malum ad summam perniciem deductum sit. Erat autem hic affinis meus, qui cognatam meam in vxorem duxerat, qui mihi fidem non adhibuit nisi re in angustũ producta, dignus vt à me amplius non inuiseretur. Nolui tamen eius perfidia vel potius negligentia malum nomen medici incurrere, imò vt quouis modo eidem auxilio essem, iterum eundem

accessi.

acceſſi. Ad quem cùm intraſſem, hæc ſigna aderant: lingua aſpera, ſicca, & ſupra modum arida, nigra & exuſta: gulæ tum gutturis ingens inflammatio, calor pænè inextinguibilis, ſitisque intolerabilis; quæ quidem ſymptomata procul dubio originem duxerãt ab ipſo vitriolo aſſumpto. Iubeo igitur vt continuò biberet decoctum hordei mundati, cui & pruna damaſcena, vuæ paſſæ, folia viol. maluę, & glycyrrhiza incocta erant. Interea linctum parauimus ex ſyr. viol. iuiubino & zaccharo penidio dicto. ex quo indeſinenter lambebat. Præcepi quoque vt diatragacanthum nocte dieque ſine intermiſſione deglutiret, deinde vt modò vnum modò alterum ſumeret, donec aliquod leuamen ſentiret. Gargariſabat quoque ſubinde pro gutturis inflammatione, aqua plantag. ſolatri, diamoro adiecto. Præterea cùm ob calorem febrilem dormire non poſſet, ſub veſperam emulſorium hordei mundati, ſem. quat. frig. maior. mundat. ſe. pap. albi, zaccharo violaceo adiuncto, ſumebat. Deinde oleo mandragoræ etiam tempora ſub noctẽ inungebat. At continuo horum vſu & maximè diatragacantho frigido calor, gutturisque ſiccitas & reliqua ſymptomata à vitriolo contracta ceſſarunt. Verùm cùm ſputum minus exiret, hoc elegmate vſi ſumus. ℞ ſyr. viol. iuiubar de liquiritia ana ℥j. zacch. penid. ʒvi. fiat loch. Pro linguæ autem ſcabritie, nigredine & eiuſdem ſiccitate, ſæpiſſime linguam & os abluebat decoct. hordei communis, plantag. viol. ſeminis cotoneorum. Loch, tum tabulæ ipſæ diatragacanthi frigid. ſæpe innouata ſunt. Verùm cùm pharmacopæus neſcio qua negligentia diarodon. abb. loco diatragac. ſemel dediſſet, eodem die, imò eodem momento tuſſis ita inualuit cum pectoris anguſtia & coarctatione, vt æger

vt æger mox ſuffocari videretur, adeò vt metu perculſi aſtantes ſacram ſynaxim, vt ægro adminiſtraretur, curarunt. Sed cùm ad ægrũ ſubitò accitus eſſem, atq. hæc eueniſſe animaduertiſſem, vſum diarod. abbatis inhibui & iterum diatragac. frig. dedi, & vt lambitiuum rurſus ſumeret mandaui. quibus ſtatim prædicta accidentia ceſſarunt, videlicet tuſſis illa ſuffocans & pectoris anguſtia, ita vt poſtea ſputum melius ex pectore prodiret. Ptiſana quoq; pro potu vtebatur, qua & ſitis diminuta eſt, & calor febrilis minus ægrum infeſtabat. Victus ratio huic eadem erat, quæ hecticis febribus conuenit. Et ita continuando ſyrupos dictos ac tabul. diatrag. frig. decoctum hordei mundati, vngulæ caballinæ, addito ſyrupo violaceo, pectuſque butyro recenti, ole. amigd. viol. inungens, tandem magna noſtra induſtria, Deo præcipuè adiuuante, licet ad deſperationem decumberet æger, curatus eſt. Cùm & hectica febre quaſi conſumptus videretur, vrina oleaginoſa exiſtente, ita vt nihil ſpei ſalutis ſupereſſet, quamuis ſupradictis remediis ſæpius repetitis ſanitati perfectè reſtitutus fuerit.

SCHOLIA.

NON ſine ratione aliquis hic admirari poterit, quod æger ex vitriolo aſſumpto (cum venenum exiſtat) illico non interierit, quemadmodum monachus ille ex ordine Cruciferorum, iuuenis viginti annorũ, ex Aquila oriundus, Piſauri apud cœnobium Sancti Spiritus ſe ipſum interfecit. Hic enim, vt ſcribit Amatus cent. 2. curat. 84. puellam nomine Catharinam Arminenſem & filiam fortè hortulani horti monachorum curam habentis, amare cœpit. Quam ſucceſſu temporis ita impatienter amabat, & deperibat, vt ſæpe puellam in vxorem ducere, cum eáque repudiata cu-

Monachus cum puellã deperiret ſe ipſum vitriolo aſſumpto necauit.

culla, & monachali voto, ad Germanos confugere promitteret, vnde flexis genibus, eam non rarò ita orabat, vt illius misereretur, vt nisi votis eius & precibus annueret, aut mœrore se moriturum, aut sese interfecturum asseueraret. Porrò monachus hic puellæ huius amore ita deflagrauit, vt cùm iam in amorem suum trahi non posse persentiret, animum desponderit? Clam enim ex officina pharmacopolia emptum vitriolum deglutiuit. à quo exhausto malè habere monachus cœpit: ita vt in ventriculi corrosiones & vomitum & secessum deuenerit: ad hæc linguæ nigredinem & ipsius craßitiem. Demum symptomatis auctis, & prostratis viribus, rem aliis atque aliis patefecit monachis. Sed accersiti ad eum medici, breui ipsum deploratum reliquerunt: & meritò, cum eo die vitam cum morte commutarit, & amoris bonus monachus pœnas luerit. Pisauri hæc euenere quinto die mensis Februarij anno 1556. At noßer æger qui vitriolum sumpserat ad febrem quartanam depellendam, fortè in exigua quantitate, cum periculo, artis noßræ tamen gloria euasit. interim venefica illa medicaßra, quæ vitriolum dederat, digna erat vt in exilium mitteretur, & quiuis alij qui eiusmodi venenum pro salutari medicamento miseris ægrotis obtrudunt. Qui hoc venenum sumunt, respirare nequeunt, inteßina arroduntur, & punguntur. Cuius bezoar eßt ʒ ij. coralli rubri subtiliter triti cum vino propinare. Ex conferentibus eßt vomitum prouocare & clyßeribus vti. Eius loco, continuò nos vsi sumus etiam ad detersionem, lubricationem, decoct. hord. passul. maluæ, viol. &c. & egregiè profuit. Tribuunt quoq; auctores terrā sigillatam veram cum vino, & lac asinæ continuò potādum exhibent. Nos rectè sero lactis vsi sumus. Sed cùm hæc ad venena pertinent, de iis latius suo loco, modò Deus vitam nobis conceßerit. Verùm redeuntes ad quartanam hanc ex atra bile adußa, quidam hanc minimè admittunt, cùm à Galeno ad

Vtrũ quartana ex atra bile adußa fieri posßet.

Glauc.

Glauco. non proponatur. Quod quidem verum est cum ibi tantum loquatur de exquisita. Hanc tamen dari expresse colligitur ex Gal. 2. De Cris. 12. & 3. aph. 22. Cum ibidem dicat quartanas fieri ex melancholia naturali & atra bile. Estq; atra bilis humor exustus, calidus & siccus. Et si Auicennæ fides est adhibenda, producitur hæc materia ex sanguine, ex bile, ex melancholia, quinimò etiam ex pituita. Et propterea dicebat Auicenna dari quartanam sanguineam, biliosam, melancholicam, etiam pituitosam. Licet autem Galenus dicat ex sanguine crasso vel bile adusta atram bilem generari, non meminit de melancholia, minus verò de pituita. At qui Auicennã sequuntur & eum tuentur, cum in sanguine sit portio tenuis & crassa, ex vtraque atram bilem fieri aiunt. Si sanguis supra modum assetur secũdum partem crassam, vertitur in melancholiam; si vlterius procedat mutatur melancholia in atram bilem, humorem calidum & siccum. Si verò sanguis assetur secundum partem tenuiorem, transit in flauam bilem; & si assatio progrediatur, in vitellinam, in arugineam & cæruleã, & tandem in atram conuertitur. At quod ex pituita fit, maioris est difficultatis, non ex qualibet, sed tantùm salsa: nam ex acida pituita non potest fieri atra bilis, sed potius vitrea; & si valdè hæc crascescit, fiet gypsea. Neque ex dulci, & cùm pituita salsa, calida, & sicca est sua portione non totius (vt etiam Capo de Vacca medicus insignis sentiebat) in atram conuerti potest, id quoq; videtur ex septimo aph. 42. Nam salsa vbi magis aduritur, amarescit, deinde & bilescit, degenerans in atram bilem, in humorem illum malignum. Quod cùm ita sit, qui defendunt partes Auicennæ, qui quartanas nõ modò melancholicas sed & biliosas & pituitosas admittit. respicit quidẽ Galenus inmediatos, Auicenna mediatos & inmediatos simul humores. Huius igitur febris quartanæ atribilariæ causæ sunt calefacientes, exiccantes, adurentes. Calor in iis

Causæ febris quartanæ atribilariæ & aliarum illegitimarum, ac signa earundem.

quoq; ſentitur mordaciſſimus, & rigor non eſt ita cum ſenſu frigoris, ſed punctionis infeſtãtis partes totius corporis, ob humorem calidum & ſiccum: hinc quoque ſitis magis intenſa, ſuntq; irrequieti vt in vno loco non permaneant, eſtq; maior agitatio in hac febre quàm in legitima quartana, & vehemẽtior quàm in acceſsione tertianæ: quia humor calidior & magis aduſtus. Hæc ſigna præcipuè adſunt in quartana ex atra bile. Ex melancholia cũ ſanguine aduſto, ſunt mitiora: ita etiã ſigna ſunt mixta, ſi ex melancholia cũ bile, vel cum pituita, quod exẽpla ſuprà dicta, & adhuc inferius dicenda de melancholia cum ſanguine aduſto, & de melancholia cum pituita oſtendent. Vtrum indicationes curandi hic admittantur, ſciendum, quæ atram bilem reſpiciunt non vacant periculo, vt obſeruatione præcedente ſatis conſtat, cum ſint ex maligno humore: & ideo niſi rectè tractentur in duplicem degenerant quartanam, vel continuã periculoſam, cum etiam continua ipſa ex atra bile proximè accedat ad naturam febris peſtilentis malignæ. Hæc verò febris iuxta Alexandrum Trallianum requirit humectationẽ & refrigerationem, vti aliæ bilioſæ. Illegitimæ igitur quartanæ, pro diuerſo humore, qui melancholico miſcetur, & diuerſa eiuſdem quantitate variatur curatio. Si itaque ex ſanguine, vel ex ſalſa pituita, venam ſecare licebit. Si ab atra bile, præſtat purgare & à vomitoriis abſtinere: quia atra bilis non euacuatur per vomitum, ſed melius per ſeceſſum, ſiue lenientibus, ſiue clyſteribus. Si ex pituita ſalſa, hunc quoq; humorem magis reſpiciunt præparantia: ſi ex melancholia, humorem melancholicum. Ex ſanguine, ſi is ſit tenuis, bilis ratio magis habeatur. Si craſſus? melancholiam reſpiciant. Ita in purgationibus, ſi flaua bilis abundat, rhabarbarum purgationibus adiiciatur. Si pituita ſalſa agaricus, ſi atra, elleborus niger. quamuis humectantia, vti etiã in roborantibus hic magis conueniunt. Nunc igitur ad alia exempla properemus.

Indicationes curandi feb. illegitimarum quartanarum.

Curatio.

OBSER-

OBSERVATIO XLI.

De febre quartana notha intermittente à sanguine adusto orta, vel à materia melancholica sanguinea.

IOANNES Heuterus Delphius, vir nobilis, & nostri amantissimus, cognatus vxoris meæ, qui me (cùm Delphos primùm venirem à Senatu accitus in medicum) hospitio liberaliter excepit, apud quem vnà cum famulo permansi vltra mensem, donec vxor mea veniret. Hic verò in Autumno, anno 1557. in febrem quartanam sanguineam, seu ex sanguine adusto incidit. Qui eo tempore opera Hugonis Nieuenij medici Hagani vtebatur, cui & vena secta fuit, tum alia remedia apta per medicum administrata. Sed cum à febre non liberaretur, postea Henricum Vergerium medicum Haganum doctissimum & exercitatissimum ad se vocauit: qui licet eundem satis diu tractasset, febris tamen per totam hyemem subsequentem eidem adhæsit, adeò vt omnem curationem reliquerit, victus ratione optima solummodo contentus. Cæterùm cùm ego mense Februario anno 1558. Delphos peruenissem, vt eidem gratias referrem, quòd ita liberaliter me hospitio excepisset, cùm adhuc quartana laboraret, diligenter curationem instituì, & cùm bonis auibus in cæcas hæmorrhoides incidisset, illum bene de salute sperare iussi, quamuis ingẽti dolore torqueretur. nam hęmorrhoidibus apertis à quartana facile liberari posset, cùm & præceptor meus Benedictus Fauentinus, in tollendo quartanam præcedentibus vniuersalibus remediis, pro indubitato experimento habebat, vt venę hęmorrhoides secarentur. Refert quoq; Guainerius se vidisse, præceptorem

ſuum Iacobum Fortunēſem de la Turre, nobilē quendā curaſſe ſolis remediis quæ hæmorrhoides prouocabant. Verùm hic venæ ſectio commodè in ano fieri nō potuit, cum venæ hæmorrhoidales potius vlceratæ eſſent, & ob hoc ingentes dolores inferebant: quare accito M. Lamberto chirurgo ſeniori Delfenſi, qui vlcera tractabat aptis remediis appoſitis, vnde tandem hæmorrhoides apertæ ſunt & fluere cœperunt, multam virulentiam effundentes, ita vt à febre quartana hoc modo liberatus fuerit.

SCHOLIA.

ERAT *autem hic vir admodum robuſtus & procera magnitudinis, bona conſtitutione & craſſius, interea & ſanguineus. qui cum melancholiam neſcio quam contraxiſſet, in hanc febrem quartanam incidit. Solet enim hæc quartana notha ex ſanguine aduſto vel à materia melancholica ſanguinea contingere in iis, quibus adeſt habitudo ſanguinea, & quibus præceſſerit regimen ſanguinem adurens, & quibus hæmorrhoides ſuppreſſæ ſunt, quemadmodum huic viro euenit. Vnde etiam admirabamur quòd medici alioqui præſtantiſſimi poſt vniuerſales euacuationes, ea non adhibuerint, quæ hæmorrhoides excitarent. Præcedit autem & hic aliquando ſynocha febris, iiſdem quoq; adeſt oris dulcedo, ſitis nulla vel exigua, ſomnus grauis, aër, tempus anni, regio ad humiditatem caliditatémque tendunt.*

Signa febris quartanæ à ſanguine aduſto.

Prognoſtica.

His quidem pulſus latior quàm in præcedente febre, vrina ruffa vel ſubruffa cum obſcuritate quadam & craſitie. Hæc febris ſi accuratè regatur, aliis quartanis breuior eſſe ſolet, vt quæ vix viginti nonnunquam acceſſiones ſuperet. Victus ratio tum medicamenta ad caliditatem & humiditatem moderatè declinent: nam hæc minus frigida & ſicca eſt. Curandi ratio etiam à materiarum communium eductione exordien-

Curandi ratio.

exordienda, enemate emolliente in hunc vel similem modum. ℞ rad. altheæ ℥ j. folior. maluæ, viol. bethæ, mercurialis, flor. chamomill. ana m. j. fiat decoctio in aqua communi pro l. j. colaturæ adde cassiæ pro clysteribus ℥ j. olei viol. chamomill. amigd. dul. ana ℥ j. zacch. rub. ℥ ß. salis communis parum, fiat enema. vel detur ℥ j. cassiæ in bolo, vel cum sero lactis. Deinde fiat venæ sectio tempore quoque quietis, quæ hic magis conuenit quàm in aliis speciebus. Deinde laborandum vt omni die aluus reddatur mollior, vel glande aut enemate, aut potione leniente, quæ exhibenda est in die quietis. mox digerenda materia in hunc vel similem modum. ℞ sy. acetos. simpl. ℥ ij. syr. viol. ℥ j. aquæ end. capill. Ven. lupul. ana ℥ ij. misce pro ij. vicib. vel fiat iuleb. ex aquæ end. capil. Ven. lupul. ana ℥ vi. aquæ fumariæ ℥ iij. zacch. alb. ℥ iiij. ß. aceti ℥ j. fiat iuleb. dentur ℥ iiij. Purgetur verò hoc modo. ℞ folior. senæ ℥ ij se. anisi ℈ j. rhabar. selecti ℥ j. spicæ gr. iiij. infunde per noctem in sero lactis facta prius leui ebull. manè express. adde cassiæ, syr. viol. ana ℥ ß. misce, detur secundo die post paroxysmum in aurora. Deinde rursus repetantur syrupi de end. viol. bugloss. fumariæ ana ℥ j. ß. aquar. fumariæ, lupul. borag. ana ℥ iiij. misce pro iiij. vicibus. Purgetur denuò cum rhabar. senæ myrabol. Indis & citrinis: quorum medicamentorum copiam requiras apud Guainerium. Et si postea theriacam exhibere volueris, detur in exigua quantitate cum aqua borag. Si calor sit vehementior, primò vtaris diacorallo vel triasantalis. In fine augmenti & in statu. ℞ spec. Diarod. abb. ℥ ij. corall. rub. mar. ana ℥ j. zacchari albi l. ß. fiat confectio immorsellis. In declinatione detur diarod. abb. Eadem ferè habet Fontanonus lib. 4. De Morb. interioribus. cap. 22. de curatione quartanæ à melancholia ex sanguine adusto, quæ ex Guainerio accepit.

diff. 2. tract. 4. De Feb. cap. 4. de curatione quartanæ à melancholia sanguinea.

OBSERVATIO XLII.

De febre quartana notha intermittente à melancholia phlegmatica.

MVLIER quinquagenaria, pituitosa, habitudine crassiore, victu infrigidante cùm in hieme vsa esset, quotidiana febre corripi cœpit, quã flocci faciens circa mẽsem Ianuarium eadẽ in quartanam incidit, cui & pedes inflabantur tanquam ad hydropem inclinata esset. Ad hanc cùm intrassem, cumque per mensem ferè quartanam habuisset, ex signis præsentibus iudicaui notham esse quartanam ex melancholia pituitosa ortã, quam Arabes describere solent. In accessione frigus diutius durabat, & cum iam incipere calefieri, rursus frigus quodãmodo reuertebatur, & fiebant paroxysmi longiores ob materiæ viscositatem, & tardus sudor in declinatione erũpebat, eratq. is exiguus. Aderat verò in pulsu magna diuersitas cum quadam mollitie. Vrina quam spectauimus erat crassior, minusq. tincta quàm in aliis quartanis. sitis exigua eandem infestabat, somnusq. satis grauis, erat: Cùm eodem tempore aër & anni tempus (nam in hyeme eramus) ad frigidum & humidum declinaret, certiores fuimus pituitam hic cum melancholia mixtam esse. Ideo inprimis victũ instituimus minus humidum, sed paululum extenuantem, qui tamen non valdè exiccaret & calfaceret ob febrem. Et sic auiculas montanas concessimus & oua. ab omphacio seu agresta, caseo, lacticiniis abstinuimus: cappares & oliuas admisimus, maximè in declinatione, rad. petros. fœniculi & asparagos. Vinũ Rhenanũ aquosumnon inhibuimus, maximè die infebricitationis. Frictiones fortiores administrauimus, aërem clarũ & odoriferum

riferum,& exercitium moderatũ adhibuimus,deambulationes quoque, quę magis hic conueniunt quàm in aliis febribus. Interea vt mæſtitiam vitaret, conſuluimus,ac ſpem bonam conciperet de ſanitate. Demum ad medicamenta progrediebamur, à ſectione venæ abſtinentes cùm iam paulo diutius laboraſſet & hic minus conuenit, quàm in aliis quartanis. materiam parauimus cum ſyrupo ſequenti. ℞ oxymell. ſimpl. ʒ iij. aquæ fœniculi, abſinthij, fumariæ ana ʒ ij. clarificetur & aromatiſetur cum cinnamomi exiguo pro ij. vicibus. Poſtea decoctum longum præſcripſi præparans materiam & euacuans. ℞ rad. cich. dentis leonis, aſparagi, fœniculi ana ʒ ß. flor. bugloſſ. borag. ana p. j. capill. Ven. caſſũthæ, ſcolopend. borag, agrimo. cichorij ana m. j. hordei mund. p. j. folior. ſenæ alexand. ʒ vi. polypodij querc. ʒ ß. turbith gummoſi ʒ ij. zinz. albi ϑ j. ſe. aniſi ʒ j. ß. ſe. 4. frigid. maior. fœniculi ana ʒ ß. vuar. paſſ. enucle. ʒ j. liquir. raſ. ʒ iij. fiat decoctio in aqua com. pro ʒ ix. colaturæ adde mellis roſ. colati, ſyr. ex infuſ. roſ. ana ʒ j. ß. miſce pro iij. doſibus. Et quia hæc febris eſt longior, per aliquot dies iuſſi ægrotam quieſcere, deinde iterum ſyr. ſequentem propinaui. ℞ ſyr. de epithymo ʒ ij. oxymell. ſimpl. ʒ j. aquar. abſinthij, fœniculi, bugloſſ. ana ʒ ij. clarificetur pro ij. vicibus & cinnamomo aromatiſetur. Poſtea decocto ſupraſcripto adiecimus agarici fœmini albi leuis ʒ j. ß. epithymi ʒ iij. ſe. carui & aureos ana ʒ j. Rurſus ad maiorẽ digeſtionẽ ad oxymel. compoſ. deuenimus, & aquam fumariæ, etiam ad confectiones in morſellis in hunc modum. ℞ ſpec. diarod. abb. ſpecier. elect de gemmis, diamoſch. dul. & plyriſarcotici ana ϑ j. zacch. diſſoluti in aqua borag. ʒ ij. fiat confectio in tabulis ſeu morſellis. Interea

cùm metuerem hydropem, eam purgauimus cum ℥ ß. diacarthami solutiui in tabul. febre iam plurimum diminuta,& vere instãte,ita vt in declinatione esse videretur,species lætitiæ Gal. in rotulis exhibuimus. Et quia pedes detumuerũt fortioribus medicamẽtis vsi non sumus, alioqui hunc puluerem in altera muliere expertum,propinassem:egregiè enim aquosam materiam expellit absque molestia, cum & delicatus puluis existat. ℞ species. Indi minoris ʒ j. ß. rad. mecchiocanæ ϑ iiij. rad. mulæ,pimpinellæ ana ϑ ß. fiat puluis, diuidatur in partes æquales,& detur vna pars cũ vino Rhenano, aut alio liquore conueniẽte. At mulier hæc cùm ad Martium mensem peruenissemus, istis remediis & optima victus ratione vtens,à febre liberata fuit, ac sana euasit.

SCHOLIA.

DICTVM est prius iuxta Arabum decreta,ex pituitæ adustione quartanam quoq; posse fieri, cùm & quotidiana, vti in hac muliere, etiam subinde in quartanam mutetur: quamuis authores pauca vel ferè nulla, præsertim Græci, de hac febre scripserunt. Potest etiam fieri per se in pituitosis, & in iis qui pituitam coaceruarunt, maximè in hyeme, temporibus pluuiosis, humidis, frigidisque, etiam in locis palustribus qui in iis degunt. Signa iam in obseruatione annotauimus. interea hæc febris aliis diuturnior existit, & ad hydropem tandẽ vergit, nisi tempestiuè apta remedia adhibeantur. Curatio etiam satis constat ex obseruatione præcedẽte. Si plura ac varia remedia de hac desideres, vide Guainerium diff. 2. tract 4. De Feb. cap. 5. De curatione febris quartanæ à melancholia phlegmatica. in quo capite reperies campum latissimum remediorum, quibus hæc febris curetur. Et ita curationem febrium melancholicarum absolui-

Causæ.

Prognostica.

Curatio.

absoluimus, quibus quædam arcana contra quartanam adiiciemus. Rondeletius scribit magno successu se vsum fuisse sequenti remedio. ℞ foliorum sambuci, saluiæ, pedis columbini, rutæ ana m. ß caltæ tertiam partem, m. j. salis, & vini parum, omnia simul trita carpis admota ante accessionem: quæ rursus amoueantur quoties videbitur commodum. Trallianus experimento certo quartanariis appendit scarabeum viuum, extrinsecus fuluo linteolo firmiter alligatum, collo suspendit. Idem præstare dicuntur pili ex gena hirci extracti & alligati & sanguis è virgine omnium primo excretus, brachiali dextræ manus alligatus, & lacerta viridis appēsa. Quæ mihi omnino superstitiosa esse videntur, & de pallio ferendo parienti mulieri, & de vermiculis in dipsaci capitulo, iuxta Dios. inuentis, in aluta clauso collo brachióue alligatis: & iuxta vulgares de aranea viua in nuce inclusa, & collo appensa, donec moriatur, quod nuper Adrianus Iacobus Delphis in Vua Pensili habitās è regione ciuicæ domus, vsus est, quāuis à quartana liberatus non fuerit, nisi in vere nostra opera, cùm nec in autumno nec in hyeme ab ea sanari potuerit. Alij eadem superstitione locustam collo appendunt. Nicolus quoque annulum conficit, qui in auriculari digito portatus quartanam sanat, quo & Ioannes Tiengius medicus Amstelrodamus vsus est, vt in eius libello scripto inueni. Habes alia remedia apud Aētium cap. proprio, quæ ad quartanam bibuntur minus superstitiosa, & apud Dios. multis in locis, vt habetur de radice plātaginis, de trifolio bituminoso, de geniculo verbenæ, de hyperico cum vino propinato, pentaphylli foliis, addito pipere, de quatuor seminibus heliotropij in accessione cum vino. Agrimonia viridis incisa cum aceto distillata ad ℥ iij. cum modico zaccharo duabus horis ante paroxysmum ebibita.

Experimenta contra quartanam.

OBSER-

Observatio xliii.
De febre quintana.

Mvlier annorum quadraginta tenuioris fortunæ, quæ ex Mæſſandia anno 1560. die 16. Martij conſultandi cauſa, vnà lotium adferens, me acceſſit. At quantum ego coniicere poteram, cachexia laborabat, crura inflata erant, venterque plurimum eminebat, qualis hydropicorũ eſſe ſolet. lotium quod iudicandum attulerat, crudum ac ſatis tenue erat, neque hypoſthaſim aliquam habebat. Cùm igitur ex ea rogaſſem, numquid quartana laboraſſet? ſtatim annuebat eam autumno præcedente habuiſſe ad tres ferè menſes, ſed nunc in quintanam perfectè tranſmutatam eſſe, quę ſeſe quatuor diebus naturalibus intermittebat, & quinto die manifeſtè redibat. quæ & eo ordine vſque in menſem proceſſerat, quamuis nunc rurſus in quotidianam intermittentem prolapſa, quæ ſub noctem inuadebat, licet mitius quàm antea cum calore non admodum intenſo, cruribus tamen tum ventre in maiorem molẽ increſcentibus. Interea dum lotium inſpicio, rogo numquid grauitatem quamdam tum dolorem perſentiret in aliqua hypochondriorum parte? mox reſpondit, hypochondrium dextrum dolere, quod cùm tetigiſſem deprehẽdi leuem duritiem adeſſe, potius tamen obſtructionem quàm ſcirrhum: quamuis ex cachexia apparente in id malum tranſmutari poſſe, verebar & ab eo hydropem ſubſequuturam. Quare hoc decoctũ præſcribo, quod materiam viſcoſam, pituitoſam, melãcholicam ſimul incideret, euacuaret, cum paupercula eſſet, neq. multis remediis vti poſſet. ℞ cort. rad. fœniculi, petroſ. ireos, cichorij ana ℥ß. capill. Ven. agrimon. ceterach,

caſſuthæ

cassuthæ, soldanellæ ana m. ß. liq. rasæ ℥ ß. vuar. passul. enucle. ℥ j. folior. senæ ℥ j. ß. se. daucij, fœniculi ana ℥ j. ß. fiat decoctio in aqua com. pro ℔. j. fortiss. express. adde syr. de eupatorio, de quinque rad. de cichor. nicoli cum rhab. (ob febrem) ana ℥ j. mis. pro quatuor dosibus matutinis. quo melius habuit, vt postea mihi relatum fuit, quamuis ad me nō redierit.

SCHOLIA.

DE febribus quæ circuitum quartanum excedunt, varia ab authoribus tam de essentia earū, quàm de causis earumdem adferuntur. Plærique medici inter quos etiam est Fernelius, ad quartanas non exquisitas referendas putant febres longioris intercapedinis & intermissionis, quales sunt quintana, sextana, aut si quæ rariores periodos habent. Holerius etiam nostro tempore has febres longioris periodi, quàm quæ quarto die accessionem faciunt, ad genus quartanarum referebat. At eas ipsas Hippocratis authoritate confirmatas, ne vel supra quatuor humores, alium statuere, vel aliam illis sedem quàm in venis designare cogatur. Verùm diuinissimus Hippocrates quasdam quintanas hasq; pessimas facit, quæ aliàs ante tabem fiunt, aliàs tabidis superueniunt & interficiunt. Idem Septimanas longas, verùm non lethales affirmat. præterea Nonanas cæteris longiores sed non lethales. Verùm Galenus hæc non Hippocratis sed alterius esse putat: scribitq; nullas se vidisse periodos vltra quartanarias. Agnoscit tamen aliquādo fieri posse, vt à præcedente febre semen aliquod relinquatur, neq; iusta vitæ ratio obseruetur, atque inde fieri vel septimana, vel nonana, vel quintana, vel sextana, quæ septimo, nono, quinto, sexto die repetat febris. Quod si aliis quoque credamus eiusmodi circuitus fieri possunt. Rhases ipse & Auicenna & aliorum experientia id probāt, vt qui repetant decimoquinto quo-

lib. 4. cap. 14. de quartana.

lib. 2. cap. 4. de feb.

Quintanæ.

Septimanæ.

Nonanæ.

Sextanæ.

Rhases.

Auicenna.

to quoque die, semel in mense, semel in anno, existimantq; hac fieri à materia melãcholica, pauca & crassissima, quam exusta, crassa pituita generant. Nec si vltra quartanarium circuitus quintani, septimani, & alij admittentur, non propterea nouæ humorum species fingendæ sunt. Hippocrates in Epidemiis, his verbis, has febres ponit, dicens: Septimana longa est, verùm non lethalis. Nonana hac longior etiam, at non lethalis. Quintana pessima est omnium, etenim & ante tabem & iam tabidis superueniẽs perimit. Et paulo pòst: Præterea errantes febres, quartanæ, quintanæ, septimanæ & nonanæ, quibus iudicantur circuitibus considerandum. Circa has tamẽ febres videtur esse diuersitas quædam inter Hippo. & Gal. Epid. 1. sect. 3. nam Hippocrates eas esse pronuntiat, Galenus negat se vidisse septenam & nonanam, & quintanam nunquam manifestam, id est, durantem in suis paroxysmis, sed occultam, seu confuso modo, ita vt periodi quintani non perseuerarent vsq; in finem morbi. Sic quod aliquando succederent duo paroxysmi quintanæ, post mutarentur. Et si venit sextana, inquit, non est dicendum, quod id ex humore terminato sit, sed inordinato viuendi modo, vt si contingeret vnius sextanæ paroxysmus, qui amplius non redeat, quod contingere potest, quòd æger vtatur inordinato regimine viuendi, & si sequatur alterius septimanæ circuitus, id tamen non erit ex natura humoris. Si verò sit ex nâtura humoris, quia ex humore pauciore, quàm in quartana Auicenna dicere videtur: rursus dicendum, sicuti datur quartana, septena, & nonana: ita non datur sextana, octana & dena? Sed de septena, nonana, & quintana, quæ fient secundum quod erit maior & minor quantitas materiæ. Et tunc videretur, quod quintana esset salubrior, quàm septena, quia in septena erit maior adustio: tamẽ Hippocrates contrarium dixit. Ideo non possemus ratione hanc quæstionem decidere, vt dicebat Galenus. Sed decidenda est ex-

Hippocrates.

Diuersitas quædam circa has febres inter Hippo. & Gal.

est experimento. Credendum quidem est Hippocratì, qui dixit, quod datur. Sed ego eas non vidi, inquiēs Galenus, & quoniam hoc tantum experimento probari potest. Quare dicendum cum Curtio, Hippocrati fide dignissimo tantum credendum esse, tales febres posse euenire. Nam & quintanas tres Curtius suo tempore vidit, sed instabiles, & nos præter hanc quintanam, qua hæc mulier afficiebatur per mensem, aliam quoque semel in tabida nobili muliere conspeximus, quæ etiam in eadem lethalis fuit. Sauonarola etiam credendum esse Hippocrati iubet. Quidam enim (teste Gilberto Anglico) testati sunt se vidisse febres de anno in annum reuertentes, de septennio in septennium. Rhases etiam affirmat se vidisse hominem, qui quinto quoque decimo die febricitaret. Sauonarola quoque testatur, se quindenam febrem vidisse in quodam pancratio Iustiniano, patritio Veneto, cum signis melancholiæ per adustionem. At Auicenna sub finem capitis de sextana, inquit, & iam retulit mihi quidam fide dignus se vidisse nonanam. Quintanam (vt idem ait,) nos multoties vidimus, & non cogimur propter hoc dicere, quod illis sit humor alius. Gentilis quoque (vt Nicolus Florentinus refert) vidit febrem in Berraducio de Bouariis Perusiensi, quæ de decimoquinto in decimamquintam inuadebat. Caterùm neoterici quidam (vt Sauonarola) febrem quintanam ita definiunt: Quintana febris est, ex phlegmate per adustionem in melancholiam conuersō, & extra venas putrefacto, de quinto in quintum diem affligens. Dicitur interpolata, eò quòd materia extra venas putrescat, eò quòd continua non reperiatur, & talis rarò eueniat: si verò continua esse contingat, vt in hecticis aut tabidis, semper lethalis est. Harum quippiam febrium longiores periodos habentium, materiam statuunt melancholiam admodum crassam atque terrenam, qualis ab exusta pituita gignitur: atque eam quidem paucam in parte quadam distantiore

Curtius.

Sauonarola Gilbertus Anglus.

Rhases.

Auicenna.

Gentilis Nicolus tract. 2. sum. 4. dist. 5. cap. 9. de feb. quintana.

Definitio quintanæ febris.

Causæ diuersæ febrium longiores periodos habentium.

ſtantiore iam diu coarctatam, vt idcirco tardius moueatur, acceſsionemq; faciat. Poſſunt etiam fieri, Galeno teſte, ex errore ægrotantis, cibum plus æquo ſumentis, vel medici quoque imperiti negligentia. At alij ſequentes Arabum decreta, qui licet has febres fieri putãt ex phlegmate per aduſtionem in melancholiam conuerſo, imaginantur interim quod hic humor ex duobus vnitus ſecundum maiorem vel minorem mixtionem, coadiuuante eius paucitate tardius moueatur. Hinc Gilbertus quintanam ob viſcoſitatem phlegmatis & ſiccitatem melancholiæ diuturniorem quartana eſſe ſcribit, & diutius perdurare periodum, & tardius ſolui. Sextanam fieri ait ex phlegmate acetoſo & melancholia, vnde materia exiſtente frigidiore & magis compacta, etiam tardius hanc adhuc moueri. Septenam ex phlegmate vitreo & melancholia de ſeptimo in ſeptimum tardius affligere ratiocinatur. Nouenam ait fieri ex commixtione phlegmatis vitrei & naturalis, & melancholiæ, ideoq; magis infarcta, multo tardius cæteris mouetur. Decimanam verò omniũ tardiſsimè, quàm ex phlegmate vitreo & acetoſo & melancholia fieri autumat. Octanam febrem non admittit cùm tantum ſeptem planetæ exiſtant, alias rationes quas ponit, apud eundem videre poteris. Amatus tamen Cent. 2. curat. 75. non ſolùm de octata febre mentionem facit, ſed quod eam viderit longo tempore perdurantem in adoleſcente quodã, qui etiam ab eodem Amato ſanatus fuit. At Capo de Vacca profeſſor medicus inſignis Patauinus ex ſententia Hippoc. 1. Epid. ſect. 3. & ex Galeno quintanam quamuis obſcurè admittebat ab atra bile humore calido & ſicco. Sextanam & nouenam ex naturali melancholia, humore frigido & ſicco. Cùm enim quintanam peßimam & lethalem febrem pronunciauit Hippocrates, non tamen ex neceſsitate ſi fuerit ex humore frigido & ſicco eſſet legitima quartana & tutiſsima: ſed quia periculoſa, ideo ex atra bile eam

lib. 1. ſui compendij de feb. quartanis & ſextanis.

bile eam fieri protulit. Hæc tamen quintana, qua hæc mulier ægrotauit, habuit cum melancholia pituitam admixtam, cum etiam postea in quotidianã conuerteretur, quam etiam cachexia subsequebatur. Septanam & nonanam cum Hippocrates eas tutas esse dixit, easdem existimat esse ex melancholia naturali. Quod autem non seruantur similes periodi, id fit ex copia materiæ, vt si magnes debet attrahere ferrum, oportet vt id sit in determinata quantitate, circa quam vel non vel vix attrahet. A simili dicendum de ista materia, scilicet melancholia, quæ si fuerit exigua, non possent fieri euidentes illi periodi, de quarto in quartum, sed de quinto in quintum: & quia maligna est atra bilis & pauca, citius expultricem mouet de quinta in quintam. melancholia naturalis non ita maligna, nec mordax. hinc in parua copia, non de quarto in quartũ, sed de septimo in septimum, & de nono in nonum mouetur: quia materia non potest ita stimulare expultricem, vt atra bilis. Considerandum præterea quod dicta distinctio harum febrium attenditur secundum frequentiam potius, quàm secundum necessitatem, sicuti alia multa in arte medica considerantur, à quibus istæ febres solent computari inter erraticas, cum excedant febrium communium & regularium motum, vel frequentiam motus. Differunt tamen ab erraticis, si certis circuitibus moueantur, vt quinto, septimo, & nono die. Auicenna quoq; dicit fieri præcipuè septenam ex malo regimine & nonanam, quemadmodum & quintanas Galenus fieri voluit, licet eas ad quartanas pertinere dixerit. Facile cognoscuntur ex periodis, quamuis nonnulli referunt vrinas diebus interpolatis in iisdem discoloratas & tenues esse, post accessionem die sequenti magis coloratas & crassas, in hora caliditatis paroxysmi coloratas quidem, sed tendentes ad tenuitatem. Pulsus in die paroxysmi in eius principio est occultus, tardus, rarus. sed calore expanso, paruus quidem licet spissior. Et

Quomodo harum febrium distinctio sit considerãda.

Signa.

sior. Et quæcumque earum ex adustione procedit, communicat in signis cum quartana notha, ex adustione phlegmatis vel sanguinis, & ita ex materia, qua fit, de aliis

Prognostica.

signis perquirendum. Quintanam aliis dixit Hippocrates periculosiorem & lethalem. Auicenna asserit quintanas (vtpote summus quoque medicus) dari, quæ curationem admittunt. At Hippocrates intelligit, de ea quæ tabem præcedat vel sequatur, quæ non solùm periculosa est, verùm etiam lethalis. At alia, iuxta Auicennam, quæ sine tabe est, curatur: & ita ægra nostra incidēs primò in quartanam, & ex ea in quintanam, & ab hac rursus in quotidianam, rectè sanata fuit. Sed quintana, quæ antecedit hecticam, valdè maligna est, & quam hectica præcessit omnium pessima habetur & mortifera, tam per viam signi, quia vltimam adustionem notat, cùm corpus destruatur, quàm per viam causæ, quia ipsa est causa augmentationis febris & eius duplationis. Et quamuis illa quoque periculosa est, quæ sequitur febres erraticas & quæ quartanam, non tamen semper ac æquè lethalis est, vt ea quæ præcedit vel subsequitur hecticam vel tabem. Potest tamen subinde euenire, quòd nec quartana præcedat aut sequatur quintanam, ita vt aliquando pituita incrassetur ac minoretur, vel (vt aly volunt) atra bilis, vt quintanā per se generet, ac à seipsa incipiat. Interea sicuti quartana atrabilaria curari possit, ita & quintana: at illa quæ præcedit hecticā etiam lethalis habetur, magna ex parte corpus incinerando & exiccando vt hæc superueniat. Hic quoque notatu dignum, quod in corpore hectico aliquādo sunt humores, qui incinerantur, & minorantur, & quintanam inferunt: quæ materia à materia quartanæ non differt, nisi hac ratione quòd materia quintanæ sit minor & crassior. Ideo rectè dixit Hippocrates quintanam cum tabe vel pthisi lethalem esse. Id quoque Galenus testatur, verum esse vniuersaliter. At Auicenna indefinitè dixit quintanam esse le-

esse lethalem vel non. Galenus quoq; cum difficulter has febres admitteret, earum curationem quoque non posuit: & pauci sunt, licet decreta Arabum sequantur, qui harum febrium curationẽ describunt, existimantes satis esse, vt in remediis adhibendis respiciãt ad illos humores ex quibus fiunt. Curatio.
Hinc Auicenna & eius sequaces nonnulli, cum velint, quod fiant ex eadem materia, qua quartana sit notha, maximè verò phlegmatica, eodem modo has febres curant. Vel si hæc ipsa sit ex atra bile, eodem modo vt atrabilaria curanda. Sauonarola in harum febrium curatione ponit eosdem canones descriptos de curatione quartanæ phlegmaticæ, interea admonet, cum materia hic in principio sit crassior & hebetior, vt subtiliori diæta in principio, in processu verò crassiore, cùm febres longiores sint, ne vires concidant, vtamur. Hinc quidam primis diebus victum tenuiorem adhibent, postea crassiorem, & rursus versus statum subtiliorem. Interea si antecedant vel subsequantur hectica, iis minimè ieiunium imperandum est, cùm tales inædiam ferre non possent. Ideo in eiusmodi casu nutrimentum iuxta Auicennam laudabile & velocis nutritionis exhibendum est, quod facile distribuatur, nec crassum neq; viscosum sit. Quibus etiam febribus confert frequens ventris lenitio, modò absit hectica, nec eam sequatur. Et vomitus præcipuè ab initio etiam confert iis, vt in quartana phlegmatica, minus tamen in atrabilaria. Vbi igitur materia in vẽtriculo fluctuat, lenis vomitus vtilis est, etiam postea, ob pituitam & melancholiam, ex semine raphani paulatim ad elleborismum, si opus sit procedẽdo: at in atrabilaria id nequaquam tentandũ. Si materia sit, in locis vicinis & non in stomacho, leniente medicamẽto vtemur ad materiam communem expellendã, vel enemate si materia in intestinis hæreat. Interea digestiua sint magis subtiliantia & incidẽtia, ob materiæ crassitiẽ, à mediocribus ad vehemẽtiora progrediẽdo. Si atra bilis febrẽ incitet, magis humectã-

tibus & minus incidentibus vtemur. Materia concocta ac demum purgata, theriaca quoque vti possemus vt in quartana phlegmatica, quod etiam de balneis & stuphis sentiendum iuxta proportionem eorum quæ de quartanis febribus dicta sunt. Verùm cùm istæ febres modò quartanas mòdo erraticas sequantur; & rursus erraticæ, quartanæ fiant: exempla aliqua etiam de iis in medium adferemus.

OBSERVATIO XLIV.

De puero trium annorum febre erratica laborante.

NICOLAVS Verlanius, puer trium annorum, filiolus Bartholomęi Teylingij sororij mei, cùm in febrem erraticam anno 1555. mense Septembri lapsus esset, ac vnà vermes deiiceret, post exhibitum syrupum de cichor. nicoli cum rhabar. & oxymelle simplici epoto, infrascripto electuario solido per morsellos cùm vteretur, à vermibus simul & à febre liberatus fuit. ℞ pul. rad. tormentillæ, rasuræ eboris, cornu cerui vsti ana ℈ j. ß. pul. rhabar. selecti ℈ ß. dissolue cum aqua absinthij, & adiectis ʒ ij. zacch. albiss. fiat confectio in morsellis. dosis erat ʒ j. ß. aliquando ʒ j. in diluculo eo die quo non febriret.

SCHOLIA.

ANTEQVAM *ad febres erraticas declarandas veniamus, quæ nullum circuitum certum obtinent, causæ circuitus febrium paulo altius repetendæ sunt, cur putrescens pituita quotidie, bilis tertio, melancholia quarto quoque die impetum faciat, quamuis de iis aliàs nonnihil diximus, nondum tamen satis liquet, numquid hoc humorum motus efficiat, vt quidam existimarunt, quorum opinio refellitur apud Donatum multis rationibus De Meden feb. par. 2.*

Causæ circuituum feb. inter. mittentium.

par. 2. cap. 10. Ibidem eorum quoque sententiam improbat, qui causam circuituum referunt ad propriam vim contractæ putredinis, vel qualitatis naturam & conditionem, quæ vis seu qualitas in humore genita talem circuitum efficiat, cùm potius causam manifestam cum Galeno inuenire oporteat, eaq; inuenta frustra ad occultam quispiam confugiet. Tertiam quoque opinionem eorum refellit, qui circuituum causas ad stellas siue planetas quosdam referendas esse contendunt, & tandem eam causam complectitur, quæ à Galeno sumitur, ex temperatura & consistentia humorum. Sic bilis calida, sicca, igneæ substantiæ, nullum habens lentorem nec lenacitatem, citius affligit, nempe secũdo quoque die. At melancholia frigida & sicca, terreæ substantiæ, paulatim velut lapis accenditur, aut testa, aut os, & quarto die magis repetit. Pituita verò lenta & tenax, cum paruæ eius fiant euacuationes in accessionibus, inclinationibus, neque integrè expurgatur, sed sæpius in foraminibus retinetur, ideo quotidie redit. Sed statim obiicies, inquit idem Donatus, cùm nonnullæ sint febres quartanæ, septimanæ, nonanæ, quemadmodum ab Hippoc. scriptum est De Morbis vulgaribus, sequeretur quod nullus posit dari humor ex quo oriri possent, si ex eorundem humorum natura dicti circuitus & non alij excitari valent. id quidem propter exiguitatem fit, ob quam impeditur proprius eorum motus determinatus, sed protelatur, cùm & victus quoque in causa esse potest. Iam & triplex esse potest causa diuersitatis accessionum, vna quidem humoribus, secunda viribus, tertia corporis dispositioni tribuitur. Multus siquidem humor, eo, qui paucus est, longiorẽ affert accessionem; & crassus, tenui: robustæ vires breuiorem, quemadmodum imbecillæ longiorem. Corporis autem dispositio rara quidem breuiorem, densa longiorem affert. Et vbi omnes aut plures iam dictæ causæ copulantur breuissimam aut longissimam efficiunt accessionem,

Causa diuersitatis accessionum triplex.

Causa ordinis accessionum seruati.

sionem, tantoq; tempore earundem accessionum ordo seruabitur, donec in partibus, quæ accessionum causæ existunt, similis seruatur affectus, qui quidem duplex existit Galeno auctore eodem 2. lib. De Diff. Feb. cap. VI. Alter quidem imbecillitas partis, ex qua fiunt superfluitates, alter verò qui ex eisdem quotidiè genitis oritur. Peruertitur autem

Causa ordinis accessionū peruersi.

earundem accessionum ordo, aut ob transmutationem humoris, aut ob victus errorem. vt ad longum Altimarus docet. At Capo de Vacca cum Auic. De Feb. legeret, iuxta Galeni

Causæ reditus accessionis.

& Auicennæ doctrinam, Quotidiana, inquit, non quia causam habet fortiorem, verùm humorem copiosiorem, ideo citius redit bile. bilis cùm sit in maiori copia ita & rariores accessiones habet. Quartana verò siccior & tardior, imò siccissima, & in minima copia, rarissimas habet accessiones. Vna est causa circuituum seu periodorū natura humoris. per naturam non intelligit materiam, seu modum substantiæ, sed formam de prædicamento substantiæ, quæ dat esse humori. Hæc forma ea est, quæ per suam proprietatem est in causa, vt statutis diebus fiat accessio. Talis est natura & forma pituitæ vt singulis diebus, bilis tertio, melancholia quarto redeat. Vide Gal. 1. De Diff Feb. circa finem. At vbi non sunt in debita copia, periodi non seruantur, hinc de quinto in quintum, de septimo in septimum. Et licet biliosa inuadat singulis diebus, vt in duabus tertianis, habet tamen correspondentiam de tertio in tertium diem. Causa redditur à Galeno 11. Method. cap. 20. quod in particula, in qua vel adest inflāmatio, vel putredo, vel obstructio, in hac particula est focus putredinis, & sic possibile est, quod duæ sint partes in corpore affectæ, vnde duplex cum sit focus, duas habebitis tertianas. quare dicetur, quod redeant accessiones, quia perseuerant causæ. redeunt autem frequentiores, quia materia est vel in maiori copia, vel tenuior, vel calidior: quia etiam inquinamentum est, vel copiosius, vel minus siccum,

vel hæc

vel hæc fiunt ex humorum natura, id est forma ipsa. Quantum ad inordinationem paroxysmorum, Auicenna causam primò in materiam (considerans eiusdem substantiam) refert, crassam, tenuem, maiorem, minorem, copiam eiusdem, mordacitatem, intensionem, remissionem ipsius materiæ. secundò in humorum transmutationem, de specie in speciem, cum bilis flaua in atram transit. tertiò in errorem viuendi. quartò in imbecillitatem expultricis. quintò in acuitatem & hebetudinem sensus. Gal. 2. De Diff. feb. cap. vltimo, duas causas assignat humorum transmutationem & errorem in victu. Voluntq; Auicennam explicitè & clare: Galenum implicitè has causas proposuisse. quamuis in re ipsa nullam discordiam inter eos esse asserant. Verùm nunc ad vagas febres accedentes & erraticas, quas Galenus ad Glauconem ita vocat, eò quòd incerto tempore, ac non eodem modo repetunt, quod fit vel ob victus rationem malè institutam, vel, vt alij ferunt (quēadmodum etiam Azakia refert supra Commentum lib. 1. ad Glau.) quòd varij in variis partibus corporis humores putrescunt. Nam hos humores partes quædam citius, quædam tardius accendunt: ex quibus alij ad putredinem proniores, alij minus proni sunt. Cùm autem erratica febris à medicis præstantioribus inter febres interpolatas seu intermittentes numeretur, eadem fit aliquando ex simplici materia, subinde ex cōpositione diuersorum humorum. Hinc quidam de ea scribunt, quando de feb. compositis sermonem habent, alij autē cum de febribus intermittentibus agunt, & de eadem ex professo tractant, quos equidem & nos sequi maluimus. Verè quidem erratica cùm febris simplex est, & inter simplices eā cum Rondeletio medico doctissimo numeramus. Et licet in ea quandoque putrescunt diuersæ materiæ simul, quandoque successiuè aut in diuersis locis, quemadmodum dicebat Nicolaus Florentinus, cùm duæ materiæ intus vel extra in vno loco aut

De inordinatione paroxysmorū.

Quas febres vagas & erraticas Galenus vocat.

Causæ.

co aut in diuersis corporis partibus putrescunt, tamen cùm febres erraticæ non obseruant periodos certos, vt aliæ febres compositæ, sicut tertiana duplex singulis diebus recurrit: ideo quoque ad simplices febres magis pertinent, cúmque oberrantes certum circuitum vel periodum nullo modo obtineant. In febre erratica materiæ non sunt mixtæ mixtione vnita, sed vtraque materia suam seruat naturam, & hoc magna ex parte. Hoc quoque obseruatu dignum est quòd ad periodum attinet, si postponent aut anticipent febres, id ex parte dispositionis corporis, paucitatis & multitudinis materiæ fieri potest: ideo videndum ne decipiamur, quod eiusmodi febres semper erraticas iudicemus. Et quia materia est in diuersis locis, vna putrescit post aliam, vnde aliquando eodem die faciunt bis aut ter typum, modò manè modò vesperi, quandoque de tertio in tertium, rursus de quarto in quartum, vel anticipant vel postponunt: quandoque nullo modo aut ordine affligunt, inde rectè errare dicuntur. Si sit materia in vno loco, vna citius putrescit, alia tardius, ideo in paroxysmis accidit confusio. Cæterùm hæ febres magna ex parte oboriuntur in fine æstatis circa autumnum, & in fine adolescentiæ versus principium senectutis, vt his qui annos triginta quinque præterierunt, quamuis & aliis etiam in pueris, vt nunc exemplo ostendimus, fieri possent. Vagis febribus quoque teste Galeno ferè succedunt quartanæ, ideo post quartanas & de his agere tempestiuum est. Succedunt autem quartanæ, ideo quòd corporis habitum resiccant, ac humores adducunt, & ita in quartanas tandem mutantur, potissimum autem in autumno, vt quotidiana experientia multoties vidimus: quare & harum febrium curatio minimè negligenda, cuius curationis & aliud exemplum nunc subiiciemus.

Quartanæ febres vagis ferè succedunt.

OBSER-

OBSERVATIO XLV.

De febre erratica curata antequam in quartanam transiret.

THEODORVS Teylingius, quęstor ærarius Comitis illustris de Egmont, sororius meus, Alcmariæ anno 1554. cùm in autumno liberalius vinum cum amicis quibusdam ingurgitasset, ac diuersis ferculis apud nobiliores, qui talibus delectantur, se impleuisset, in erraticam febrem incidit, cum capitis dolore & tussicula admodum leui. Cùm verò hanc febrem non magni faceret, eidem prædixi nisi remediis vteretur, hanc ipsam facile in quartanam transmutari posse. Ideo ad eum accitus 20. Octobris die, ilicò hunc syrupum propinaui. ℞ syr. de end. viol. ana ℥ j. syr. è stœchade (ob dolorem capitis & materiam pituitosam admixtam) syru. de liquiritia (ob tussim) ana ℥ ß. aquar. endi. buglossæ ana ℥ ij. aquar vngulæ caballinæ, bethonicæ (tam ob tussim quàm ob capitis dolorem) ana ℥ j. misce pro ij. dosibus. Postea hoc modo eum purgaui. ℞ diacatholici ʒ vi. cassiæ recens ex cannis tractæ ℥ ß. agarici trocis. ϑ j. seri lactis ℥ iiij. syr. è stœchade, syr. viol. ana ℥ ß. misce. & ex ea potione solutiua ac leniente habuit quinque sedes, & plurima, eaq. diuersa excrementa deposuit: ita vt non solùm dolor capitis cessarit, verùm etiam à tussicula tum febre vaga liberatus est.

SCHOLIA.

VAGAS *& erraticas febres Galenus 1. ad Glauconem vocat, quæ incerto tempore, ac non eodem modo repetunt, vt paulo ante Scholia præcedente admonuimus.* Cur erraticæ febres dicuntur. *Dicuntur autem Erraticæ febres duobus modis, vel quia errant in*

rant in modo affligendi, cùm circulum mutent. Si enim de tertio in tertium inuadant, aut de quarto in quartum, vel quotidie, modò continuæ sint, deinde rursum intermittant, modò ex quarto typo ad tertianum transeant, vel ex tertiano è conuerso, magis vel minus intermittant. Talis enim motus ex diuersis humoribus contingit. Hinc aliquando tertiana erratica, quotidiana aut quartana dici potest, quamuis versus autumnum in quartanam erraticam, aut in quartanam vertuntur. Et sic quælibet erratica sequitur motum suæ materiæ. Vnde Gilbertus Anglicus rectè dicebat, quod aliquando ter in die typum patiuntur, ad modum tertianæ, quotidianæ, quartanæ: quandoque de die in diem diuerso modo intermittunt, secundum naturam pituitæ, bilis aut melancholiæ. Vnde quandoque semel, bis, aut ter, manè aut aliis temporibus, secundum humoris naturam, erratica affligere solet. Possunt enim duæ materiæ coniungi, vt pituita & bilis, aut pituita & melancholia, aut bilis & melancholia. Et ista compositio est diuersarum materierum, in diuersis locis putrefactarum, quarum vna aduritur in choleram nigram & adurit aliam. Et potest fieri ex omnibus simul, & etiam in aliqua parte corporis simul congestis, & maximè in autumno: vnde in quartanam mutantur (vt paulo antè diximus) vel enim humores aduruntur & in melancholiam transeunt, vel melancholia eos in suã assumit habitudinem. Febres enim inordinatè vagantes, teste Hippocrate, quartanæ fiunt. Sic enim materia pituitosa vel biliosa (teste Gilberto) in fine autũni aduritur, & conuertitur à sua specie in speciem melancholiæ, & quartana accedit. Hinc Sauonarola tum alij præstantiores medici, febrem erraticam vt plurimum, ac quasi semper periodicam febrem esse volunt, & mixtione diuersarum materierum in vno loco scilicet intus vel extra vasa putrescentium, prouenire, aut in diuersis locis, vt alij dicunt, quæ neq; certis accidit horis, modò manè

Primo modo erraticæ febres.

Gilbertus Anglicus.

Sauonarola.

modò

modò vesperi affligit, modò citius, modò tardius, & qui Arabum decreta sequũtur, volunt fieri ex colera, phlegmate & melancholia simul commixtis, in aliqua parte corporis, maximè verò in autumno. Alij verò erraticas febres vocant, vt Bertrutius etiam ex humore vnico, licet heterogeneo secundum partes suas, parte subtili prius putrescẽte, deinde crassiore anticipando: vel è contrà, prius parte crassiore, deinde subtiliore periodum postponẽdo. At Sauonarola vt paulo antè diximus, dicit fieri ex diuersarum mixtione materierum, in vno loco, vel diuersis, quæ neq; certis horis affligit, neque ad declinationem vsque certis procedit periodis, sed inordinatè, nullum in affligendo ordinem seruans: cuius causa magna ex parte est pituita cum melancholia. Secundo modo dicuntur erraticæ febres quòd circulando affligant sub autumno, modò anticipando, modò postponendo, quodq; deinde ad circulum redeant, aut in quartanam mutentur. Secundo modo erraticæ dictæ.

Erratica febris est periodica propriè & nunquam continua. Signa per se patent, quòd non obseruant typum, & sine periodo oberrant. Signa.

Suntq; ex tota sua specie difficiles curatu, ob materiæ mixtionem, prolixæ quoque & malignæ, cùm bilis quandoq; aduratur, & pituita incrudescat, & tandem humor melancholicus gignatur, & quartana oboriatur. difficulter quoque curantur, cùm sine ordine inuadant, nec victus ratio probè adhiberi possit. & ideo neque facilè à quouis dignoscuntur, neq; facilè curari possunt. Tamen quia ordo duplex est typorum & inuasionis, duæ erunt inordinatæ. & sic quædam febres præoccupantes, aliæ retardantes, aliæ inordinatæ & erraticæ, quarum multæ particulares differentiæ sunt, quas difficile est enumerare iuxta Rondeletium. Prognostica.

Quod ad curationem attinet, optima victus ratio præscribenda erit, & medicamenta adhibenda, prout causæ contrarientur. Si igitur pituitosus humor cæteris abundet, maiori victu incidente vtendum: Si bilis & melancholia aduſta, Curatio.

aduſta, magis humectante. Præſtat autem manè cibum dare, cùm hæc febris vel errat, anticipat vel poſtponit. Dum in maiore quiete æger eſt, hæc interualla non ſunt prætereunda, tam ad victum adhibenda quàm medicamenta. Valent carnes perdicum, gallinæ, amygdulatum, hordeatum, vinum lymphatum conceditur, vbi debiles ſint. omnes humores maximè reſpiciunt & melancholiam potiſſimum. Si pituita & melancholia miſta ſunt, digere hoc modo. ℞ oxymell. ſimplicis, acetoſ. ſimpl. ſyr. de fumoter. ana ℥ j. aquar. bugloſſ. borag. fœn. ana ℥ ij. miſce. Si bilis cum melancholia, oxyz. & ſyr. de epithymo. Si bilis cum pituita, oxyz. ſimpl. & comp. pro purgatione dant diaſen. cum turbith. infuſ. ſenæ & agar. in bile aduſta, cum aqua hordei vt magis humectet & ſyr. viol. Catholicon hic maximè commendatur, cum omnes humores euacuat. laudant & venæ ſectionem, ſi adeſt plethora, ex vena baſilica ſeu ſaluatella ſiniſtra. Curationis cardo conſiſtit, vt habetur 10. Continentis, in frequenti purgatione humoris melancholici & adminiſtratione ſubtiliantium abſque calefactione. In principio tamen abſtinendum à fortiter incidentibus & aperientibus, ideo in curando diligenter tempora ipſius febris diſtinguenda erunt. materia cocta & expurgata conferunt quoque mixturæ roborantes ex conf. anthos, melliſſ. borag. cum oxyzach, ſimpl. aut compoſ. Vbi diuturnæ ſunt, theriaca cum aqua decoct. end. hyper. ſecundum materiæ compoſitionem. Alij conficiunt pilulas ex agar. rhabar. vel pil. laxantes ex ſen. rhabar. exhibéntque apozemata laxantia, & ſimul digerentia. Et quia facile in quartanam mutantur, reliqua remedia quæ ad quartanas faciunt, erraticas quoque febres ſanare perhibentur. Reliqua apud Rondeletium perlegito, quæ & enemata & fomenta hypochondriorum præſcribit, & curationem febrium erraticarum diligentius perſequitur. Quod ſi ſymptoma aliquod

aliquod his quoque superueniat, statim succurrendum erit, siue dolor capitis fuerit, seu tumor lienis, vel hydrops aut cachexia, qualia in quartana etiam euenire solent: quæ ex propriis locis petenda sunt, præter ea quæ de quartanariis diximus. Et ita Dei ope absoluimus (cui sit gloria & honor in perpetuum) omnium febrium simplicium formas & curationem omnium febrium intermittentium. Et quia adhuc restat vna febris simplex, scilicet hectica, de ea libro sequenti dicemus, antequam ad alias compositas febres progrediamur. Et ita hunc librum finiendum duximus.

FINIS.

OBSERVATIONVM ET CVRATIONVM MEDICINALIVM,

DE FEBRIBVS HECTICIS, LIBER QVARTVS:

PETRO FORESTIO ALCMARIANO, MEDICO, AVCTORE.

OBSERVATIO I.

De febre hectica simplici post ephemerã orta.

VIR annorum triginta quatuor, prope templum nouum Delphis habitans, gracilis admodum & longus, temperatura biliosus, tempore æstatis, ex animi perturbatione, cùm in febrem ephemerã incidisset, nec eam magni faceret, adeo tamẽ ira increscente, animi mœrorem haud exiguum concepit, neque tunc medico vsus est, quamuis paulatim macilentior factus, & ab assumpto cibo, grauius deinde & intẽsius à febre ipsa affligeretur, tandem de remediis cogitauit, & me in consilium adhibuit. Ad quem cùm intrassem, ac diceret se nullum dolorem sentire, nec febricitare, interea cum à cibo magis incalesceret, cumq. intellexissem primam originem huius febris, diariis similem fuisse, ex ira, scilicet, ac mœrore, de hectica suspicionem habui; cùm hæc ipsa (vt Paulus Ægineta dicebat libro 2. cap. 31. De Hecticarum febrium agnitione) dolorem nescit, & qui ea detinentur, nequaquam febricitare se existimant, neque enim calorem percipiunt, cùm vniuersæ

vniuersæ ipsis particulæ æqualiter sint excalfactæ, deinde quòd hæc ipsa aliquando inuadat ab initio, vti diariæ, ex mœrore, ira, lassitudine maiore, vnà cum exustione forti, quæ etiam diaria, quemadmodum diximus De Febribus ephemeris libro primo, si ab initio non rectè curetur vel error aliquis per medicum aut ægrum committatur, vel negligatur, facile in hecticam transit, magis autem si ex ira, animi perturbatione incipiat, vt Galenus 9. Methodi medendi quoque docuit, & lib. 1. De Febrium diffe. cap. 2. Cùm enim febris extenderetur vsque in secundum diem, neque ad integritatem peruenisset, vti diariæ solent, ac permaneret etiam tertio die cum squalido corpore & calore, talem hecticam esse, inquit Galenus loco citato, existimare debes, maximè verò si ingesto cibo calor accendatur, pulsusque in magnitudinem ac velocitatem increscat, ita vt æqualis accessio esse videatur, id quoq. hecticæ proprium ac inseparabile signum existit. Siue igitur hectica ab ephemera inceperit, siue ex se, nam ex iisdem causis, modò vehementiores sunt, à quibus fiunt diariæ, fieri potest: ex causis prægressis & signis iam præsentibus, cognoui hecticam esse, illius scilicet generis, quod (Aetio teste lib. 5. cap. 92. De Hecticis & tabidis etiam febribus) statim à principio inuadit, primo ortu ab ephemeris non dissimile, mœrore, ira, lassitudine, æstu & quopiam tali generatum. Huic generi si maturè occurratur, haud ægrè sanatur. Cùm igitur hęc simplex hectica esset, ex causa procatartica nempe ira orta, tempore æstatis, canicula æstuãte, in homine bilioso, macilento, ac quasi exsangui, facilè cognoui, cùm febris hæc tenuia corpora & pauci sanguinis ferè corripiat, & celeriter consumat: morbo itaque percepto

cepto & constitutione temporis considerata, quia iam canicula vrgebat, deinde temperatura huius iuuenis obseruata, venit mihi in mentem exemplum illius iuuenis, de quo Galenus lib. 10. Meth. Medendi meminit, illum præ oculis ponens, qui in feruoribus sub canicula ex ira febricitaret, qui erat siccus & calidus, quodq. hectica, vt optimè curetur, nullum vel minimum erratum admittit, teste Galeno. Quo fit, vt medicus in sua curatione admodum solicitus esse debeat, aliter, sine dubio, cuncta quæ fecerit pessum ibút. Quamobrem dioctrũ Galeni memor, hanc curam cum diligentia aggressus sum, vt ægrum quouis modo & refrigerarem atque humectarem, cùm hæc vniuersa curandarum hecticarũ ratio sit, eodem Galeno authore, tam per ea quæ intus tum per os sumuntur, quàm quæ foris admouentur. Ideo imitati Galenum, pro hoc iuuene bilioso maciléto curando, omnium primo eum in aëre frigido & humidò, tam per artem quàm per naturam ita parato decumbere fecimus: atque in eo soliciti fuimus vt eius cubile commodam haberet latitudinem, & potius in parte inferiori domus, quàm in suprema situm, vtque etiam culcitra nõ lecto penna pleno (in quo nostri plerumque decumbunt) vteretur: ob cuius animaduertentiam, vt etiam refert Amatus Centur. 3. cur. 1. nonnulli in grauissimos æstate incidunt morbos, ardentissimas febres, & fixam siue hecticam, vt filius Tranli Sacerdotis, qui canicula vigente supra culcitram penna refertam dormiisset, quæ quidem hectica ab eodem Amato curata fuit. Pro nostro autem iuuene curando, cùm ingens æstus esset, iuxta Trallianum pauimentum in domo subterranea, in qua decumbebat, aqua frigida copiosè conspergere mandauimus,

vt eo

vt eo modo frigidior euaderet: Iam quoq. vt aqua ex aliis vasis in alia decideret: nam mediocris huius strepitus etiam somnum prouocat. Subinde etiam pauimento iniecimus refrigerantium aliquod, aut rosam, aut semperuiuum, aut rubum, aut vitis capreolos, aut simile quoddã efficax. Eiusmodi sanè aër omnibus quidem hecticis conducit, maximè verò canicula æstuante, & quibus pulmo & cor igneum ardorem primariò sensérit. Imperauimus quoque vt stragulis albissimis sæpissimè mutando, vteretur, & sorditiem illam (qua nostri laborant, qui neque camisias in febricitantibus mutandas esse somniant) vitaret. Coitum quoque illi, tum quæuis exercitia, animíque impetus & similia inhibuimus: lauacra pedum & crurum loco balneorum, quibus nostri non ita vtuntur, concessimus. Cibum verò humectantem & refrigerantem singulis quatuor horis, non tamẽ exuperantẽ dedimus, hordeata scilicet, amygdalata, emulsiones seminum quatuor frig. maior. mundat. necnon pulli ius, aut cremorẽ ptisanæ, vitellos ouorum, quibus admixta sit aqua ros. & zacchari parum, loco salis. Contusa ex carnibus caponum, pullorum gallinaceorum, seminibus quoque frig. maior. iisque mundatis apparatum, cui & cremor ptisanæ subinde admixtus erat. Carnesq. iurulentas cum lactuca, cichorea paratas & cucurbita. quibus aliquando oui luteum & album omphacio concussa addebantur. Interea ex præceptoris nostri Benedicti Fauentini præscriptione consuluimus, vt pullum exiguum depilatum & euisceratum dilutumque cum aqua sem. communium frigid. viol. atque in eadem aqua infusum, per horas sex ad lentum ignem coquerent in aqua communi, in qua adiecta erant folia lactucæ

end. scariolæ, seminis pap. albi ana p. ß. eoque decocto, æger carnes huius comederet præcepi, vel contusum in cuius iure subinde decoquerét mandabàm, farinæ amyli, hordei ana p. ß. zacchari albissimi ʒß. lactis amygd. dulc. ʒj. quod quidem sine sale ægroto adhiberetur. Illud quoque quod ab eodem cap. proprio de hectica commendatur. ℞ succi cucurbitæ ʒiiij. lactis amyg. dulc. ʒij. farinæ amyli ʒß. zacchari optimi ʒj. misce & coquantur omnia in iure paruæ pullæ, & patienti hecticam manè & vesperi exhibeatur. pisces fluuiales eidem concedebam. pro siti vtebatur aqua hordei, seu ptisana non multæ decoctionis, & in potu etiam cereuisia tenuiori, vinum Rhenanum aquosum admisi viribus deficientibus. Quod & præceptor meus aliquando commodè lymphabat cum aqua sem. communium frig. maior. Dabam quoque pruna & cerasa ex sole siccata, amygdalas, pistacias, pineasque zacch. paratas, martios panes. Amatus etiam in simili casu proponebat semen melonis zaccharo incrustatum; eodem modo & reliqua semina frigida maiora decorticata zaccharo cõmodè incrustari poterunt. Ego & lactucam conditam, non sine magna vtilitate quoque adhibui. Quod ad medicamenta attinet, cùm hæc ipsa etiam infrigidantia & humectantia esse debeant, atque alterantia, nullo modo soluentia, cum & hecticæ in curatione vnà cum ephemeris coincidant, nullo modo aluum hic soluere voluimus nisi cum valdè astricta foret, tunc aliud nihil exhibendum duximus, quàm ʒiij. syrupi ros. ex infus. rosarum pallidarum, quæ leniter aluum mouent, aut syrupum viol. aut mannam solùm, cum iure pulli, licet molles clysteres aut humectantes & refrigerantes hic quoque locum habeant,

quos

quos ipſe, (vt plerique hic aſſolent) non admittebat. Propinauimus itaque ſubinde zulapia refrigerantia & humectantia ex ſyrupo violaceo, nenupharino, ex ſucco end. vel ſucco cichor. aut borag. parata, cũ aqua hordei mundati, vel ſem. 4. frig. maior. viol. end. lactucæ. Extrinſecus verò adhibebantur etiam refrigerantia citra vehementem aſtrictionem, & quæ humectarẽt, qualia etiã Galenus admoueri iubebat 9. Method. med. cap. 8. Nos verò conſuluimus vt cordi tale vel ſimile epithema admoueretur. ℞ aquar. roſ. nymph. viol. ana ℥ iiij. aquę acetoſæ, borag. ana ℥ ij. ſantalor. rub. ana ℈ j. ß. corticis citri ʒ j. oſſis de corde cerui ℈ j. vini albi aquoſ. ℥ j. ß. ſpe. diamarg. frig. ℈ ß. fiat epithema & cum pãno rubro vel zindalo admoueatur & ſæpius amoueatur. ℞ aquæ cich. end. roſ. ana ℥ iij. aquæ nim. viol. ana ℥ j. ſpecie. diarod. abb. ʒ j. ſpe. trionſant ʒ ß. aceti roſ. ℥ j. miſce & cum panno rubro duplicato hepati apponatur. Interea cerato Galeni, ſupra renibus appoſito ex cera alba optimè elota & roſaceo omphacino oleo, & aqua roſ. pauco aceto addito, confecto, vt liquet ex Galeno 10. Methodi cap. 9. quod aſſiduè mutabatur, corpore incaleſcente, eodem auctore. vtebatur quoque lacte caprino etiam ouillo, ſi caprinum deeſſet, cum ſimplex eſſet hectica, neque humorum putrefactio ſubeſſet. Morſellos quoque dedimus, modò ex diatrag. frig. modò ex triaſantalis, ſuperbibendo aliquid aquæ cichorij, vel endiuiæ. conſeruam quoque violaceam, nenupharis. Alterantibus frigidis & humidis ſæpè repetitis vtebamur: poſtea melius habere cœpit, ita vt neque aquæ potu neq. balneo neceſſe fuerit vti, quo veteres vtebantur. ſi æger (teſte Alexandro Tralliano lib. 12. cap. 4 De Febre hectica) primariò in febrem

hecticam incidissent, atque non ex acutorum morborum transitu originem traxisset. Tunc enim cremorem ptisanæ, & ptisanam ipsam pro potione offerebant, & panẽ in aqua tinctum, lactucas in omni cibo quoq. dabant, & post cibum aquã frigidam quantum vellet æger, cùm hic febris insultus non metuerent. neq; enim hic remissionem aut accessionem, quemadmodum in febribus ex putredine ortis, inuenire licet. Ita sanè agendum est, si quando ipsa febris hectica per se, ac primariò fuerit, nec ex putredine creata, aut ei admixta. Nam hectica febre laborantes statim (inquit Paulus Ægineta lib. 2. cap. 32. De Curat. hecticarum febrium) ab initio nutriri desiderant humorum rodentium gratia. Maximum verò remedium huius est, victus humectans. Conuenit igitur, quàm maximè ptisanæ cremores, halicéque, & pane præterea adiecto ægrum nutritum, moderatæ frigidæ potu curare: si neque inflammatio quædam, neque humorum putrefactio subest. At si magnam inde offensam fore coniectaueris, frigida abstinere oportet, extrinsecus autem impositis, quæ refrigerant, auxiliis vti. Balnea verò hoc modo morbo obnoxiis, quolibet tempore sunt idonea. Hæc Paulus. At istis duobus remediis nempe aquæ potu & balneo in isto nostro ægroto opus non fuit, cum solis refrigerantibus & alterantibus tandem bene se habuerit.

SCHOLIA.

POSTQVAM duo præcipua genera febrium, scilicet earum quæ in spiritibus, deinde verò quæ in humoribus accenduntur, explicauerimus, restat tertium genus quod in solidis partibus firmatur, de quo in hoc libro agemus. De ephemeris, etiam de putridis tam continuis quàm intermittentibus dictum est, quæ ad simplices febres referebantur.

Verùm

Verùm cum quædam putridæ etiam compositæ esse possunt, de iis post hecticas dicturi sumus. Et quamuis hecticæ aliæ simplices, aliæ verò cum putridis mixtæ: simplices verò hecticas hic prius proponemus, deinde ad eas quæ cum aliis febribus miscentur progrediemur. Porrò has febres hecticas appellarunt, vel quoniam firmæ ac fixæ sunt: ἕκτικὸν enim febris ab ἕξω, id est habeo, eò quòd habitum corporis complexa sit, dicitur. Sic enim vocare consueuerunt solidas corporis partes ab humidis distinguentes. Ab aliis dicitur habitualis, quia amplius non est in dispositione, sed in habitu, eò quòd calor febrilis radices egit, vt nullo modo aut ægerrimè extingui posset. Vide de his plura apud Donatum. Galenus etiam hecticam febrem j. De Diff. feb. in habitu esse dixit. Cum immodicus feruor (teste etiam Alexandro Tralliano lib. 12. cap. 4.) humiditati substantiali, quæ solidis particulis inest, superuenerit, non tamen hæc dissipata fuerit, verùm salua adhuc in eis perseueret, sempérque ferueat, & nullam declinationẽ habeat, tum huius febris speciem hecticam nominant. Quod si humiditas substantialis in nobis consumatur: huiusmodi febris à marcore Græcis absolutè marasmodes appellatur. Sin autem in totum consumpta fuerit, aut torrefacta, tunc marasmus constituitur. At hectica (teste Galeno lib. j. De Diff. feb. cap. 10.) quæ manente humore fit, corpus ipsum cordis præhendens, inde maximè accenditur: quemadmodum lucernarum flamma ex ellychnio. Si verò humor corporis cordis spatio temporis consumatur, non solùm hectica sed etiam marasmodes iam existit. Natura enim eius calida ac sicca existit, ac cor similiter afficitur, vt ellychnium in lucerna, quoties plurimum crematum fuerit. Etenim ita exustum friabile fit, atque dissoluitur, perditurq; continuitas præ ariditate: vt nequè si affundas abundè oleum, queas rursus accendere flammam copiosam. Parua enim atque infirma flammula in ipso concutitur, ac sem-

Hecticæ febres cur ita dictæ.

Part. 1. de feb. medẽd. cap. 17.

Febris hectica.

Febris marasmodes

Marasmus.

Analogia.

per minor efficitur, vsquequo extinguatur. Atque exactè quidem marasmodes febris huiusmodi existit, nec eadē est cum affectu marcore. Hic enim in iis efficitur qui consenuerunt sine febre, extincto in illis natiuo calore (quæ potissimum mœrore vacua mors est, ac secūdum naturam ex siccitate consistens) velut & in iis qui emarcent præter naturam, genus illud efficitur, quod Philippus nominat ex morbo senectam. In quam multos nouimus non senes solùm sed pueros incidisse: Hæc Galènus. Et ita quidem ex mente Galeni duplex genus hecticarum esse volunt: quorum vnum est citra tabem, reliquum verò cum tabe. Quamuis non desunt alij, qui has non esse differentias hecticarum contendunt, sed potius gradus. & ita Fernelius quoque tres gradus hecticæ ponit: primum cùm carnosa partis similaris substantia incenditur & efferuescit: ac quàm diu nihil eius aut exiguum dissipatum est, primus est hecticæ febris gradus. Secundus cum amplius præcedente calore, aut plurima aut tota carnosa hæc substantia assumpta est: nam & huius multi existunt ordines. Tertius cùm absumpta carnosa substantia, calor ille febrilis primogenium humidum manifestè depopulatur, tunc est febris cum marcore. Alij diuidunt hecticam febrem in simplicem, vel in eam quæ putridam admixtam habet, aut in symptomata, cum alios morbos, vt vlcera pulmonis, aliasq; febres sequatur. Aëtius lib. 5. cap. 92. duo genera ponit ab ipsis causis desumpta, de quibus etiam Galenus meminit, vnū ex febribus ardentibus proueniens: alterum ex se ipso inuadens ab iisdem causis à quibus ephemera incipit. Fernelius tres differentias esse dicit, hecticam febrem omnino simplicem, nulli alteri permistam, quæ rarissima vsu obtingere animaduertitur. Secundam verò hecticam frequentiorem, quæ acutam ardentemq; febrem excipit, quam & ardentem & colliquantem appellat, cum id breui efficiat, quod simplex hectica sensim multoq; tempore.

Febris marasmodes secundum Galenum.

Marcor.

Mors sine marcore.

Ex morbo senecta.

Duplex hecticarum genus.

Tres gradus hecticæ.

Alia diuisio febrium hecticarum.

Tertiam

Tertiam ex partis cuiuspiã affectione, præsertim ex iecoris, lienis, ventriculi, pulmonum, thoracis, renum vel intestinorum inflammatione, haud rectè curata, maximè verò si purulenta euadat, quam potius symptomaticam febrem esse vult quàm propriè hecticam, cumq; hoc genus quemadmodum & præcedens non ad simplicem hecticam referat, cum vtrumque ex putredine natum sit. Syluius verò professor Regius Commentario suo de feb. triplicem quoque hecticam facit, aliam hecticam tantùm, aliam hecticam marasmodem, & hecticam harum mediam, idq; ex mente Galeni. hectica tantum in humore insito & naturali corporis cordis adhuc manente accensa & cognitu quidem difficilis, sed curatu facilis. Hectica marasmodes in corpore cordis siccato accensa est, in eáque cor, vt dictum est, sic afficitur vt ellychnium in lucerna valdè crematum. Quamdiu multus adhuc humor in corpore cordis permanet, hectica est media, quæ magnam habet latitudinem in ratione maioris & minoris sitam: ita vt natura & curatione sit nunc exquisitè inter has media nunc hecticæ tantum, nunc hecticæ marasmodi propinquior. Exemplis omnia iam dicta clariora euadent.

Gal. lib. 1. De Diff. feb. cap. 10. 11. 12. 13.

OBSERVATIO II.

De febre hectica à mœrore valenti & longo orta.

TOPIARIVS quidam Delphius, qui opere topiario hortos exornabat & sequacem materiam varios exprimere rerum species docebat: vnde tandem factus hortulanus diues, vt in horto egregiam domum sibi construxisset, & solitariè ibidem cum viueret, prius melancholia affectus est, & ex mœrore valenti ac longo, hectica febre tandem correptus est: & quamuis hæc initio similis diariæ videbatur,

batur, non tamen ad integritatem, vt diaria solet, peruenit. Hæc enim cum per se prænderet à causa externa, principium non habebat sensibile, nec augmentum, nec vigorem. Hic autem erat homo staturæ longioris, macilentus, niger, dixisses quasi stipitem fuisse, tales enim facile in hecticam prolabuntur, sic dicente Galeno lib. j. De Diff. feb. cap. 12. Nemo statim ab initio prænsus est tali febre, qui corporis habitum habuerit humidum: sed qui siccior natura existit, maximeque vbi calidior quoque natura sit, & qui vitam degit in labore, vigiliis, cura, ac victu tenui, is adsolet statim ab initio prænsi hectica febre ex ira, ac mœrore: ac multo magis quoties æstas & constitutio calida ac sicca, locusq. eiusmodi fuerit. Quæ omnia cum in isto homine conuenirent, minus admiratu dignum fuit quod in hecticam inciderit. Ad hunc igitur vocatus, cum adhuc principium huius febris esset, insitusque cordis humor tantum ferueret, nec adhuc facultas eius vitalis & naturalis à temperie natiua adeo recesserat, vt debilitaretur, sed nihil adhuc patiebatur: ob quam causam etiam tunc facillimè curari poterat. ideo insequendo rationem curandi à Galeno scriptam lib. Method. 10. quam & Aëtius imitatur lib. 5. cap. 93. summam medendi in humectando, refrigerando collocauimus. nam omni conatu febres hecticas priusquam ad tabem deueniant refrigerare & humectare oportet, tam quæ extra applicantur, quàm quæ intra sumuntur, è quibus est & inspiratus aër. Hecticos omnes etiam si tabescere inceperint, modò alia febris non complicetur, vel ab humorum putredine vel ab inflammatione veteres audacter lauabant, citra laborem tamen. Labore enim vires exoluuntur,

quas

quas maximè seruari oportet. quomodo æger ducendus sit in balneum, vide locum Galeni & Aëtij citatum. Quod verò ad alimenta attinebat, cùm ea ipsa & frigida & humida esse oporteret, cremor ptisanæ frigidæ sumptus, & alicæ chondrus in ptisanæ morem conditus, ab eodem Aëtio commendabatur, panisque modicùm aqua frigida madefactus. nos pane eloto more Italorum vsi sumus. Sed cauendum, eodem Aëtio auctore, ne epularũ frigiditas sit ita exquisita, quẽadmodum potionis est. Potus enim citò incalescit, facileque pertransit meatus, at quæ comeduntur sorbẽturque, si immoderatè frigida fuerint, diutius commorando, frigiditate ventriculum afficiunt. Lac asinæ, vbi diuturna febris est, Aëtius etiam exhibet: at nos eo carentes lac capræ eius loco exhiberi iussimus. Præceptor meus Benedictus Fauentinus dabat lac vel mulieris vel asinæ vel capræ, quibus & lac ouillum, aliquando etiam vaccinum concedebat: quæ conueniunt, modò non adsit putrida cum hectica mixta. Aquam huic non dedi, cum minimè assuetus esset, sed eius loco aquam hordei multæ decoctionis pro potu administraui, & consului vt iulebo cap. proprio à Benedicto Fauentino præceptore meo in sua Empirica descripto vteretur. ℞ aquæ sem. commun. frigid. viol. end. lactucæ ana ℔. j. se. end. portulacæ, scariolæ ana ʒ ij. iuiubar. sebest. ana numero xx. bulliantur omnia in s. q. aquæ. coletur, & cum zaccharo q. s. fiat iuleb longum. Sub noctem hordeato vt vteretur mandaui. Hoc quoque ferculum vt fieret præcepi, quo idem præceptor meus vti solebat. ℞ medull. panis albiss. q. s. infundantur in lacte vaccino vel caprino per horas vi. deinde coquãtur in lacte amygdal. dulcium q. s. addendo emul-

siones se. papaue. albi, & se. 4. frig. maior. ana ℥ß. & cum zacchato fiat ferculum sine sale. interea iuxta eiusdem præceptum caudas cancrorum accepimus, & eas in lacte vaccino per horas sex infundere fecimus: deinde in lacte eodem eiusmodi caudas decoquere iussimus: cui adiecimus lac amygd. dul. emul. semi. papa. & quatuor frig. maior. mund. ana ℥ß. & cum zaccharo quantum sufficiebat, fiebat condimentum. Syrupum quoque hunc manè vtsumeret præcepi, non ratione digestionis, sed infrigidationis & humectationis. ℞ sy. viol. pap. de end. ana ℥j. aquæ lactucæ, viol. ana ℥iij. misce. fiat syr. pro ij. vicibus. à pharmaco purgante abstinuimus cum minimè hic locum habeat. vbi tamen minus aluum deponeret, cassiam tantum semel aut bis admisi. Interea & hoc condito vsi sumus. ℞ conseruæ viol. nenupharis ana ℥j. diatragac. frig. ʒj. cum modico zacch. albiss. fiat mixtura. Spinam dorsi inungere fecimus hoc linimento quo idem Benedictus præceptor meus & dorsum & thoracem & vtrumque latus hypochondriorum inungebat. ℞ mucaginis semi. cithon. se. psilij, maluæ ana ℥j. lactis mulieris puellam lactantis ℥j ß. gummi arabici, tragacanth. ana ʒj. butyri recentis sine sale loti, olei viol. loti ana ℥j. ß. ceræ albæ q. s. fiat vnguentum molle. Præterea iura restaurantia ex capone in balneo maris cocta secundum artem parauimus, aliisque cibis resumptiuis & alterantibus ac infrigidantibus & humectantibus, cum vsi essemus, tandem & hic conualescere cœpit. Erant eo tempore empirici qui illum morbo Gallico affectum dicebant, cum hectica tantùm laboraret.

SCHO-

SCHOLIA.

Ex dictis Galeni tum Aëtij, locis quoque iam citatis duas causas esse hecticarum febrium satis constat: vel enim procatarcticas causas habet cum ephemeris cõmunes, quãdo morbo nullo præcedẽte eueniant, verùm ex ira, mœrore, tristitia, aut lassitudine, ex ardore solis, etiã ex Venere nimia, qualem & nos aliquando iuuenem præ manibus habuimus, qui commodè quoq; à me curatus fuit: idq; in hominibus siccioribus & calidioribus, vitam in laboribus, vigiliis, curis, consumentibus, tempore æstiuo, & victu calidiore vtentibus. Secunda causa est, quando ab ardentibus febribus, vel acutis etiam malè curatis succedunt, & non refrigeratis potu tempestiuo aquæ frigidæ, aut aliis remediis refrigerantibus, imò contrà perperam calefactis & siccatis, inedia tridui à diatritariis, vt apud Galenum videre licet. Tertio succedit hectica, etiam marasmodes, pulmonis & thoracis affectibus: vt phthisi vtrique, intemperiei calidæ siccæ, empyemati, & diutinæ phlegmonis hepatis, ventriculi, stomachi, mesarei, ieiuni, coli, renum, vteri, vesicæ, imò & intestinis aliis, per dysenteriam & lienteriam, aut diarrhœam diurnam, inflammatis. In quibus affectibus & totum corpus & præcipuè cor siccatum est: nata inde exiguæ febre, vel statim initio, vel temporis processu, corpus cordis siccauit, & calorem febrilem solutu difficilem impressit. Dicit autem Iacobus Syluius has febres ob id etiam hecticas vocari, etiamsi harum quædam humorum & partium ipsarum putredinem habent adiunctam ob quam is idem non laborat, si quis etiam putridas vocare volet, mauult cum Galeno hecticam appellare, cùm febris hecticæ naturam sequantur. Hecticam quoque tantum, siue siccitatem, quæ in marasmum non transit, in magna pestilentia multis contigisse, Galenus scribit lib. Epid. Quantum verò ad signa de-

Febris hecticæ causæ.

Comment. 1. in libro 1. epidem.

Signa.

gna demonstratiua attinet, siue ea sint communia, propria, inseparabilia, siue vnumquemque gradum, vel differentiam indicantia, cum quædam hecticæ inter initia sint difficilis cognitionis, & facilis curationis: ideo signa diligenter sunt cognoscenda. Nam vbi hecticæ febres radices agunt, lethales & periculosæ sunt, cùm multi moriuntur, quod non fieret, si medici essent diligẽtiores in inquirendis signis. Propterea prius prænoscendum, an hectica immineat necne.

Quomodo hectica imminens cognoscatur.

Imminentem cognoscemus, num præcesserint causæ iam propositæ: nam si præcesserit febris ardens, in corpore calido, sicco, bilioso, raræ constitutionis, in adolescente macilento, in aëre calido, sicco, aut canicula æstuante, in habitu gracili: tales sunt præseruandi ne in hecticam incidant, quando adsunt causæ vehementiores, & corpus aptum, tunc facilè introducitur affectus. Hectica quoque, quæ febres ardentes, vel prorogatas, vel medici inscitia malè curatas sequitur; principium cum ardentibus temporibus confusum habet, & sic vbi adsit, in his humor cordis insitus iam multus absumptus est, humiditas corporis, cordis, temporis longitudine, vbi febres diuturnæ sunt, absumuntur, haud secus quàm lucernarum flamma interdum soleat, non absumpto oleo, funiculum vrere.

Quomodo præsens hectica cognoscitur.

Cæterùm præsentem verò hecticam cognoscemus, num illa quoque sit sola vel cum putrida, idq; ex Galeni doctrina: nam hæc eò diligentius animaduertenda sunt, cùm curatio etiam harum, vt postea patebit exemplis, diuersa sit: si quidem remedia hecticæ simplicis sunt letifera in hectica cum putrida. Hectica enim simplex cum facilè curatur, cui & balneum & aquæ potus conuenit & lac: eadem minimè conueniunt in hectica cum putrida. rursus in simplici tantum refrigerantia, humectantia & alterantia conferunt, pharmaca verò solutiua necem inferunt, quamuis hæc ipsa, modò vires adsint, licet non violenta prodesse quandoque possent.

Simplex hectica quomodo cognoscitur.

Simplicem igitur hecticam

hecticam cognoscemus facilè ex iis signis, quæ partim ex Galeno, partim ex aliis in duabus præcedentibus Obseruationibus retulimus. sed vt eadem magis innotescat, facile in eius cognitionem deueniemus ex sola actione motiua læsa, pigri enim sunt & ad motum desides, & cum difficultate se mouent, eò quòd virtus langueat, febrem non persentiunt, vt ex lib. Gal. De Inæquali intemperie; ex Paulo quoq; & Aëtio & Alexandro Tralliano. Sunt enim partes æqualiter intemperatæ, dicuntq; ægrotantes se à febre immunes esse. Pulsus his quidem est debilis 3. De præsag. ex Pulsibus cap. 3. vsque ad 8. & non est vehemens. quia adest intemperies febrilis in sola substantia & habitu. suntq; parui ob facultatem debilem, non potest arteria dilatari & ob exiccationem durior fit. Estq; magis velox & frequens, nam necessitas euentandi vrget, ideo frequentia opus est, estq; vacuus ob alimenti indigentiam, propter siccitatem quoque durus est. neque hic aderunt signa febris putridæ: & ideo signa quæ sumuntur ab exeunte mutato etiam indaganda: nam hic deiectiones non sunt pingues, atque malè olentes, vt in putrida: quia hic sensim fit colliquatio, non subitò, vt in putridis febribus colliquantibus ardentibus. Præterea hectica discernitur à putrida, iuxta Alexand. Trallianum lib. 12. cap. 4. De Febre hectica. Quod si febris interuallum prorsus nullum habeat, ad hæc neque obscurior, aut vehementior fiat, neque adeò valida. Hecticam esse hanc putato. Nam in putridis & incremẽtum & imminutio accidit: augmentum quidem in statu, imminutio autem in declinationibus. Et licet hectica febris vna sit ex continuis, vt synochus: est tamen hectica propriè dicta, accensa in partibus solidis, & præcipuè ab initio ad finem exigua, obscura, æqualis: nisi quod aliquanto post pastus nonnihil exacerbatur. Pulsusq; hecticæ tãto minor, tardior, rarior, quàm synochi; quanto illius quàm huius calor est minor. In synocho enim

Indicia sumpta ab actione læsa.

Ex pulsu.

Ab exeunte mutato.

Quomodo hectica discernatur à pituita.

Gal. lib. 1. De Diff. feb. cap. 10. 11. 12. 13.

A Synocho.

enim velut flamma quædam multa manui medici occurrit: à qua pulsus maximus, velocissimus, frequentissimus. Ab aliis autem febribus accessiones ἀθλίπτους, seu liberas, & æquales habentibus differt hectica: quòd illæ inæqualitatem quandam omnino habent post alimentum paulo ante exacerbationem datum: Hectica autem post alimẽtum quauis horæ datum, velut accessionem quandam æqualem habet cum calore multo & magno & pulsu velociore. Hæc, qua caloris & pulsus alteratio post nutritum hominem in hectica durat; quamdiu alimentum distributum & appositum cordis squalorem humectat. Postea autem ad statum redit, in quo erat ante alimentum. Hæc autem caloris alteratio in hectica fit (teste Galeno) vt in calce, aliquo humore irrigata. in qua squalidus calor ceu ab humida substantia nutritus augetur, vt in lignis accensis oleo restinctis. Continentes quoque ab hecticis discernuntur, iuxta Trallianum: & si hac ratione similes hecticis videantur, quòd & ipsæ nec augmentum nec imminutionem recipiunt, attamen caloris qualitate & pulsibus ab illis discernuntur: siquidem continentium calor non est siccus & acris, quemadmodum in hecticis, sed etiam in summa cute magis apparet. Ac in continentibus pulsus sanè magni & celeres existunt, in hecticis autem exigui & obscuri. Hoc sanè modo hecticas ab omnibus ex putredine ortas discernere poteris. Hecticæ quoque febres quemadmodum diariæ frequenter etiam ipsæ à præcedente causa nascuntur, vt dictum est, & non semper à febrium ob putredinem ortarum transitu. At scire licet caloris qualitatem in hecticis quidem acrem & siccam esse, in diariis autem mitissimam, atque celeriter tactui occurrit, & quodammodo imprimitur. Iam ex vrinis quoque has licet facile discernere. nam si perfecta concoctio per initia tibi appareat, tunc diariam febrem esse putato: cum autem cibus quidem sumitur, nullæ autem cõcoctio apparet, hecti-

Febris continentis, & hecticæ differentia.

Diariæ & hecticæ differentia.

hecticam suspicari oportet. Quæ etiam ex pulsibus notatur. nam in diariis magni sunt & celeres, in hecticis autem exigui & obscuri cum sint, virium imbecillitatem portendunt. Iam numeris horarum inuicem discernuntur: nam horis decem præteritis, si febris non conquieuerit, hecticam fore potius existimandum est. Hectica itaque tantum sola & simplex nulliq; putridæ implexa, ferè in calida & sicca natura, ab ira, mœrore, metu, curis, vigiliis, victu tenui, labore, æstu incipit (teste Galeno) diariæ similis: sed accessio post viginti quatuor horas non finitur, vt diaria: imò vsque ad secundum diem, ac etiam tertium, sine accessione tertianæ extenditur: siccior & squalidior, sed non vehementior. quia nec augetur nec minuitur: squallidum tamen corpus & calorem exhibet: primo quidem manuum occursu mitem: diutius autem immoranti, acrem, mordacem, squallidum. Atq; tria igitur sunt à quibus iudicia sumuntur, ab actione læsa & ab exeunte mutato, tertio verò à qualitate mutata. Hinc in hecticis cutis sicca cum asperitate apparet, ex caliditate non vehementi sed exigua à principio vsque ad finem, vt de inæquali intemperie cap. 5. Gal. annotauit. Non est vehemens calor, vt synochi; mordax tamen est calor hecticæ vt Gal. 1. De Diff. feb. demonstrauit, cap. 9. non tamen primo contactu innotescit, sed si diu manum detineamus. At signa propria & inseparabilia, vt idem Galenus testatur, ac Alexander quoque Trallianus, quod à cibo caloris incrementum fieri videatur: non est autem incrementum (vt Trallianus dicebat) sed caliditatis in alto cælatæ occultæq; argumẽtum. Quippe in his tale fieri contingit, quale in calce (vt paulo antè diximus). Etenim vt ignis in hac cælatur, ab iniecta aqua deprehenditur: sic etiam in hecticis cibus assumptus calorem in alto delitescentem foras euocat. fit enim mutatio per horam vel duas saltem à cibo assumpto, hoc est euidentissimum

A qualitate mutata.

Signa propria & inseparabilia febris hecticæ.

tissimum signum, ante cibum pusilla, remissa caliditas, post cibum vehementior, copiosior: ita & pulsus post cibum fit velocior, frequentior. Hoc licet in aliis febribus sit, non tamen ita post cibum. Auerrhoes similitudinem Galeni de Calce ridet, quam tamen Donatus ab Alto-mari ad longum defendit par. 1. De Med. feb. cap. 20. de signis hectica. quem ipse perlegere poteris, ad maiorem enucleationem signorum iam dictorum. At in hectica marasmode (qui etiam facilè cognoscitur) & iam marasmo propinqua, oculi sunt multum caui, consumpta, humida eorum substantia: lippitudo in oculis sicca: qualis per solem & puluerem die toto profectis. color viuidus faciei totius, & præcipuè frontis concidit. frons arida & intenta. palpebræ ægrè aperiuntur, sed conniuent, vt dormientibus. Tempora collapsa & caua, consumptis musculis crotaphitis cutis. & ossa in corpore toto sola supersunt: adeo vt ventri intestina & viscera, vti Iacobus Syluius dicebat, deesse videantur. Hypochondria ad thoracem valdè retracta. Cutis tactu siccissima: & quæ digitis appræhensa corei sicci modo rigeat. Pulsus debilis, durus, paruus, frequens. Debilis quidem à valida cordis intemperie: durus autem à siccitate. Sed antequam gradus & tempora hecticarum distinguamus, sequens exemplum prius adferamus.

Signa hecticæ marasmodes.

OBSERVATIO III.

De hectica ex melancholia contracta, quæ primum gradum postea excedens ac secundum, deinde ad tertiũ peruenit: ex qua æger obiit. & de hectica tabida non exquisita.

MAGISTER Cornelius Rhegius Iurisperitus, qui Delphis in insigni Magni Speculi habitabat longo tẽpore, deinde in Haga-comitis, annos natus quin-

tus quinquaginta quinq. vir facetus, & hilaris ac minimè melancholicus. Hic cùm vltra annũ in comitiis tam in Flandria quàm in Brabantia apud Principem Auraicum illustrissimum egisset, melancholiam aliquam concepit, quamuis eam nemini indicauit: interea cùm domum rediisset, nec vllo morbo se affectum diceret, & foras quotidie exiret, paulatim macilentior factus, ita vt collum indies gracile fieret, ac oculi excauerentur, corpusque aridum & squalidum euaderet, tussicula etiã subinde leui accedente. Cumque hic signa primi gradus hecticæ adessent, ita vt carnosa substantia paulatim incenderetur & efferuesceret. quam hecticam etiam primo incipientem, humiditate cordis feruefacta, non percipiens, licet cibo assumpto parum incalesceret, non magni fecit, ita vt neque illo tempore medicos consuluerit. Deinde verò amplius procedente calore, ita vt etiam substantia carnosa iam ferè absumpta esset, ad secundum gradum hecticæ peruenit, ità vt iam increscens hectica eundem affligeret, feruescentia in longum tempus protracta, adeo vt similares particulæ, quæ sunt veluti cordis elementa, sicciores redderentur. Cumque ita hectica incrementum cœpisset, vix adhuc de remediis cogitauit, quamuis tunc medicum ad se vocauit. Et hectica ad vigorem tendente & tertium gradum, atque in deterius laberetur, ad marasmodem febrem peruenit. Vbi enim hectica, vt Galenus dicebat, tum etiam Aëtius lib. 5. cap. 92. iam solidam substantiam similarium partium cordis inuaserit, vt tantam sanandi difficultatem mirari non oporteat. Primo igitur feruor naturam excedens teneram & nouissimè concretam membrorum substantiam, vt adipem & carnem colliquat, discutit & absumit,

inde humiditatem corporis alentem diffusam, inque morem roris per singulas animalis partes aspersam destruit: postea carnosum quoque genus adoritur, fibris, membranosis q. solidorum membrorum partibus insitum, quod abscindentes coqui abiectis fibris ad vsum coquinæ transferunt. Hectica febris proprium finem consequitur, vbi solidam similarum substantiam arefecerit, vnde & tabes vocatur. Cumque iam ferè notæ hecticæ transeuntis in marasmodem febrem apparerent, tunc etiam Bontium professorem Leydanum consuluit. Nam marasmodes febris (teste Alexandro Tralliano) ab hectica profectę signa etiam ex ipsa sola ægri facie omnibus manifestissima existunt. Primum enim color viuus ac sanguineus, quem Græci Chrœas anthos, hoc est floris colorem appellant, non amplius in eis seruatur, sed nigrior quodammodo, exaridus, & ab immodica febrium caliditate squalidus apparet: cutis verò frontis validè distenditur, & palpebræ grauantur, ceu in iis, qui dormituriunt: non autem est somnus, sed potius imbecillitas musculorũ, qui palpebras sursum attrahere solent. vnde etiam pituitas crassas, quas lemas vocant Græci, aridas ob naturaliũ facultatum impotentiam in oculis habent: præcordia intenta sunt, non autem quod ipsa verè sint intenta, sed quia membranæ & netui tensionem quandam ob siccitatem sustinuerunt. Nam tali de causa imaginatio quædam nobis oritur, vt præcordia & inflammari & distenta esse putemus, ac pulsus in eiusmodi duri sunt & exigui simili ex causa, & frequentes propter vsus necessitatem, obscuri ob imbecillitatem: graciles, quia in latum extendi nequeunt. At quid opus est talia signa commemorare, cùm hæc adeò euidenter marasmodem fe-

dem febrem repræsentare nobis possint. Cæterùm cùm parum prędicti medici in curatione proficerent, postremò me quoque vocauit, vt vnà consultationem iniremus pro eius morbo depellendo. Cumque ad eum veniissem, & cùm hæc febris cognitu facillima sit. nam antequam pulsum attigissem, & calorem obseruassem, oculis itaque concauis perspectis veluti in scrobibus quibusdam, & squalorem in tota cuti conspiciens, qualis præcipuè in his esse solet qui in puluere integrum diem sub æstiuo sole perambulauerint, non solùm hecticam esse cognoui, sed quæ in marasmodem conuersa esset, temporibus adeò collapsis, vt loca concaua apparerent. ita enim hic erat macilentus, vt non hominẽ dixisses, sed potius ossa & cutem, adeò quoque arente & squalente cuti, vt si apprehenderetur digitis veluti marsupij corium consequeretur. Ventre etiam denudato nihil planè ibi erat intestinorum vel viscerum, adeò ilia vehementer thoraci adhærerent. Lotium quoque, quod spectabam, aliquo modo rubrum erat. Cumque hæc tabida febris esset exquisita, quæ curationem non admittit, nihil hic nos proficere posse in curatione prædixi: interea tamen vt ea adhiberẽtur in commune consuluimus, quæ humectarent, refrigerarent, reficerent, etiam quæ ad sputum expectorandum facerent, modò calida non forent. & ita decocta quædam tum alia remedia apta descripta sunt, quibus quidem prima vice videbatur parum restaurari, & calor febrilis mitigari, sed paulo pòst deterius habuit. Ad quem cùm adhuc bis aut ter ad summum vocatus essem, atque ad eum redirem, lotium valdè tinctum fuit, & quasi purulentiam cum sputo excreuit. ideo ecligmat. ex syr. viol. diatrag. frigid. aliisque humectanti-

ctantibus & minimè calefacientibus vtendum esse cum medico præsente consului, cùm Bontius non adesset. Sed alter medicus cum syrupis immiscebat oleum anisi. quod mihi tamen minimè placebat, cùm maiorem caliditatem ex eo & febrem auctam esse persentiscerem. Et ita videns vires collabascere, amicis mortem prædixi, & cùm ægro periculum esse tantum humaniter pronuntiassem, & ideo diligentiori victus ratione & magis restaurante opus esse, adeo ægrè tulit, vt amplius accessum meum non pateretur. Vnde aliquando reuocauit Bontium medicum suum familiarem, qui illum quoque potius amicitiæ causa, quàm vt illum curaret, accedebat. At æger post nostrum discessum vix octo diebus vitam miserè trahens, tandem tabe consumptus obiit. Erat hæc febris hectica marasmodes exquisita tertia humiditate absumpta, quæ nullam curationem suscipit, atque hæc febris non habet declinationem. Cæterùm Barodotus Zelandus, qui in comitiis apud Hagam-comitis degebat, ad hecticam tabidam non exquisitam cùm deuenisset, cũ tussicula graui quasi sputum ferè purulentum expectorans, extremè laborauit: quem alius medicus longo tempore curabat, adhuc quoque accitus fui, qui cùm etiam ecligmata sumeret cum oleo anisi, vt potius vteretur iis consului, absque oleo prædicto, & cœpit postea melius habere. cumque vna cum medico præsente alia apta remedia præscripsissemus, his probè curatus fuit. quemadmodum & hospes ille qui in hospitio Brielensi ad extremum hectica etiam tabida decumbens sanus euasit. Vterq. tamen hectica quidẽ tabida, sed non exquisita afficiebatur, quæ curationem admittit, & propterea non habet eundem statum cum tabida exquisita. Sed

ſtatus tabidæ non exquiſitæ eſt, dum ad vltimum terminum (ad quem poteſt deduci à cauſa febrili) ſecunda humiditas perducatur, cui ſtatui poteſt accedere declinatio, vt referebat Capo de Vacca profeſſor Patauinus, cuius ſcripta De Febribus, licet eundem non audierim, aliquando nobis mutuò dedit Adrianus Teylingius cognatus noſter medicus nunc Harlemenſis, qui eiuſdem medici auditor fuit dum Auicennam legeret De Febribus. Vbi enim ſtatim aptis remediis huic occurratur, ope auxiliorum humiditas rorida reparari poteſt.

SCHOLIA.

QVAMVIS *vno modo ſecundum Galenum hectica febris dici poteſt, eò quòd ipſum corporis habitum comprehendat, atq; ita vnum genus febrium hecticarum eſſe poteſt: interea pro diuerſo ipſius diſpoſitionis modo, licebit quoque hecticam cum Galeno in tria tempora, ſeu tres gradus diſtinguere, vt iam Obſeruatione præcedente oſtendimus. Fernelius quoque tres gradus hecticæ facit, cum etiam partis ſimilaris triplex ſit ſubſtantia, ſolida, humida, ſpirituoſa. Et ſecundum alios dantur tres gradus ſeu tria tempora, prout tres ſunt humiditates quæ abſumuntur. Sed hic rurſus primò volunt cum Galeno abſumi roridam humiditatem: ſecundò verò carneam & adipoſam. Aëtius verò (vt iam antea diximus) prius carneam & adipoſam abſumi vult, ſecundò verò roridam: ita vt nonnulli Aëtij locum mendoſum eſſe volunt, & ob hoc corrigendum. Vbi enim hectica inuadit, primò abſumitur humiditas rorida & ita deficit pabulum humiditatis radicalis. In augmento abſumitur humiditas carnoſa. Si ad ſtatum progreditur, tunc eſt hectica tabida, non ſimpliciter, ſed maraſmodes: quia depopulatur humiditas radicalis: intelligunt tunc autores*

Tria tempora ſeu tres gradus hecticæ.

febrem maraſmodem ſeu maraſmum exurentem calidum & ſiccum, ad differentiam frigidi & maraſmi ſyncopoſi.

Maraſmus deurens.

Maraſmus deurens eſt, qui conſiſtit in intemperie calida & ſicca, quando cum extrema ſiccitate coniuncta eſt caliditas.

Maraſmus frigidus.

Maraſmus frigidus dicitur, cùm habet ſiccitatẽ extremam, hoc eſt conſumptionẽ radicalis humiditatis, & tunc dicitur hectica ſenectutis.

Maraſmus ſyncopoſus.

Maraſmus verò ſyncopoſus, iuxta eundẽ Gal. eſt mixtus affectus ex caliditate & frigiditate: ex caliditate ratione febris; ex frigiditate ratione ſyncopis. vide librũ Gal. De maraſmo cap. 5. Hectica igitur ſalubris habet quatuor tempora. Principiũ vbi conſumitur prima humiditas: augmentum vbi ſecunda: ſtatus verò quando exiccatio ſecundæ humiditatis peruenit ad ſummum. ſed minimè tunc ſtatus eſt quando tertia huminitas exiccatur. Declinatio potius erit dum ſcilicet ſecunda humiditas non amplius depopulatur, imò contrà cum iã refici incipiat: & ſic principium refectionis nihil aliud eſt quàm declinatio ſuccedens ſtatui.

Tempora hecticæ ſalubris & inſalubris.

Sed in hectica inſalubri vbi humiditas tertia omnino abſumitur, quæ exquiſitè tabida exiſtit, nullam admittens curationem, declinationem non habet. Et ita principium hecticæ tabidæ eſt, dum abſumpta eſt prima humiditas, & incipit abſumi ſecunda humiditas: augmentum, dum magis ac magis augetur abſumptio. Status ſed exquiſitæ, quando abſumitur tertia humiditas, ſed tunc caret declinatione, vt dictum eſt. Sed tabida non exquiſita, cùm admittat curationem, eundem ſtatum cum exquiſita non habet; ſed eius ſtatus eſt ſecunda humiditate ad ſummum abſumpta, cui ſtatui poteſt accedere declinatio.

De medendis febribus par. 1. cap. 21.

Ex lotio quidã in hecticis iudicium non ſumunt, vt multis rationibus oſtẽdit Altomarus, quamuis idem vrinas ſemper in febribus hecticis inſpiciendas eſſe velit, non pro earum dignotione, ſed quoniam ſi bonæ appareant, multũ valent ad ſalutẽ: contrà, ſi prauæ, amplificant ſimul ægri periculũ, vt in cæteris morbis omnibus, etiam qui af-

qui affectus venosi generis non sunt, interea multis rationibus affirmare idem videtur vrinas pingues in hecticis non apparere, sed potius in febribus colliquantibus. Alij verò lotium inspiciendum esse volant, etiam authoritate Alexandri Tralliani, sic dicentis: Iam ex vrinis quoq; hanc licet facile discernere: nam si perfecta concoctio per initia tibi appareat, tunc diariam febrem esse putato: cùm autem cibus quidem sumitur, nulla autem concoctio apparet (scilicet in vrinis) hecticā suspicari oportet. Sed & alij, qui etiam insistunt vestigiis Auicennæ, dicunt pinguedinem prius in lotio apparere, cùm humiditas adiposa consumatur: & ita Auicenna in ea hectica vnctuosam vrinam dixit apparere. Et quamuis Altomarus dicat vrinam nihil certi posse præmunciare in hectica febre; tamen vt multis verbis Auiatus declarat, licet vrina in principio hecticæ nihil certi pronuntiat, interea successu temporis vrina maximum signum esse potest, cum in ea plerumq; sublimamenta aranearum latas telas referunt & pinguedines ac liquamenta conspiciantur, qualis etiam in secunda specie, magis autem & in tertia apparere solent, quemadmodum apparuit in ægroto subsequente, de quo Obseruatione succedēte dicemus. De vrina quoque oleaginea dixit Hippo. lib. 2. Prædictionum textu 35. Si pinguedo desuper natans araneārum speciem referat, damnandum est: indicat enim consumptionem, quanquam à renibus & vesica id plerumque decidat. Suadet idem Hippocrates sequenti textu 37. Nam & bona vigente valetudine, quandoque in vrina pinguedines hæ apparent, quas medici indocti detestantur, & in malam reiiciunt partem, quum tamen caloris naturalis victoriam ostendunt, vt huius rei testis est Galenus 4. De Sanitate tuenda, dicens: At vbi sanguis concoctus est, hac in vrina apparent, atque etiam nubeculæ quædam desuper supersunt, veluti quod in summo lacte colligitur, & quod in

De vrinæ pinguedine in hectica.

Centuria 1. schol. 2.

ſummo refrigerati iuſculi concreuit. In iis igitur vult Galenus, quod cum adeps & pinguedo ex ſanguine benè cocto, elaborato fiant, conſequens ſit, eius aliqua portio ſuper vrinam innatet, referens quale pinguioribus iuſculis refrigeſcentibus ſupernatat. Vnde idem Gal. Commentar. 3. lib. 3. De Morbis vulgaribus enarratione 27. tradit ſe perſæpe vrinam vidiſſe colore & ſubſtantia oleo ſimilem, citra tamen vllum ægri detrimentum, imò verò interim planè contrario, cum ipſius morbi concoctione. Aduertant ergo medicam artem exercentes, ne cum vrinam oleoſam viderint, ſemper malum præſagiant. Sed antequam ad ſigna prognoſtica hecticæ deueniamus, rurſus exemplum prius interponamus: cùm nunc ſatis ſigna temporum & graduum hecticarum enucleauimus.

OBSERVATIO IIII.

De febre hectica lethali ex ardente febre prius orta & malè curata.

IVVENIS triginta duorum annorum, macilentus atque bilioſus, in æſtate adhuc canicula æſtuante, febre ardente continua correptus eſt, cumq. in principio apta remedia non adhiberet, ac empiricorum opera tantum vteretur, poſtea in hecticam incidit, ac variis vtens remediis cùm etiam tuſſi afficeretur, calida ecligmata empirici præſcripſerunt, vnde febris ſemper aucta, cum illi putarent pectus frigidis humoribus obſtructum eſſe, neque victus rationem obſeruantes, tandem ad hecticam tabidam & pthiſim quoque peruenit. Hic cùm in platea anteriori, Delphis decumberet, & iam hyeme inſtante prius ad eum intraſſem, ex ſignis ſuperius ſcriptis de hectica tabida exquiſita, facilè animaduerti eundem ad tertium gradum hecticæ peruenisſe, ideo præhabito progno-

prognostico, morbum quidem diuturnum fore, sed tandem lethalem prædiximus, & ita amicis tamen postulantibus, cum satis diues esset, vt remediis iis tantum vteremur, quæ vitam ad tempus conseruarent, regimen infra scriptum obseruandum esse præcepimus. In primis aërem ad humidum & frigidum nonnihil inclinantem, verùm extremè frigidum non admisimus. nam sanguine depauperato & spiritu, facile hic calorem naturalem extinxisset atq. mortem iuxta Gal. 6. Meth. cap. 1. induxisset, ideo ad humidum magis quàm frigidum inclinauimus, desiccata enim longo tempore (teste quoque Guainerio capite proprio) melius per humidum quàm per frigidum corriguntur. Somnum tamen longiorem quàm in sanitate concessi, & quod in die non dormiret, & etiam à cœna nisi duabus horis transactis aut tribus, vt calefactio inducta à cibo magis esset extincta vel saltem diminuta: interea si nocte malè dormisset, etiam in die somnum permittebam, tribus ad minus horis à prandio elapsis. Præterea imperaui, vt in culcitra dormiret: ita & Auicenna suadebat, vt in æstate in lecto ex corio vento pleno hectici dormirent: in hyeme verò supra culcitram. interea quoque inhibui ne in dorso iaceret, vtque linteamina pura ac mollia essent, sæpiusque mutata. quidam vt magis odorifera iubent ea reseruari in scrinio, in quo poma mollia & bene olẽtia sunt posita. A somno verò manè expergefactus in lecto vt maneret imperaui, & vt adhuc quiesceret, demũ leuibus frictionibus vteretur, deinde surgeret, & vt ab omni exercitio abstineret, & si musica instrumenta libenter audiret, & tum cantilenas delectabiliores admittebam, & quod à profundis cogitationibus abstineret, ab omni repletione, cibum

potius in plures partes diuidendo, quàm vnica vice ingurgitando, & vt etiam quotidie aluum mollem haberet. Panem optimi frumenti adhibendum esse iussi in sana messe collecti sine sale & furfure confectum, à crusta inferiori & superiori mundatum, etiam subinde elotum, atque panata concessi, ita tamen vt recens panis esset, neq. diem quartum excederet. Ex carnibus eligebam gallos nondum coëuntes & eorum testiculos, capones quoque mediæ pinguedinis in aëre liberè pastos hordeo optimo. Guainerius accipit ranulas virides in siccis locis supra arbores degentes, quarum ventres lactei existunt, capitibus abscissis & visceribus eiectis, & in aqua tam diu decoquit, donec caro earũ ab ossibus separetur: deinde cum farina hordei vel frumenti, & cum iure & carnibus istis pastum conficit, & dat gallinis & pullis ad manducandũ: quibus gallinis postea vtitur. & simili modo anguillas capit, & earum iure tale condimentum quoque parat, ac pullos saginat. Hoc enim modo nutriri in hoc casu egregiè conferre scribit. Vulgares verò albas gallinas in ventriculo difficulter digeri putant, quas Gilbertus ea ratione auersatur, cùm ratio oppositum suadeat, quod cæteris partibus albi frigidiores sint. hinc Marsilius eas aliis in hoc casu præfert. Ex auibus autem admittebam alaudas, perdices, phasianos: & ex quadrupedibus, carnes vitulinas lactantes, hœdinas. quas tamen hic rarius habemus, easque potius elixatas quàm assas: quamuis in veru leuiter assatæ melius secundum quosdam conueniunt quàm in sartagine frixæ, modò alterentur cum lactuca, scariola, omphacio: vel ventres auicularum impleantur pomis odoriferis. Maximè verò commendabam oua mollia, & ex herbis spinacheam, cycho-

cychoriam, boraginem, bugloſſam, portulacam, lactucam, tenellam: & inter fercula cremorem hordei, vel hordei farinam cum lacte, amygd. dul. & iure carnium, micam panis elotam, cum lacte caprino hordeatum, auenatum, eaque alterata cum ſucco granatorum, ouorum vitella agitata cum carnium iure, leuiterque cocta. Iura quoque reſtaurantia præſcripſimus: quale hoc à Guainerio commendatur, quo vſus dicitur in epiſcopo ad vitam prolongandam. ℞ capones iuuenes ſeu gallos, aut gallinaceos, phaſianos, ſeu perdices, ſine aqua deplumatos, euiſceratos, minutimque contuſos vel potius inciſos (idem de carne vitulina, hœdina, fieri poteſt) in vas vitreum omnia ponito aliquot ducatis adiectis, aquæ viol. roſ. bugloſſ. ana ʒ ij. vini odoriferi ʒ vi. pomorum redolentium numero ij. vel iij aut plura quibus addas puluerem infra ſcriptum. ℞ ſantal. citrinor. ʒ j. ſpodij, margar. ana ʒ ij. fragmentorum hyacinthi, ſmaragdi, ſaphyri, rubini, & ſimilium lapidum pretioſorum ana ϑ j. croci ϑ ß. ſem. frig. berberis ana ʒ ij. caphuræ gr. iij. (ego tamen mallem caphuram relinquere ob ſaporem & exiccationem) hac diſtillentur in balneo maris, & fiat ius reſtaurans. Nos ſolo contuſo ſubinde vtebamur, vitellis ouorum adiectis. Serapio carnem hœdinam minutim inciſam cum ſale exiguo in ollam nouam reponebat, & tam diu ad ignem decoquebat, donec aqua egrederetur, huius ʒ iij. ſumebat, aquæ pomorum redolentium ʒ i. ß. vini optimi ʒ ß. vnica vice id tribuebat. illud de omnibus carnibus confici poteſt. Interea condimenta ſeu ſapores conficiantur ex amygdalis tuſis, agreſta, ſucco granatorum, arantiorum, berberis, pomorum redolentium, ex acetoſa, capreolis vitis, zaccharo adiecto pane eloto.

eloto. quibus adiici poterunt trageæ seu pulueres hoc modo. ℞ cinnamomi ℥ ß. caryophyllor. zinzib. nucis muscatæ ana ʒ ß. zacch. albiss. ℥ ij. ß. alij addũt croci exiguum. pisces fluuiatiles concedebam lucios, carpiones, parcas, cancros prius in lixiuio bullitos testa deposita, deinde in aqua hordei ad perfectam coctionem decoctos, vt gratioris saporis esse possunt. Pruna in prima mensa dabam, in secunda pira cocta cum zaccharo, amygdalas dulces cortice denudatas in aqua zaccharata maceratas, pineas quoq. aqua rosacea lotas, & mantili prius confricatas. etiam vinum admisi album, subinde rubrum & clarum, boni odoris ac saporis cum aqua cocta lymphatum. Quod ad medicamenta attinet, cùm in hyeme essemus, à balneo abstinui, & cùm instante vere semper peius haberet, humectantibus & moderatè refrigerantibus, & resumptiuis ac alterantibus nihil iuuantibus, tandem ad marasmum peruenit, & ad extremam maciem, vt præter ossa à membranis & cute tantum obducta, nihil aliud quàm sceleton esse appareret. Verùm cùm æger hic tandem in lienteriam etiam incideret, mortem prædiximus, pessimis signis præcedentibus. Nam teste Auicenna, quemadmodũ etiam citatur à Guainerio cap. proprio, si calor in hac febre augeatur, regimine mutato ad frigidum & humidum, & simul tempora collabantur, & oculi concauentur, cutisque exasperetur quasi puluere conspersa, vnguesq. incuruentur, & capilli cadant, pellisque digitis attracta ad locum non redeat, talem nunquam liberari videbis, vbi cum his signis etiã venæ albæ appareant, ac vrina proiecta supra lapidem, sonum concitet velut oleum, atque infirmus diarrhœa corripiatur cum vnctuosa egestione sine alleuiatione perseuerans. Hæc, inquit idem

idem, paucos post dies ægrum moriturum prænunciant, & si cum iisdem signis lienteria superueniat, infra quartam diem venturam mortem pronunciandum. & ita huic mors subsequuta est, prædictione præhabita, quēadmodum & rustico ab Hoochwouda pago, Alcmarię in vicinia nostra decumbenti euenit, ad quem in fine accitus lienteria superueniente, etiam tabida febre extinctus est, cùm in principio curationem neglexerat.

SCHOLIA.

Signa prognostica febrium hecticarum.

DILIGENTISSIME *quidem in hac febre hectica signa prognostica sunt perscrutanda, eò quòd hectica quæ statim ab initio inuadunt, & nondum tabidæ sunt, non admodum difficile curentur, modò medici periti sint, & ægri non delinquant, & tempestiuè medicum vocauerint. Verùm illæ quæ ad tabem peruenerunt, vbi iam exquisitæ tabidæ fuerint, non modò eas curare difficile est, vbi iamdudum quoque inceperint, sed impossibile. etenim omnium hecticarum febrium dispositio difficilis est, vbi iam principij tempus præterierit, Galeno auctore lib. 1. De Diff. feb. cap. 8. & 9. Quæ verò ad vtramque partem declinat, & media quasi existat inter eam quæ in principio facile curetur, & inter tabidam quæ penitus curationē non admittit, eius quidem ampla latitudo est, & multæ sunt in ea, vti diximus, magis & minus diuersitates, pro eadem ratione magis vel minus difficulter curationi resistit: quæ autem inter vtramque quasi æqualis, medio quodammodo modo se habet ad curationem. quæ enim tabidæ proximior est, etiam periculo vicinior: quæ alteri primæ magis adhæret, non paruam spem salutis adferre potest, eodem Galeno teste lib. 1. De Diff. feb. cap. 9. Interim quæuis hectica nullum vel minimum errorem in curatione admittit, ideo medicum sollicitum*

citum & prouidum requirit, ne mala succedant. Et ita hectica primi gradus, vt est cognitu difficilis, ita & facillimæ curationis. At marasmodes & perfectè tabida, in qua primaria humiditas, quæ solida nutrire potest, prorsus sit absumpta & deperdita, nullam recipit curationem. Hectica harum media, etsi difficile curatur, curatur tamen. Etenim fieri potest vt tenuitas carnium, maciesq3, & veluti earum colliquatio resarciatur, optimo adhibito regimine. Hectici autem febribus cùm calor æqualis sit, hinc qui eiusmodi febribus capiuntur, malè de calore iudicant. Hectica à decimo octauo anno vsque in trigesimum quintum plærisque supereuenire solet: eo enim tempore calor magis viget: facile enim in marcorem deueniunt, & moriuntur. Qui autem ante hanc ætatem vel paulo pòst hectica corripiuntur, facilius euadunt, ac nonnunquam curantur, vel longo tempore palleatione vitam protrahunt, præcipuè verò mulieres; tum sanguinei pituitosiq3 per naturam. Hectica in corpore biliosо tum raræ texturæ facilius accenditur, ac facilius curatur: vti euenit fratri meo charissimo Theodoro Foresto, de quo postea latius. è contrà in homine pituitoso siue qui talis existat per naturã vel sexum vel ætatem. in corpore autem sanguineo vel melancholico, medio modo se habet. Febris hectica sicuti & phthisis, vt plurimũ interficit in autumno: tempus enim hoc siccum inordinatumq3 est, cùm æstas calida præcesserit. Hectica quoq3 æstiua secũdæ speciei deterior hyemali, præcipuè verò ob causam curatiuam, eò quòd difficilius curetur, & facilius in tertiam speciem ob aëris constitutionem transmutetur. Cæterùm quantũ ad causam introductiuam, hyemalis deterior & periculosior: quia à fortiori causa tum vehementiori originem habet. Vbicumq3 autem febris corpus extenuat, ac liquefacit, si non moritur æger, plerumq3 in phthisim aut hectică incidit. omnis enim febris cum prolongatur, sequitur eã. Si hectica cum phthisi coniungatur, vi

Quæ corpora & qua ætate & quo tempore, magis minúsue hectici febribus subiecta sint.

sæpe

sæpe contingere solet, vel cum alia quauis ægritudine, difficilioris curationis existit, & magna ex parte lethalis, præterquam cum hyposarcha. Cum putrida febre difficilis quoq; curationis habetur, & plerumque lethifera; cùm hectica restaurantibus curetur, putrida verò inanitione. Quicquid sit, semper medici tam in curando quàm in prædicendo in omni hectica solliciti esse debent, cum hectici quidam moriendo loquantur, & loquendo extinguantur, ideo & tempora diligenter obseruanda, vbi enim vngues curuantur, hectica ad vigorem summum peruenit: & si capilli defluant, iam mors expectatur, magis verò fluxu ventris superueniente. quemadmodum contigit honestissimæ matronæ, vxori Arnoldi Cornelij Mylij Consulis Dordraceni, ad quam mense Maio anno 1564. cum accitus essem, quæ per tres menses variis symptomatis conflicta fuisset, prius ex hepatis obstructione eiusq; caliditate, mox febre, obstructione lienis, catharro continuo ad ventriculũ & pulmonem dilabente, vnde prius asthma, deinde phthisis ac hectica subsequuta sunt, vomitus quoque subinde bilious, postremo totius corporis colliquatio & fluxus. quam cùm Nicolaus medicus Dordracenus vir in arte sua peritus, vnà cum Lamberto Clyuensi medico, longo tempore frustra curassent, in fine huius mali & ipse vocatus, cumq; medicamenta leuiter constringentia, quæ pectori non nocerẽt, proponerẽtur, vti est conserua rosacea: Clyuensis medicus Paracelsicus cùm croco martis sanitatem promittebat, & subitaneam constrictionem pollicebatur: cuius sententiæ refragabamur, imò quod retento sputo in phthisi ægra succumberet iuxta aphor. 16. lib. 7. A puris sputo, phthisis & fluxus: cùm verò sputum retinetur, moriuntur. fluxum autem (teste Galeno in Commento eiusdem) aut de capillorum defluuio, aut de humida dixit deiectione. Ambæ enim consueuerunt euenire, cum tabidi ad extremum mali perducuntur, alterum ex siccitate, altera

Historia de croco martis malè adhibito.

altera ex potentiæ debilitate. Quod verò in fine scribitur, Si verò sputum retineatur, moriuntur: modum mortis ostendit, illorum qui ex pthoe moriuntur. Eo vsque enim extenuati viuunt, donec per ea quæ expuunt, possunt pulmonem expurgare. Cùm verò intus manent, obseruantur quidem viæ spiritus, patientes verò strangulantur. At Paracelsicus istis rationibus non auscultans (cùm id proprium Paracelsicorum est, tantum fidere suis experimentis omni ratione neglecta) post discessum nostrum crocum martis exhibuit, ita vt post quantum diem nostri discessus proba hæc matrona, vti prædixeramus, è vita discesserit. Ita quoque puer nouem annorum filius Petri Reynerij Delfensis zythepsæ, cùm dysenteria laboraret anno 1583. & crocum martis ex empirici consilio accepisset, puer postea nigra per superiora euomuit, & nihil continere potuit. ad quem medicus Stenbergius ac nos acciti, mortem prædiximus, puero per alaum liuida, nigra, pauca reddente. Metallica eiusmodi ventriculum lancinant, vti euenit huic puero qui miserabili dolore ex hac vita discessit. ideo quoque tyrones medici admonendi ne tam facile eiusmodi metallicis vtantur. Cùm autem huic matronæ præter fluxum, capilli defluerent, satis mortem præsagiebant: capillis enim defluentibus, fluxu ventris superueniente ac perdurante, intra tres dies sæpe moriuntur: quemadmodum etiam contigit Andreæ Guilhelmo Sonneueldio cognato meo, de quo postea latius. Sitaque in hectica appetitus desinat, si crura instentur, aluus fluida fuerit, & capilli cadant, cutis arida fiat, extensa minimèque rugosa, hæc inquam mortem propinquam esse decernunt. Iam & difficultas nascitur, quod vel nimis confirmata est, vel coniuncta est hecticæ febris putrida, (vt diximus) vel tumor aliquis præter naturam, vt inflammatio, vel erysipelas. At diaphragmati inflammatio succedens hectica, prius interimere solet, quàm sit perfecta. Si igitur in hectica fe-

Alia historia de eodẽ croco martis perperã adhibito.

ctica febre calor inæqualis est, dolórque sentitur, febrisque ab ægro percipitur, iudicabis ait, Chrysipelas, aut phlegmonem, aut febrem deinde putridam complicari. Desperatio est cum hæc hectica coniuncta sunt, præsertim si phlegmone, aut aliquid tale in parte principe incenditur, túmque difficillima curatio est, indicationibus inter se pugnantibus. Tenuia autem corpora & pauci sanguinis hectica ferè corripit & celeriter consumit, febres ardentes, diarias & biliosas (vt diximus) sequitur: huiúsque origo aliquando primum nascitur à thoracis partibus. Sed ferè priusquam vigeat inde nata hectica mors est: Vita longior, & curatio facilior, si à ventriculo, hepate, renibus, vtero, ieiuno, & colo intestinis. Sed ea ipsa hectica perdurante interficit, quemadmodum & illa quæ à maligna dysenteria corpus tandem colliquante contingit: vti euenit Domino de Bernicort, qui cùm accepisset paulo ampliore dosi metziacanam radicem cum vino, incidit in alui fluxum enormem: quem parui faciens, diarrhœa corripi cœpit, & ab ea in dysenteriam malignam prolapsus & in fluxum hæmorrhoidalem, hecticam incurrit, cum quibus symptomatis aliquot septimanis conflictatus, Roterodami decumbens, tandem Delphos accesit. Verùm hectica iam confirmata & consumptus, cùm ad eum acciti essemus, præhabita prædictione, remediis nullo modo iuuantibus, idem quoque obiit. quæuis hectica grauis est, & marasmodes succedens, pulmonis & thoracis affectibus, vt phthisi vtrique, intemperiei calidæ & siccæ, empyemati, & diutinæ phlegmonis hepatis, ventriculi, stomachi, mesarei, ieiuni, coli, renū, vteri, vesicæ, imò & intestinis aliis per dysenteriam, aut lienteriam, aut diarrhœam diutinam inflammatis. At incipientem hecticam (vt antea demonstrauimus) non facile cognoscimus, sed cognitam facilius curauimus. reliqua autem duo genera licet facile cognoscantur non tamen facile curātur. atq; hæc de prognosticis signis dixisse sufficit.

OBSERVATIO V.

De hectica post diuturnos morbos orta.

THEODORVS Foreſtus frater meus chariſſimus, iuuenis raræ texturæ & bilioſus, poſt hypochondriacam melancholiam & longos perpeſſos morbos, etiam in tertianam incidit, ac in catharrum. Poſtea verò anno 1554. ad tabem peruenit, ita vt purulenta quaſi expuere videbatur aliquo tempore, mox hectica ſubſequuta, ita vt ad ſecundum ferè gradum hecticæ peruenerit. Cumque ſuſpicio adeſſet de pulmone ferè exulcerato ex catharro delabente in pulmonem, ſputo ſatis purulento apparente. Verùm quod dictu mirum videri poſſet, cùm hic emulſione hordei amygd. dul. &ſem. 4. frigid. frequenter vſus eſſet, & aſſidua ſucci hordei potatione (qua Benedictus præceptor meus cap. 14. in ſua Empirica de ſputo ſaniei vtebatur) cùm pulla euiſcerata ibidem deſcripta, deinde puluere halij contra tabem, qui à Valeſco deſcribitur, cap. proprio quo idem monachum phthiſicum deploratum curauit: quibus quoq. vtens frater meus, & pro potu ceruiſia in qua farfara ſeu vngula caballina incocta erat, ſputum purulentum paulatim ceſſauit, & febris hectica deinde, quæ abſque putrida febre videbatur aliis humectantibus & refrigerãtibus remediis tam intra ſumptis quàm extra admotis, etiam reſumptiuis, tum lactis vſu, tandem intra duos menſes ex gracili & hectico habitu craſſior & rubicundior factus eſt, & magna noſtra induſtria præter ſpem multorum conualuit.

SCHOLIA.

HECTICAM *poſſe fieri poſt alios morbos diuturnos iam prius oſtenſum eſt. At hectica cum ſit intemperies*

æqualis

æqualis, duas tantùm habet indicationes curandi, nempe refrigerandi & humectandi, & ideo nullum locum hic habet euacuatio, ratione febris cùm est intemperies sine materia, calida & sicca. Quod si aliquando oporteat lenire aluum, id non est ratione febris, sed alterius dispositionis in corpore existentis. Ideo diligenter considerandum, num medicationes curandi hic expleri possent, nam primi gradus, vt habetur 10. Meth. med. cap. 10. & 1. De Diff. feb. cap. 10. facile curatur cùm exigua sit exiccatio. At omnino tabida ratione siccitatis tertia humiditate absumpta non curatur, nec marasmus senectutis, cùm ad intemperiem frigidam & siccam peruenerit. Gloriatur Galenus 10. Meth. iuuenem ex tabida hectica curasse, quæ per menses & annos perseuerauerat. interea media licet dubia, non est tamẽ impossibilis curationis: at illa quæ versus statum magis est progressa, magis quoque periculosa. Verùm in omni hectica curanda diligenter perscrutandum, num hectica simplex sit, vel putridam coniunctam habeat, an eryspelas, an inflammatio, an syncope, & à qua causa prius excitata fuerit, & quibus affectibus iuncta: Nam si symptoma sit, non poterit curari præsente morbo: vt si fiat ob vlcus pulmonis, non potest curari nisi vlcere prius curato. & si iam sit facta & videatur à causa particulari orta, aliter quoque curatur, si cum putrida commixta fuerit. Cùm autem hic viderem quasi sputum purulentum, dubitabam primo de vlcere pulmonis perfecto ob catharrum salsum & acutum, & ideo statim adhibui remedia ad catharrum, tussim & sputum: cum autem amplius tale sputum non excrearet, certior fui pulmonem non omnino fuisse vlceratum, eóque magis hectica adhuc perseuerante sine putrida febre, quæ solet in vlcere pulmonis plerumq; etiam putridam admixtam habere. nulla enim signa putredinis neque in lotio, neque in excrementis apparebant: ideo tussi sedata, & non amplius sputũ expectorante,

Vtrum indicationes curãdi expleri possent.

hectica tamen permanente, cum à cibo assumpto magis incalesceret, totam curationem ad hecticam conuertimus. Curatur autem hectica simplex alimentis potissimum, cibisq; medicamentosis & aliis refrigerantibus, & humectantibus intrò assumptis, & extra admotis, vt prius dictum est. Alimenta hecticis conuenientia duorum generum sunt: quædam ægrè concoquuntur, sed diutissimè nutriunt: vt partes neruosæ animalium, alica, & quæ triticea farina parantur, & gelatiua. Alia concoctu difficilia sed diu multum nutrientia, sed quia succum melancholicum gignunt, reiiciuntur: vt aues aquaticæ. Quædam verò citò nutriunt, sed citò etiam dissipantur, vt vinum, succus carnium, testiculi gallorum, oua sorbilia. Sed controuersia est inter medicos, vtra sunt eligenda. Nonnulli cibos concoctu faciles anteponunt, propterea quod partes destinatæ coctioni imbecilliores redditæ sunt, & idcirco alimenta concoctu difficilia conficere nequeunt. Alij huiusmodi alimenta parum prodesse contendunt, quod sint tenuium partium, & proinde facile alterantur. Sed his incommodis facile occurri potest, adhibita hac distinctione. vt in principio feb. solidiora, viscida, & humida, quãdo virtus coquendi adhuc valet: vbi partes naturales sunt infirmæ, concoctu facilia sumenda. Elixa magis laudantur, de his vide Rondeletium. Laudat idem carnem vituli, hœdi, agni, in pascuis siccioribus nutritæ, porcelli impinguati & adhuc lactentis, phasiani, perdicis, pulli gallinacei, pipionis, capi, lepusculi, auiculæ elixæ. si assæ minus coquantur, & succis conuenientibus alterentur. Ex frumentaceis ptisana ex hordeo, auena, tritico cum iure carnis & lacte. amygd. dul. parata: ex oleribus lactuca, scariola, violæ, borag. bug. spinachia, beta, caules, & talia nitrosa ad aluum subducendum cum iure pingui exhibenda. Ex fructibus poma dulcia gracioſa, acida, magis refrigerantia, pruna dulcia, cerasa dulcia, vuæ passulæ.

Alimenta hecticis conuenientia.

sulæ. Inter fluuiales pisces cancri, & in stagnis maritimis scilloc ustæ & astari damnantur. Ranarum coxæ & elixæ ac ius earum cum gallina & capone coctæ. Alij laudant decoctum cochlearum, quamuis damnatur à Rondeletio. Inter cibos medicinales, primum locum obtinet aqua cancrorum, secundum ex limatiis, tertium ex testudine nemorali: quartum locum habent diuersa genera lactis. De cancris, licet nihil dixit Galenus, Dioscorides tamen refert decoctum cancrorum tabidis conferre. idem refert Auic. De Curat. Hecticæ. & sunt apud medicos præstantiores in vsu, cum sint frigidi & humidi, & ideo hecticis conueniunt & his qui phthisim habent, ob proprietatem quandam, quam etiam habent cum pulmone, vt Matthæus Curtius dicebat, medicus Italus suo tempore doctissimus. licet horum caro ob difficilem coctionem minus conuenire videatur & crassioris sit nutrimenti, vt etiam limaciæ: vt constat 3. De Alimentis. & ideo Curtius magis laudabat decoctū quàm carnes, hoc vel simili modo. ℞ hordei mundati ℥ j. cancrorum excortic. ℥ iij. bulliant in l. iij. aquæ, dum dissiliat hordeum. oportet autem ante excorticatos cancros prius diligenter ablui, vt omnem fœditatem deponant, deinde coqui. potionem huiusmodi cancrorum mundatorum singula ℥ j. singulis l. aquæ incoque. condimenta ex cancris ex limaciis ex testudine nemorali, petenda ex Rondeletio, ex Guainerio, ex Benedicto Fauentino præceptore meo. Vide tartam ex testudine apud Rondeletium & Guainerium De Distillatis ranæ, capi, cancri, & de sanguine humano sublimato, cuius tamen confectio ob inhumanitatem mihi nullo modo placet, cum & alia restaurantia commodiora multo habeamus. Quod verò attinet ad diuersa genera lactis, cum lac quartum existebat alimentum medicinale, intra cætera alimenta hecticis conuenientissimum, cum sit alimentum humidum & frigidum, vt constat 4. De Simpl. medic. facult. Lactis genera.

cult. cap. 6. & 5. aphor. 6. licet Gal. in Comment dicat tepidam habere caliditatem, hoc est secundum Curtium mediocriter frigidam, & si etiam 3. De Temper. cap. vltimo dicat esse calidum, intelligit, quando est conuersum in sanguinem. éstque boni nutrimenti: ideo & humanum vt 7. Meth. cap. 6. ob similitudinem præfertur. interea si eo abhorreat æger aliorum animalium lacte vtatur, iuxta diuersam hectici dispositionem. quando viæ magis sunt apertæ crassius conuenit, si strictæ subtilius. Curtius in principio dicebat vias ampliores, pòst verò strictiores. Lac caprinum, multum est simili humano, & est substantiæ crassioris, ideo potest dari in principio. Quod hoc ipsum valdè nutriat, constat ex Galeno 5. De Sanit. tuenda, sic dicente: Nouimus senem quendam agricolam, qui amplius centum annis ruri egerat. huic plurimum nutrimentum caprinum lac erat, quod aliàs cum mica panis in eo macerata statim sumpsit: aliàs mel miscuit, aliàs coxit. etiam thymi cacumina vna cum pane iniiciens. Hunc quidam imitatus, videlicet tam longæ vitæ causam ratus in lacte subesse, perpetuò lædebatur, quocumque id modo sumpsisset. nam primum illi grauabatur os ventris, mox tendebantur in dextro præcordia. Alius quoque simili modo cùm lacte vti cœpisset, de reliquis nihil est questus: quippe qui & probè id concoxit, nec acidum aut fumidum ructum ex eo sensit, nec flatum aut grauitatem in præcordiis: septimo tamen cùm sumpserat die, iecur se sentire manifestè grauatũ dixit: quippe videri sibi quidam in dextris præcordiis seu lapidem iacere, sic vt & deorsum traheretur, quæ supra essent, & tensio ad iugulum vsque pertingeret. Constat itaq; huic obstructum iecur fuisse, illi flatu intumuisse. Cum etiam noui, cui ex diuturno lactis vsu calculus in renibus est natus: sicuti alium quendam qui omnes dentes amisit, læsitque. Id verò aliis quoque multis contigit ex diuturno lactis vsu. Alij rursus cura noxam

Lac humanum.

Lac caprinum.

Historia Senis apud Galenum.

noxam lacte perpetuo sunt vsi, imò etiam cum maximo fructu, veluti agricola, quem supra centum annos vixisse diximus. Vbi enim nec qualitas lactis vtentis naturæ quicquam est aduersa, & viscerum transitus faciles propter venarum amplitudinem sunt: qui ita sunt affecti, si commodis lactis fruuntur, omnis eius incommodi expertes. Hactenus Galenus. At nos audiuimus de rustico in Waterlandia in pago Scermerio non longè ab Alcmaria vrbe sito, qui nullo alio cibo nec potu vtebatur quàm solo lacte vaccino, qui & optima sanitate fruebatur. Cæterùm quod lac valdè nutriat, siue id quoque fuerit ouillum, seu vaccinum, id apud omnes medicos in confesso est. Verùm quod ad præsens negotium attinet, sicuti lac caprinum hic detur in principio, ita asininum, cum sit substãtiæ subtilioris, exhiberi potest præcedente ægritudine. Galenus verò 7. Meth. cap. 6. & 10. Meth. propriè loquitur de asinino lacte, quem Donatus & alij sequuntur, & exhibet, vbi verò iam febris traxerit aliquam longitudinem, sed interea idem obseruat ne in ventriculo cogatur: quod & nos æger docebit, vtpote qui suæ ipsius naturæ peritus. interim id à nobis inueniendum est, paulatim ad eius vsum accedentibus ac mel exiguum illi admiscentibus, seu zaccharum, licet quoad fieri potest in hecticis febribus à melle, atque idcirco etiam à mulsa, abstinendum sit, quippe protinus vertitur in bilem, & siccioris acrioris-que caloris febres reddit, & proinde à principio non plus asinini lactis quàm cyathus dandus est, inducta in ipsum cubiculum asina, quo nullum tempus interponatur, sed æger id protinus bibat. Et vbi non corrumpatur (quod quidem dignoscere ex pulsu præcepit Galenus lib. 10. Meth. cap. 6.) dimidium cyathi lactis adaugeas, deinde rursus aliud dimidium adiicias, sicq; sensim vsque ad mediocrem modum addas. Id verò quouis tempore exhiberi poterit, illud tantum obseruans, quod per quatuor aut saltem tres horas ante

Historia cuiusdam rustici nihil aliud quàm lac sumentis.

Lacasininũ.

cibum offeratur, manè potissimum: quo etiam tempore non inutiliter & alia quoq; medicamenta refrigerantia & humectantia præbebis, & si ea quacumque hora præbere poteris, modò vacuus à cibo ventriculus fuerit, neque enim in hac febre accessionum seruantur tempora, cùm eisdem careant. Cæterùm auctores asinam iuuenem accipiunt & ab ipsa summouent pullum, eam nutriendo cum herbis frigidis & humidis, vt magis frigidum & digestum fiat lac, & sic æger post balneum vel saltem ieiuno stomacho ab eius vberibus emulgeat lac. quod si æger hoc ipsum recuset, asinam ducant in cubiculum, vt mox diximus, ipsius ægri, & subitò emulctum lac, vel extractum per alios tepidum adhuc exhibeat, primo cyathum vnum & sic procedentes augentesq; dosim, vt dictum est. quamuis quantitas determinari non possit, teste eodem Gal. 10. Meth. cap. vltimo. interea considerandum ne lac in ventriculo coaguletur, & ideo pulsum tangemus: nam si is maior aut celerior euadat, tunc lac corrupitur, si id metuatur, & quod in caseum mutetur, mellis vel salis parum immiscent, licet ea ex se non conueniunt hecticis febribus, tamen illa adiungunt ad lactis correctionem. At Trallianus docet lac omnibus hecticis præsertim in marasmum desinentibus, si quid aliud, idoneum esse alimentum. quapropter iis valdè conuenit, qui vires habent imbecilles, neq; alimentum possunt attrahere, & hoc solum in corpus distribui, trahiq;, non parum accommodè potest: Ideo, inquit idem, lac muliebre primum locum obtinet: Secundum verò asininum: verùm quoniam ægrè nonnulli hoc affirmant, caprillum ipsis dandum est, quod medium ferè existit, & magis potest nutrire. Cura interim animalis habenda, vt ne hectico aluus subducatur, præsertim eorum qui ex frequenti syncope, & diuturna vacuatione alui in marasmodem febrem incid.runt. Quamobrem quibus venter imbecillis est, & facile subducitur, in his etiam lac bis coquere,

Qualis asina eligenda est, & quibus herbis nutrienda.

Cautio.

quere, vel etiam fluuiatiles lapillos in id coniicere oportet: reddũtur autem igne candentes, vt serosum à lacte per ipsos dissoluatur. At qui lac solum nolunt assumere, etiam cum ptisana, aut salica decoctum exhibeto. Præterea magis adhuc illis offerri debet lac, quibus venter copiosiora & biliosiora deiicere videtur. Et sic inter alia commoda alimenta lac imperari debet, vel mulieris, vel asinæ, vel caprinum, vel bubulum quoque vsui esse potest. Sugatur è mamma vel recens mulctum bibatur. Sed interea lac eligendum & probandum. Vbi verò fluxus vẽtris adest, lac acetosum dandum. Post lactis assumptionem statim non est dormiendum, & tam diu procedendum cum lacte prius dando ℥ ij. paulatim dosim augendo, donec æger melius habeat. Postea lac omittendum, & regendus erit æger cibis conualescentium. Verùm vbi putrida febris adest cum hectica, vel superueniat, tunc lac non dabimus. Quidam primò exhibent lactis ℥ ij. ß. deinde ℥ iij. ß. deinde ℥ iiij. ß. & sensim augendo, vsq; ad ℥ VIII. & X. Quibus caput dolet, & hypochondria tenduntur, & febris adest putrida, nequaquam dandum erit. & hæc de lacte. de aliis rebus quæ intrò sumuntur & extra applicantur, postea latius.

OBSERVATIO VI.

De venæ sectione & purgatione in hecticis febribus perperam adhibitis.

NOBILI matronæ apud Diuam Vrsulam Delphis ex hectica decumbenti, cùm vena secta esset per empiricum, paulo pòst obiit. Ita etiam Laicus Carthusianus, cui venæ sectionem & purgationem interdixeram, quem cùm chirurgus præter nostrum consilium tentasset, & ab alio circumforaneo, die sequente, pilulam vnam ex præcipitato sumpsisset, eodem die etiam & hic extinctus est. Caueant igitur

tyrones ne in hecticis venam secare iubeant, quamuis fortasse alterius affectus ratione in principio conuenire posset, licet in hecticis confirmatis nullo modo tentanda sit. multoque minus conuenit hic purgatio, quando caliditas est in facto esse & in habitu, sed solum si aluus stricta sit moderatissima lenitio, ex cassia syr. viol. solutiuo, sy. ex infus. ros. pallidar. pulpa thamarind. vel ex lenientibus clysteribus citra calfactionem & exiccationem ex decoct. maluæ, betæ, hordei, adiecta ℥ j. vel ℥ j. ß. cassiæ, olei viol. ℥ iij, salis exiguo vel glandibus communibus, ex radice betæ, melle & stercore muris. non purgamus nisi putrida febris admixta fuerit, & tunc etiam cum iis quæ minimè calefaciant, sed potius etiam leniant & humectent.

SCHOLIA.

TRIA *apud veteres erant præcipua remedia, aquæ potus & lactis, & balneum. De lacte satis dictum est. & de aquæ potu etiam cum de febre synocha ageremus. Quod ad præsens negotium attinet, si (inquit Alexander Trallianus) æger primariò in hecticam febrem inciderit, atque non ex acutorum morborum transitu originem traxerit, cum fiducia cremorem ptisanæ potioni offerto, & panem in aqua tinctum lactucásque in omni cibo vitor. Post cibum aquam frigidam, quantū velit, potui dato: cauere enim hic febris insultus, & metuere non oportet. Vbi igitur hectica per se aut primariò fuerit, & non alia febris ex putredine sit admixta, frigida aqua adhibenda est: sed si cum febre hectica inflammatio præcordia infestet, aut putredo in venis appareat, aut ex crudioribus humoribus excitata fuerit, danda non est, & quando nulla coctio in vrinis adsit. At in inflammatione erysipelacea, frigidam exhibet. Ego sanè*

Frigida potio quando in hecticis febribus danda est, & quando non.

noui

noui (inquit idem Alexander Trallianus) me cuidam tali affectu laboranti æstuantiq; ardore, frigida exhibita plurimum profuisse, ita tamen vt prædixerim ægrum paulo diutius morbo conflictaturum, quod etiam accidit. tardius enim vires recolligebat, euaserat autem vt non, cùm febris esset aucta, hectica in marasmodem incideret. At quamuis in principio aqua exhiberi posset, verùm in statu minimè licet, quia facile deduceretur ad hecticam senectutis, & tunc frigida aqua non est danda, vbi facultas est debilis. si quis enim tunc daret, ægrum subitò occideret, ideo non debemus esse audaces in exhibendo aquam frigidam, sed potius dabimus aquam hordei, & confugiemus ad syrupos & iulebos refrigerantes & humectantes, maximè verò si corpus biliosum sit, & materia biliosa adfuerit, vti est syru. violaceus de succo lactucæ, nimpheæ, cum decocto hordei, lactucæ, cucurbitæ, portulacæ, & similibus, de pomis, de persicis, de succo acetosæ, end. Potus etiam potest esse aqua hordei. nostri aquam crudam minus ferunt, eius loco ceruisia tenuis dari potest. Ideo quantum ad potiones satis diligentes nos esse oportet cùm in hac parte medici plurimum peccent. Quantum ad vinum attinet, malè dant vinum in ephemera iam sese in hecticam mutante, propterea Actius de vino in hectica mentionem non facit: Galenus verò in hectica senectutis concessit, secus autem in marasmo deurente, in quo magis officit, quàm prodest. Auicenna in hac re diligentissimus esse videtur, qui pro potu prius proponit aquam, sed postea addit si vires debilitentur vinum pauciferum adhibendum esse tenue, cum multa aqua dilutum. Non semper igitur exhibet vinum, nisi ratione virium, & non ratione febris. Quod si vires adhuc magis prosternantur, & sit hectica syncoposa, in qua maior adest imbecillitas, exhibet aquam carnis destillatam, & decimam partem vini addit. & ideo vinũ non semper dandum est in hectica, atque

Vtrũ vinum conueniat.

atque hanc causam esse quidam existimant, quod pauci ab hectica euadunt, cùm plurimi vinum accipiant: interea viribus labascentibus, in exigua copia aqua mixtum dari potest. De balneo illud quoque notatu dignum, nemo est qui non commendet aquæ dulcis balneum, eis qui hectica febre laborãt, præsertim Galenus, idq; quouis tempore, priusquam ad marasmum perueniant, modò quis ritè eo vtatur. at non statim in frigidam aquam coniiciendi, sed prius balneandi sunt in eiusdem aquæ dulcis balneo temperatè calido moderatissimè, atque in eo moderatè commorari debent: deinde priusquam de eorum propria substantia aliquid exhauriatur, seu sudor aliquis excitetur, atq; in frigidum balneum demittendi: nam qui hectica febre laborantes ad balneum accedunt, nisi in frigidam sint dimissi, nihil iuuantur, vt liquet eodem 10. Meth. cap. 10. quoniam in hecticis febribus iam quod remedium adfert calidæ est, non frigidæ: ex hac namq; innoxiè refrigerantur, quæ fuerant excalefacta, solidarum partium ariditas corrigitur, & vires firmantur. Sit autem ea frigiditate aqua, in qua balneantur, vt nullam euidentem qualitatem nec prorsus frigidarum nec tepidarum aquarum præferat, sed qualem ea quæ fontana vocatur, quæ & frigoris quod ferit, & teporis, qui resoluit & in medio, præsertim si marasmo etiam tententur, eodem Galeno teste loco citato. Quicumque igitur hectica febre laborant modò hic alia nulla febris, vel ex solo putrescente humore, vel cum phlegmone sit adiuncta, eos omnes audacter ita lauabis, sed prorsus citra omnem laborem ne vires resoluas: labore enim vires (teste quoque Aëtio lib. 5. cap. 93. de hecticarum febrium curatione) exoluuntur, quas maximè seruari oportet. Ergo secundum eundem in lectulo æger ad balneum ducendus est, & vbi ad primam balnei mansionem peruenerit, in calida sindone ad id præparata collocetur, quatuorq; sint in singulis angulis qui sindonem ferant.

Balneum.

Aëtius.

ferant inde nudus ad secundam mansionem delatus totus ibi perfusus oleo dulcissimo tepido ad tertiam subinde mansionẽ ducatur, & labro immergatur, sitq; aër balnei temperatus, comparata illi humiditate calidæ aspersione in parietes. temperatissimam verò esse oportet aquam in qua moderatè commoretur, ne quidpiam è propria humiditate hauriatur, cauendo ne perfundatur caput. Delatus inde quatuor adolescentibus in frigidam repentè proïciatur: vitet tamen in ea ne tantillum quidem morari, sed eductus subitò, alia sindone inuolutus in lectulo locatus, mollissimis linteolis suauissimè detergatur: tum perunctus indutusq; in cubiculum reportetur, quod velim balneo proximum. Ita lauandos monemus qui iam tabescunt. At qui hecticis febribus nondum tabescentes laborant, etiam absq; sindone lauari possunt: lectuloq; tamen aut vectabulo quopiam gestari, oleo perfundi, calida immorari, frigidam tantùm attingere, detergi, perungi, atq; in cubiculum reduci: quemadmodum & præcedentes oportet. Hactenus de balneis ex Aëtio. Trallianus quoque non solùm hecticis balneum conuenire scribit, verùm etiam iis, qui senium ex morbo habent, modò quis diuersos illos lauandi modos nouerit, is omnem intemperiem in contrarium mutare poterit. Quanquam horum vsus & veterum curiosus apparatus balneorum exoleuit, interea, vt Curtius admonebat dum Auicennam De Febre hectica legeret, in vsum balneum reuocandum erit. Huius apud veteres quatuor sedes erant, prima erat aëris calidi quæ virtutẽ habebat calefaciendi, liquandi & aquandi materiam, & cutem relaxandi, & multa retenta euacuandi. Secunda erat aqua calida: Hæc sedes humectabat & calefaciebat: tertia erat aquæ frigidæ, quæ refrigerabat cutem, densabat, & virtutem roborabat. Quarta sedes erat, in qua fiebat sudoris absterfio. & ista corpus per sudores euacuat. prima potest comparari hypocaustis

Trallianus.

Curtius.

cauſis noſtris: ſed non conuenit in hecticis. quanquam Curtius eo loco ſuadet, vt aër temperatus reddatur vel paulo calidior, in cubiculo ægri, ventre vacuo, vt ſit quaſi ſimilis primæ ſedi. deinde apportandæ ſunt duæ tineæ plenæ aqua moderatè calida, altera frigida. ad quam æger quatuor hominibus in linteo deportandus, nempe calidam, deinde in frigidam demergi, modò fortis ſit æger & ferat, ſed non diu in vtraque tinea immorari debet, mox in lectum per eoſdem homines transferendus, vt calidus permaneat, vel in lecto tepido ponendus, deinde leuiter & blandè perfricandus & oleo communi vel magis appropriato, vel violaceo, vel nymphæa perungendus. Gal. in aſſuetis 7. Meth. 6. bis aut ter in die faciebat. noſtro ſæculo ſufficiet manè ſemel balneaſſe ante prādium, cùm noſtri ægrotantes non ita ſint aſſueti. At Curtius in maraſmo confirmato ab eo abſtinebat, ne remedia in morbo incurabili diffamarentur. Vrgentibus tamen amicis ad vitam prolongandam eo vtendum eſſe ſuadebat, ſed præhabita ſemper prædictione. Alij verò ſimpliciter vtuntur balneo aquæ dulcis, vt primo ſit aliquantiſper calidior quàm tepida, in qua detineatur æger à ſeruis, antequam in illam aquam deſcēdat vel immergatur, & ſi erunt vapores aquæ temperati, mox celerrimè inungunt corpus vniuerſum oleo amygd. dul. & oleo communi maturo, & tunc inunctum ponunt in aquam tepidam: id quidem faciunt ne diſſipatio aliqua contingat, quæ in tepida aqua quoque dum immoretur æger, fieri poſſet, & ne tepiditate balnei fiat maior diſſolutio. & ideo ſi ſudare incipiat æger dum frons eius tangatur, addenda eſt aqua minus calida, imò frigida. in tepida poteſt morari per quartam partem horæ. Vbi verò frigida reddita eſt, non diu in ea permanendum, ſed æger in ſindone eleuandus, & corpus moderatiſſimè exiccandum. exciccatum verò inungendum oleo amygd. dul. viol. & omnes partes, excepto ventriculo, ſi debilis eſt.

qui in-

qui inungi potest, vt Capo de Vacca mandabat, oleo mastychino. Rondeletius verò iubet hecticos balneari in tribus lauacris. Primò quidem in aqua dulci modicè tamen calida. Secundò in aqua tepida. Tertiò in frigida. in balneo calido non oportet diu morari, in tepido mediocriter, in tertio minus quàm in secundo, & magis quàm in primo. De his vide Rondeletium & alios. Holerius, cùm eiusmodi apparatus exoleuit & non sine periculo sæpe tentetur, potius labro vtendum iubet prope lectum aqua pleno posito. Quæ verò expediunt fieri circa balnei apparatum ea habes quoque apud Rondeletium, & hæc de balneis dixisse sufficiunt. Verùm authores hic addunt refrigerantia & humectantia intus assumpta & extra admota. Commendantur autem in hac febre syrupi, iulebi simplices, vt violar. rosar. de succo endiuiæ, de perficis, de succo acetosæ, cucurbitæ, de prunis, granatis dulcibus, cum aquis lactucæ, viol. cucurbitæ, end. & per se iuleb. ros. viol. quod ex infusione secundum mensem fit. vel iuleb. hoc modo. ℞ aquæ viol ℥. iij. zach. albiss. ℥. ij. cum lento igne coquantur ad consistentiam iuleb. componunt etiam iulebos resumptiuos, de quibus videas Guainerium. Compositi verò syrupi hic conueniunt syr. viol. iuiubinus de papau. cum zaccharo solum & de portulaca sine aceto. Conficiunt quoque syrupos magistrales & resumptiuos, qualis est ille qui ex testudinibus fit, à Guainerio descriptus. Dantur quoque interius mixturæ, confectiones & condita, conseruæ violar. bugloss. borag. florum nenupharis. triasandali, diapap. morselli quoque restaurantia, collaticia, contusa: nam diuersis remediis hic vtendum est, licet diuersa forma appareant, facultate eadem sint. Exterius verò admouentur inunctiones, linimenta, vnguenta, cataplasmata, cerata, epithemata, habita tamen ratione partium externarum. Ita Galenus dorso applicat linimẽtum ex frigidis & quodammodo adstringentibus, ex oleo

Refrigerantia qualia intus sumenda.

Quæ exterius applicantur.

ex oleo ros. cera & aqua vel ex oleo myrthino & nympheæ. Pectori verò ex refrigerantibus & modicè relaxantibus, ex oleo viol. cucurb. decoct. se. lactucæ, papau. & nimpheæ & oleo amygd. dul. nisi multus adest feruor, & non diu ibi retinenda ne respirationem lædant, & noxam voci adferant: vt admonuit Gal. 10. Meth. med. spina oleo ros. & colon, inungenda. Renes verò & hepar vng. ros. ventriculus oleo ros. myrtheo, citoniorum. de cataplas. ex polenta, succo poligonij, lactucæ, intubi, ros. oleo ros. & similibus. iuxta quod vni mẽbro magis quàm alteri conueniãt: vt videre est apud Galenum 7. Meth. cap. 8. 9. 10. Epithemata eadem conueniunt quæ de Causone dicta sunt, quæ etiam ex decocto hordei & oleo viol. constent, pro thorace: pro hepate verò paulo magis restringentia & roborantia, vti videre poteris apud authores, præcipuè verò apud Guainerium diff. 2. De Feb. cap. 2. De Curat. hecticæ: Rondeletium quoq; & Holerium, apud quos formulas plurimas horum medicamentorum inuenies. Quomodo externis remediis succurrendum sit hecticis, quibus frigidam dare non possumus, Alexander Trallianus lib. 2. cap. 4. De Febre hectica luculenter docuit.

OBSERVATIO VII.

De febre hectica simplici, quæ tandem inualescens mutata est in febrem putridam & mortem.

ANDREAS Guilhelmus de Vesthoren, si quis alius, vir ditissimus, cognatus noster, ætate annorum sexaginta, procerus admodum & macilentus, biliosæ & raræ constitutionis, propria natura ad tabem & hecticam inclinatus: & ideo minus fuit admiratu dignum, quòd hic in hecticam inciderit. Erat enim habitu admodum gracili & macilento, collum habens

tenue & oblongum, humeros instar alarum præ macie imminentes, pectus verò angustum,& caput paruum, cui etiam aderat statura oblonga, præ macie indecora. tales enim facillimè in tabem labuntur. Quotidie huic quoque aluus fluxa erat, & per quindecim annos citatior, vt sponte multa bilioſa deiiceret,quod sibi naturale esse dicebat. Præterea erat valdè acuti sensus,& cogitabundus,& ad melancholiam inclinatus, ad iram similiter, tristitiam & metum plus iusto procliuior. Hic verò Alcmariæ degens, cùm filiam suam Corneliam matronam certè honestissimam & pulcherrimam Amptmanni Antuerpiani vxorem quam vnicè diligebat, mortem ex longo morbo quoque obiisse intellexerat, nescio quam non ex huius suæ filiæ morte tristitiam & melancholiam contraxerit, vt ad summam deinde maciem deuenerit, ac hecticam febrem eamque simplicem absque putredine incurrerit. Augebat verò hoc malum (vt plærumque fieri solet) aliud quoddam infortunium: nam oborta valida tempestate, agger Seuenbergẽsis,quem à Domino Seuenbergensi nuper magno ære emerat cùm perruptus esset, ad rem fortasse paulo attentior, maiori tristitia est affectus, & melancholia magis aucta,quam iam pridem ex obitu filiæ conceperat: totus macilentus factus simplici hectica & primæ speciei corripi cœpit, quãuis tunc nulla remedia adhibuerit, nec victus rationem obseruans, à me tamen sæpius admonitus, per integrum annum ita macilentior euadens, tandem hectica ad secundum gradum progressa est, ita vt 12. mensis Iulij die anno 1555. me prius in consilium admisit, immemor illius Ouidij carminis,

Principiis obsta, serò medicina paratur
Cum mala per longas conualuere moras:
Sed propera Paulo pòst,
Vidi ego quod fuerat primò sanabile vulnus
Dilatum longæ damna tulisse moræ.

Solent autem nostrates adeò in vocandis medicis tardi esse, vt eos non vocent, nisi cùm morbus iam confirmatus ad statum deuenerit, quemadmodum huic nostro ægrotanti euenit: qui iam ad secundum gradum hecticæ progressus, prius de remediis cogitauit. Ad hunc quidē ingressus victum commodū nempe humectantem & refrigerantem præscripsi, & reassumentem, & ideo mandaui vt omni manè lacte ouillo vteretur, cùm caprillum nobis deesset, & muliebre abhorreret. Præterea cùm huic ex Antuerpia transmissi essent martij seu massei panes, pastæ regales, pineolata, confectiones ex pistariis, amygdalis, capo, confectæ, eadem illi concessimus. manè quoq. sumebat vitellum oui, cum aqua solis. At cùm ad tertium gradum hecticæ iam tenderet, & valdè debilis esset, ne in syncopem caderet vinum Rhenanum concessimus aliquando cum aqua borag. lymphatum, quæ in arena destillata & non in vasis plumbeis, ne fluxum concitaret. Nulla tussis huic aderat nisi sicca. pulsus verò durus, frequens, debilis, paruus, qualis hecticorum proprius. & eundem appetitus deiectio apprehendebat, præhabito prognostico de difficili curatione: diligentiam meam proposui vt bonum vitæ regimen obseruaret, in quo totius curationis cardo consistebat. Capum deplumatum, euisceratum, lotum cum aqua ros. destillatum in alembico vitreo & vino Rhenano in partes discissum in poculum stricti orificij ponebam quibus hæc addebantur, ℞ vini albi

odori-

odoriferi Rhenani ℔. j. zacchari albissimi ℔. ß. conserue viol. ℥ ij. conserue borag. bugloss. ana ℥ j. ß. conserue nenupharis, ros. ana ℥ j. ß. pul. spe. diarod. abb. ℈ ij. ß. specie. diad. frig. & diamarg frig. ana ʒ. j. trionsantal. ℈ ij. ß. specier. aromatici, ros. (ob debilitatem ventriculi & appetitum deiectum) ℈ j. ducati aurei auri purissimi numero VII. (quod potius ad ostentationem, fit cùm nihil de auro decedat) poculo bene obturato. Coquantur in balneo maris lento igne, ad horas octo, & fiat ius restaurans. bis aut ter in die ex eo capiebat duo cochlearia tempore pastus. Manè verò sumebat lac cuillum cum zaccharo. aliquando etiam in prandio contusum. Sub noctem hordeatum, amygdulatum. Cùm eundem ad aliquot dies ita tractassemus, post mensem accitus est Oudrgerus medicus Amstelrodamus senior, qui & commendauit ea quæ exhibita erant. Sed tunc communi consilio capra ex Viana vrbe allata est, & huius lacte recenter multo vtebatur omni manè, cum lac muliebre abhorreret, quod præstantius fuisset. Verùm cùm quotidie postea deiiceret aluum, & paulo antea multa bilioſa, capiebat subinde conseruam rosaceam, cui postea etiam admixta fuit conserua buglossæ. Sed paulo pòst abhorruit, nec amplius gustare voluit. Interea præcepimus vt saltem pro tussi, quæ quotidie magis inualescebat, hoc linimento vteretur. ℞ olei oliuarum selecti ℥ ij. olei viol. amygd dulcium recentium ana ℥ ß. anethi viridis m. ß. Anethum bulliat leuiter in oleis dictis, & facta forti expressione adde butyri recentis septies vel pluries loti in aqua vngulæ caballinæ ℥ j. ceræ albæ q. s. fiat linimentum molle. Tertio verò die Augusti, cùm tussis magis magisque ægrum affligeret, sequenti ecligmate vsus

est. ℞ syrupi viol. ℥ j. syrupi, iuiubini de liquititia ana ℥ ß. diatragac. frig. in tabul. ℥ j. ß. misce, fiat linctus. Pectus verò tum tota spina dorsi inungebantur linimento suprascripto. Sexto autem Augusti die cùm difficulter expueret,& purulẽtia retineretur, húc linctum frequenter capiebat. ℞ syr. iuiubini ℥ j. ß. syr. de liquir. ℥ j. syr. capil. Ven. zacch. penid. ana ℥ ß. Postea Oudtgerus medicus rursus domum rediit: At illo postea reuerso destillatum ex carne veruecis,capi, ex amygd. dulcibus, aliisque restaurantibus, humectantibusque seminibus quatuor frig. maior. mund. vitellis ouorum & similibus vnà præscripsimus. Hæc aqua destillata præter alia iura restaurantia,eidem dabatur cum syr. viol. & zaccharo perlato. Cùm verò balneum non admitteret, eius loco pectus lacte caprillo tepido & oleo oliuarum, tum spinam dorsi fouimus manè & vesperi. Sed non diu pòst tædio affectus, hoc remedium vtile licet iuuaret, reliquit. interea rursus vtebamur solo linimento, quo etiam se melius habere dicebat. Post aliquot dies tussis validior eum apprehendebat, & catharrus è capite in pectus destillans,putredinem induxit,ita vt hecticæ simplici etiam nunc febris putrida facilè commisceretur. Plurimum itaq. illo ipso quotidie deficiente, vt amplius per cubiculum, vt prius, incedere non posset, siti etiam vehementiore superueniente, simul & gutturis inflammatione quoque accedente, ac linguæ tumefactione. Hac de causa medico Oudtgero seniore nunc absente,victũ omnino,tum medicamenta nonnihil immutauimus, cùm putrida febris nunc cum hectica commixta videretur, plurimum ægro metuimus: fluxus enim qui paulo citatior apparebat,magis metũ nobis incutiebat,qui si intẽderetur,non diu post

mortem

mortem acceſſuram eſſe, amicis, tum vxori atque aſtantibus prędixi. Ideo à fomento abſtinui: vbi enim catharrus adeſt vel oboriatur, tunc neque in hecticis balneo aut fomentis vtendum eſt, neq. tunc vbi leuis ſuſpicio de febre putrida futura adfuerit. Quamobrem vt huic accidenti tempeſtiuè reſiſterem, ad catharri ſuſpenſionem & cerebri roborationem & exiccationem duas cucufas capitales in officina parari iuſſi, vnam ſub tegmine diei applicandam, alteram ſub pileo noctis, hunc in modum. ℞ flor. roſ. rub. exiccat. ana ʒ iij. ſe. mirtill. ʒ j. ß. maſtichis ϑ iiij. olibani ϑ j. bethonicæ exiccatæ ʒ j. ß. puluerisentur & bombaci inſpergantur ac ſindone rubra cooperiantur & fiant duæ cucufæ rotundæ interſutæ, ſuturæ coronali applicandæ. eo modo quo dictum eſt. Pro ſiti ac virium debilitate vtebatur zaccharo roſaceo cum perlis. Ad linguæ verò aſperitatem inflammationem & ſiccitatem hoc collutorio, quo etiam aliquando ſenex ille medicus Haganus inſignis, Antonius Haſwerus vti ſolebat. ℞ decoctionis hordei (in qua bullierit ʒ ß. rad. bugloſſæ) ʒ xiiii. addendo ſem. cych. ʒ j. ß. iterum ebulliendo colaturæ adde ſyr. ex infuſ. roſ. viol. ana ʒ j. miſce pro oris, linguæ, gutturisq. collutorio. quo magna ex parte aſperitas gutturis & linguæ inflāmatio ceſſarunt. Die 14. Auguſti manifeſtè putrida febris fuit hecticæ adiuncta, quæ eidem ſuperueniebat cum frigore & horrore, ita vt deinde fuerit coactus ſeſe lecto cōtinere, mox tota nocte incaluit, neque dormiuit, vnde magis vires deiectæ, ac animo labaſcente cœpit contemnere omnia remedia, excepto hoc decocto, cum iulebos & ſyrupos abhorreret, quo ceruiſiam ſuam diluebat, nam eo tantum delectabatur ad extinguendum calo-

rem febrilem. ℞ hordei mundati folior. lactucæ nouellæ, flor. viol. bugloss. borag. flor. ros. rub. (ne fluxus concitaretur) flor. nenupharis ana p. j. se. 4. frig. maior. ana ℥ß. fiat decoctio in aqua com. pro l. j. ß. Inhibui tunc quoque lactis caprilli vsum ob febrem putridam admixtam. At calore febrili persistente ac augescente vires magis magisque deiiciebantur, ita vt decimo sexto die Augusti putrida febre magis increscente, fluxus quoque ventris vehementior obortus sit, qui in hecticis lethalis est. Lac acidum dedimus loco lactis caprilli, & à decocto hordei abstinuimus. Ita enim cautos nos facit & admonet exercitatus ille medicus Sauonarola: Si fluxus adest non detur decoctio hordei sola, sed eius loco aqua milij excorticati. Et licet Auicenna faciat mentionem de hordeo, id quidem de vstulato, inquit idem Sauonarola, intelligendum est, & lac non dandum nisi cum puluere constrictiuo. Valescus verò tum alij, si putrida febris adest, lac acetosum exhibēt, ex quo detractū est butyrum: quod etiam commendat Blasius Astarius, si adfuerit fluxus. & in hoc casu authores quoque extollunt trociscos de spadir. Decimo verò septimo die Augusti fluxus ventris maximè ægrum infestabat, sub noctem exhibuimus amygdulata, quanquam de curatione desperarem, ideo amicis periculum adesse prædixi, & si testamentum condere vellet, deinde quæ hinc emigraturis conducunt, ea posse fieri adhortatus sum. quæ quidem peracta sunt. Interea denuò vocatur Oudtgerus medicus & Henricus Vergerius medicus Haganus doctissimus, quibus præsentibus concluſum est, ob fluxum enormem viribus omnino deiectis ægrum ad tres dies superuiuere non posse. Interim hic puluis & linimentum præscripta

sunt.

sunt. ℞ coralli rub. ʒ j. ß. margarit. ϑ ij. ros. rub. ϑ j. spodij ϑ ij. in tenuissimum puluerem redigantur, & aqua rosacea destillata in arena in alembico vitreo sæpius lauentur, iterum exiccentur, & huius pulueris ʒ j. pro vice cum ceruisia in qua chalybs ignita extincta erat, propinabatur. ℞ olei ros. myrthini ana ℥ ß. olei mastic. ʒ ij. misce, inungatur totus vēter, quę quidem decimo octauo die Augusti præscripta sunt. At cum illam cereuisiam chalybeatam abhorreret, diacithoniū simplex incereuisiam coniiciebatur, quam expressam pro potu sumebat, quāuis paulò pòst nausea & tædio medicamentorum affectus omnia remedia respuebat, solo lacte acetoso cum acetosa herba decocto vtens tam pro siti quàm pro fluxu, quo solo potu delectabatur, aliis deinde omnibus remedis postpositis. Cæterùm his omnibus non iuuantibus, manè nobis redeuntibus, cùm fluxus perpetuò perduraret, signa hæc lethalia adfuere, motus scilicet totius corporis conuulsiuus, pulsus contractus, fluxus continuus, prognostico facto, & cura præsbiteris relicta, diximus amicis nos non esse redituros. sequenti die manè obiit & in Domino requieuit.

SCHOLIA.

DICTVM est prius, quod hectica mixtæ cum putridis febribus rarò curentur, cùm harum indicationes curandi contrariæ sint. multóque minus si fluxus accedat. Quibus quoque neque frigida potio, neque lac, neque balneum conferunt. Minus verò & his quibus aluus profluit, quibus neq; humectantia linimenta prosunt: tum enim refrigerantibus exiccantia adiungenda sunt. Vbi quoque putrida febris adest, & fluxus ventris aliaq; symptomata ægram vexent, victus quidem immutandus, tū alia remedia;

alioqui si hectica simplex sit, nihil immutandum aut innouandum. Si verò vna cum tabe sit, aliter quoq;, quàm simplex hectica, curanda: cuius curatio etiam hoc sequente exemplo luculentior fiet, præter ea, quæ superius diximus de huius quoque sanatione.

OBSERVATIO VIII.

De febre hectica cum tabe.

GOVDANVS ille triginta quinque annorum vel circiter, qui ad me venit vt curaretur anno 1573. in æstate, omnem carnem consumptam habebat, pellis huic arida erat, ossa verò præ macie quasi crepitabant, & adeò debilis erat, vt vix incedere posset. Huic cùm hectica febris adesset, vnà cum tabe vt balneo aquæ dulcis vteretur consului, eo modo vt Galeno adhibetur 10. Meth. cap. 10. cùm diligente tamen cautione (vt scholio obser. 6. dictum est) præterea vt lac muliebre ex mammilla recenter sugeret mandaui, & vt alimentis potissimum vteretur quæ corpus reficere possent, præter ea quæ refrigerant & humectant ac hecticis conueniunt. Vinum Rhenanum cum aqua dilutum concessi, sed vt gelida potione abstineret iussi, eò quòd non consuetus esset, verùm vt eius loco ceruisiam caperet admisi, vel decoctum hordei, modò ei sapor placeret, cum se. 4. frig. maioribus. Verùm cùm hic apud me manere non vellet, consului vbi domum reuersus esset vt peritissimum medicum in consilium adhiberet, & quod vteretur pastillis in hunc vel similem modum paratis. ℞ carnium gallinarum, pullorum vel caponum elixat. ℥ ij. carnis testudinis (si haberi possent) similiter elixatæ ℥ j. electuarij regum sine speciebus ʒ ij. spec. halij contra tabem margarit. ana ʒ ß. quatuor sem.

frigid.

frigid. mundat. ℥ ß. zacchari dissoluti in aqua ros. q. s. fiant morsuli. quorum ℥ j. ß. vel ℥ ij. pro qualibet vice exhibeantur cum ℥ iij. aquæ end. vel buglossæ, vel roris solis aut tantundem alicuius stillatitii liquoris conuenientis.

SCHOLIA.

SI verò febres duntaxat hecticæ non sunt, sed quæ Græcè μεγασωμάδεις dicuntur, hoc est tabidæ & siccitati coniunctæ: quatenus hecticæ sunt non aliam desiderant curationem quàm modò dictam, quæ in refrigerando & humectando consistit, quatenus verò siccitatem seu tabem coniunctam habẽt deperditæ substantiæ humidæ etiam indicant instaurationem, seu refectionem. hanc autem inferre particulis sine nutrimento non est: quare præter eã quam instituimus victus rationem, alimenta quoque eligere oportet, quæ reficere corpus valeant. nam quæcumque partium solidarum substantia fuerit exiccata, eadem genere victus ratio competit, quamuis vna altera difficilius instauretur, & quædam nullo modo refici possit. Qualia autem alimenta eiusmodi febricitantibus conueniant, ex iis quæ superius dicta sunt, facile intelliges, tum ex illis quæ ab Altimaro parte 3. De Feb. cap. 9. de hecticarum febrium cum tabe curatione scripta sunt. At harum febrium curatio ex exemplo sequenti adhuc magis innotescet.

Hecticarum febriũ cum tabe curatio.

OBSERVATIO IX.

De hectica marasmode tandem in marasmum lethalem desinente.

ADRIANVS Leoninus Leidanus, vrbis Delfensis Pensionarius, si quis alius, vir doctissimus, cùm per integrum annum hectica febre laborasset, & scirrho lienis afficeretur, multa ac varia me-

dicamenta, quo ad lienis duritiem (de qua suo loco cum de lienis vitiis ac affectibus agemus) tum ad hecticam, à pluribus medicis iisq. peritissimis prescripta sunt, inprimis verò ab Henrico Vergerio medico Hagano, deinde etiã à Cornelio Heydio collega nostro, & postea cùm per annum malè habuisset, tandem etiam à me, tum à Gerardo medico Leidano seniore quædam remedia adhibita fuere. Verùm hic tandem æger peruenit ad febrem marasmodem. & postremò ad marasmum ipsum. Tunc ad consultationem tres medici conuocati sunt, Hugo Nieuenius, cùm Henricus Vergerius iã è vita discessisset, Cornelius Heydius, & ego, idq. in principio mensis Nouẽbris anno 1562. Cùm autem eo tẽpore iunior medicus essem, hoc modo exorsus sum: Ornatissimi viri ac doctissimi doctores, vt paucis meam opinionem de morbo huius præstantissimi viri dicam, id quod sentio liberè apud vos eloquar. Cùm autem hic æger noster vir sanè in omni genere literarum eruditissimus, non vno affectu, imò pluribus, & iam per annum hectica febre laborauerit: pro qua depulsanda maximè laborarunt Vergerius medicus peritissimus piæ memoriæ, qui paucis ab hinc mensibus obiit, & Cornelius Heydius confrater noster ac collega hic præsens. Vtebatur tunc, vt nobis relatum est lacte caprillo aliisque remediis ad hecticam conuenientibus, taceo nunc de aliis variisque medicamentis ad lienem descriptis. Balneum verò quamuis vtilissimum remedium ad hecticam, non imperarunt medici excellentes: & rectè quidem propter catharrum quo etiam afficiebatur ægrotans, sed eius loco inunctiones dorsi conuenientes, tum alia quoque præsidia necessaria præscripserunt. Henricus etiam (vt audio) vsus est pulla

euisce-

euiscerata à Benedicto Fauentino quondã præceptore meo cap. 14. in sua Empirica descripta, de vlceribus pulmonis. Phthisim tamen hic æger non habuit, neq. catharrus ille, quo laborauit, saltus fuit. Sed omnium membrorum atrophiam (quæ etiã à Celso ad tabem refertur) ab hinc longo tempore passus est. quam ego puto ex duritie lienis non minus, quàm ab ipsa hectica etiam carnem consumente, originem sumpsisse, vt in membris neq. nutritio neque assimulatio fiat. Hoc est quod Auicenna dicebat lib. 4. Fen. 15. tract. 2. cap. 1. De Ægritudinibus splenis: Et scias quando splẽ impinguatur, extenuatur corpus; quoniam inprimis destruitur virtus hepatis vehemẽter cum contrarietate, quare minuitur generatio sanguinis, & cum hoc ipse attrahit de sanguine illius rem plurimã propter magnitudinẽ sui. Et penitus extenuatio splenis significat bonitatem humorum. Cumq. ita curatio horũ contraria sit; hectica priusquam in marasmũ deueniisset frigida & humida requirebat: lien verò calida, emollientia, consumentia & discutientia. Catharrus exiccationem & diuersionem ad nares. Non est mirũ quamuis doctissimi medici prius ad curationem vocati etiam quamtũuis diligentissimi fuerunt (vt ex eorũ formulis in officina præscriptis vidimus, quas longum esset hic recensere) non consequuti sunt honorẽ, neq. æger sanitatem. Verùm vt ingenuè fatear, quantũ ad præsens statũ huius mali, & signa quę in isto ęgrotãte apparent, egregius hic noster Pẽsionarius nunquã curabitur, vt etiam nos eo tempore cùm primũ ad ęgrum post mortem Henrici Vergerij doctissimi acciti fuimus non solùm prędixerimus, verùm etiam præstantissimi medici, qui ante me longo tempore ęgrum tractarunt, idem iudicarunt. Et quanquam nunc aliquot

ab hinc

ab hinc diebus fluxu ac alui profluuio laborauerit, vt purulenta quoque excreuerit, sicuti ego istis diebus cum Cornelio Heydio collega meo conspexi, tanquam abscessus in liene fuisset, qui per aluum sese exoneraſſet, tumor tamen ille lienis admodum durus non delituit. Et antequam purulenta excreuit, prius quædam pinguia per aluum reddidit. Igitur ab eo tempore hunc virum clarissimum Pensionarium in febrem marasmodem casurum iudicauimus. Ita Galeno id atteſtante lib. 10. Method. sub finem sic dicente: Clarissimo huius rei argumento sunt infirmi, qui per aluũ quod liquatur, excernunt: qui nisi prius vel vi morbi, aut eiusdem violentia, vel medicorum insciti a moriantur, in marasmodes febres incidunt, Et sic fluxu illo postea desinente ad tempus, nihil commodi percepimus, ideo non fuit ex abscessu lienis. Videntes itaque, huic ægro, exhausto iam vniuerso liquore, oculos immodicè concauos esse, veluti foueis reconditos, ossium eminentias, quibus palpebræ cohærent, atque totius corporis squalidam dispositionem, vt ego existimem ægrum hunc nostrum nunc ex hectica marasmode & tabida febre ad marasmum illum senectutis (qui instaurabilis existit) peruenisse, & propterea deinceps restaurantibus & moderatè calefacientibus, aut saltem temperatis, tum maximè humectantibus esse vtendum arbitror: & præcipuè mandarem, vt in victu humectante acresumente perſisteret, quo iam vtitur. Præterea cum catharrus adest, solo puluere mastichis capiti insperso, vel eius fumigio in pannum rubrum de scarlato (vt vocant vulgares) recepto, vt vteremur laudarem, ad catharri suspẽsionem & cerebri exiccationem, quemadmodum Cornelius Heydius vnà mecum sentit.

Hæc

Hæc cum dixissem breuiter post aliorum ratiotinationem, ne aliorum verba hic adferamus, inter nos conclusum est, vt pannus eiusmodi fumigio mastiche suffumigatus capiti apponeretur. Nieuenius pilos capitis prius abradendos suadebat, id difficulter admittebat æger, & cùm mihi ac Cornelio minus placeret, relictum est. Idem Nieuenius decoctum Guaiaci proponebat, eò quòd latentem vim habere diceret ad quosuis ferè morbos chronicos & deploratos curandos: tamen quia exiccat, nec hecticæ conueniat, neque in homine adeo macilento qui nunc ad marasmum deuenerat, nullo modo adhibendum esse dixi: nam & multi lue Gallica laborantes macilentiores facti perperam eo vtentes in hecticam delapsi sunt, ideo ab eo omnino abstinendum esse probaui; quanquam Heydius nescio qua ratione adductus prima fronte videbatur ad sententiam Nieuenij accedere, quamuis postea mecum à ligno omnino abstinendum esse decreuerit. Et ita ad alia conuersa est disputatio, vt omnino restaurantibus, vt prius incederemus: ita vt præter martios seu masseos panes, confectiones pistariorum, penidiorum, iura consummata, hoc quoque ius restaurans præscripsimus. ℞ caponem deplumatum, minutissimè incisum, prius lotùm cum vino & aqua ros. carnis veruecinæ non pinguis ex armillo P. 1. succorum trium malorum granatorum mustorum expressorum, granis atq. arillis abiectis, pedes duos ouillos prius coctos, vt melius instar galatiuæ adhæreant (idque ob alui fluorem, quem semper metuebamus) coquantur in poculo stricti orificij bene obturato in balneo maris, vt artis est per horas septem vel octo, & ius expressum ac concretum vsui reseruetur. & ablata pinguedine quæ

ius con-

quæ ius conseruabat cùm opus esset, ex eo liquato vel concreto singulis tribus horis capiebat tria quatuórue cochlearia argentea. Sed cùm aliquot diebus eo vsus esset, cœpit hoc ius abhorrere, ideo adiecimus vini Rhenani exiguum pauco cinnamomo pulueriſato inſperſo, adiecto zaccharo roſaceo perlato ad ſaporem delectabiliorem. & ſic ſapor illi optimè placebat. manè verò ouum molle aut iuſculum aliquod guſtabat. Poſt duas verò horas particulam vnam nucis myriſticæ recens conditæ ad ventriculi & cerebri roborationem ſumebat. Cùm autem aures eidem tinnirent, quod illi moleſtum erat, ex vaporibus ad cerebrum elatis, cerebro non potente reſoluere iſtos vapores, ita vt ſpiritus animales maximè turbarentur poſt ſemihoram à cibo ſumpto, ſed eo decumbente in lecto tinnitus ceſſabat. pro hoc ſymptomate depellendo gutta vna atque altera olei amygdalini amari commodè in aurem ſtillata fuit. Vino verò in prandio ad reſtaurationem vtebatur, cum decocto ſeminis coriandri præparati diluto, etiam in cœna exiguo zaccharo impoſito. Interea condita, electuaria, reſtaurantia, paſtæ regales, aliaque innumera reſumptiua præſcripta ſunt. Nieuenius verò poſt conſultationem peractam domũ reuerſus amplius non fuit vocatus: nã reliqua curatio & Heydio & mihi commiſſa fuit, atque hoc reſtaurans denuò à nobis præſcriptum. ℞ capum deplumatum purgatũ, pedem porcinum à pilis optimè repurgatum, pedes duos ouillos coctos & ſimiliter deplumatos, vini Rhenẽſis odoriferi ℥ viii. manus chriſti cum perlis ℥ iij. cinnamomi ſelecti ʒ iiij. coquantur in balneo maris, vt artis eſt, ad horas octo, & vſui reſeruetur. Sapor huius reſtaurantis valdè ei arridebat. Vxor etiam eodem iure vtebatur cum ex

cùm ex hectica ad extremam maciem deueniſſet, præcedente menſium proluuie per integrum annum, neque tunc remediis vtens, neque iisdem cùm vti vellet, tandem ſpiritum vini à tonſore deſtillatum cùm cœpiſſet, in aphthas incidit & in febrem etiam putridam, cum hectica admixta erat, quæ tandem in maraſmum mutata. hæc proba matrona etiam ante maritum obiit, cùm antea nullis præſidiis vti vellet: quanquam in fine & hoc ius reſtaurans pro vtrisque præſcriptum fuit. ℞ capum deplumatum minutiſſimè inciſum, cinnamomi electi ʒ vi. zacch. viol. ℥ iij. manus chriſti perlati, conſeruæ borag. ana ℥ j. aquæ roſ. & vini Rhenenſis optimi ana l'. ß. bulliant in duplici vaſe ſeu balneo maris, vt artis eſt, & ius expreſſum vſui reſeruetur. Cæterùm poſtea per me ſolum hæc poſtea regalis pro eodem tum eius vxore præſcripta eſt. ℞ pulpæ caponis, perdicis ana ʒ iij. amygd. dulc. aqua calida roſ. maceratarum & depilatarum ʒ iij. pinear. recentium lotarum in aqua roſ. ʒ ß. phiſticorum ʒ ij. terantur vltima contritione addendo gummi arabici, tragac. ana ʒ ß. ſpec. diarod. abb. diatrag. frig. ana ℈ j. ß. ſpec. halij contra phthiſim, diapenid. ana ℈ j. conſeruæ viol. borag. ana ℥ ß. conſeruæ roſ. vnius anni ʒ ij. pul. cinnamomi electi ʒ j. manus chriſti cum perlis ℥ iij. exigua aqua roſ. adiecta, fiat poſtea regalis foliis auri obducta. Vtriſque ſapor valdè placebat. Sed & hoc reſtaurans pro iiſdem paratum eſt. ℞ pulpas caponis & partes pectoris eiuſdem ſicciores contundantur in mortario lapideo quàm diutiſſimè, zacchari viol. manus chriſti perlatæ ana ℥ j. ß. aquæ roſ. q. ſ. ad ſubſtantiam liquidiorem, & colo fortiter exprimatur. idem ſubinde fiebat cum iure pulli, aqua roſ. & vino exiguo adiectis.

Verùm

Verùm cùm Pensionario fluxus ventris oboriretur, tunc Heydij ac nostri consilio conserua ros. antiqua frequenter exhibita fuit. Postea & condito æger vtebatur magis constringente ex cons. ros. trocis. è terra sigillata, è podio, & bolo armeno, & syrupo de portulaca parato. Subinde in die etiam deglutiebat cochlear vnum atque alterum ex syrupo de portulaca. Sed & hoc ius restaurans etiam præscriptum est. ℞ pulpas partesque pectoris capi seu caponis & perdicis prius coctas cum ℔. j. iuris decocti permisceto, adiecta ℔. j. vini Rhenensis optimi, zacchari perlati ℥ iiij. cinnamomi selectissimi ℥ j. ponãtur omnia in poculo stricti orificij & in balneo Mariæ vulgo dicto ad horas aliquot lento igne coquantur, leniter deinde coletur clareti instar, & vsui reseruetur, sumebat autem ex eo omni manè cyathum vnum. Cæterùm 20. die Nouembris fluxus alui increuit, multaque purulenta excreuit. Prima fronte vnà cum Heydio existimauimus abscessum in liene fuisse perruptum: æquè tamen lien induratus permansit, neque detumuit vllis remediis aptis. ideo neque hoc ex abscessu lienis factum esse iudicauimus, quemadmodum paulò antea diximus. Interea fluxu perdurante & colliquante totum corpus (quod longo tempore satis aridum erat) hinc dysenteriam metuimus. Existimabat autem collega meus illud bonum esse indicium iuxta aphor. 48. Hippo. lib. 6. qui ita habet: Lienosis difficultas intestinorum superueniens bonum. Proculdubio bonum quidem est, modò euacuatio non extenderetur. sic Hippocrate deinceps dicente ac confirmante aphor. 43. præced. eiusdem libri: Quicumque lienosi à difficultate intestinorum capiuntur, iis superueniẽte longa difficultate intestinorum aqua inter

cutem

cutem, aut læuitas inteſtinorum aduenit,& moriuntur. Rationem addit Galenus, ſic ſcribens: Quicunque enim lienoſi ſunt, hoc eſt, qui durum habent lienem, iis ſuperueniens difficultas inteſtinorum, ſoluit diſpoſitionem, quando ſcilicet ratione tranſpoſitionis atque euacuationis humorum craſſorum ac melancholicorum lieni inſertorum euenerit. Sed quoniam ſæpius eiuſmodi euacuationes vltra modum extenduntur & noxiæ ſunt laborantibus, conuenienter Hippocrates quem finem habeat immoderata difficultas inteſtinorum oſtendit, quæ talibus aduenit diſpoſitionibus. læſis ſi quidem inteſtinis à tranſitu vitioſorum humorum, vt vis eorum laborat, & temperies natiui caloris aboletur. Ob hanc igitur cauſam & aqua intercutem, & læuitas inteſtinorum ſuperueniunt: læuitas quidem inteſtinorum, ex ſola inteſtinorum læſione: aqua verò intercutem propter hepatis compaſſionem & lienis, & omnis venoſi generis. Hinc factum fuit, cum duobus ab hinc menſibus egregius hic Penſionarius etiam fluxu ventris laboraſſet, eidem crura inflata fuere, maximè circa talum, & quanquam nunc iterum detumuiſſent crura, cùm ad extremam maciem peruenisſet, vt in vita hominem (quamuis prius quadratum & carnoſum) magis macilentum vix viderim. Et ideò cùm ad maraſmum peruenisſet, & fluxus iſte perſeueraret, finem potius, ac mortem ex eo, quàm ſalutem expectabamus. Si autem virtus conſtitiſſet, neque hectica tabida hic coniuncta fuiſſet, & deinde maraſmus: aliquo modo eiuſmodi purulenta deiectio vtilis eſſe potuiſſet, vt in monacha illa Alcmariana, quæ è regione domus ſagittariorum per tres annos in liene laboraſſet, multisque adhibitis tam intra quàm extra remediis, tan-

diis, tandem abscessum passa, purulenta per lotium excreuit vnà cum sanguine mulier admodum vetula, hinc ilicò liene detumescente,& decocto hordei cum melle rosato assumpto pro detersione, præter spem omnium nostra ope, diuino auxilio adiuuante conualuit. At noster hic Pensionarius licet purulenta per aluum excreuisset,nihil inde commodi subsequutum est, imò vires indies magis magisque deiectæ. Et ideo hic quoque fluxus totum corpus colliquans post lotiuum remedium seu absterssiuum restringẽdus erat, pulsu iam concidente, & viribus ad extremum collapsis. opus erat præsenti remedio in marcore, qui per se lethalis erat, idem etiam Cornelio Heydio medico doctissimo ac expertissimo collega meo sentiente. & sic communi consilio præscriptum est lotiuum medicamentum, cùm iam per sexdecim vices vna nocte aluum deposuisset. Deinde fluxu neque adhuc cessante, præcepimus quoque vt subsellium in lecto supponeretur, ne ex lecto se mouens æger animo deficeret,vt in hectica syncoposa fieri assolet. Absterssiuum tale erat. ℞ decoct. hordei non excorticati ʒ iij. syr. ex infus. ros. ʒ j. misce. Hoc epoto, mox aluum reddebat. Interea sequenti condito vtebatur continuò. ℞ conf. ros. antiquæ ʒ j. trocis. de carabe, de terra sigill. ana ʒ j. ß. cum syr. de portulaca q. s. fiat mixtura. Pultem quoque assumebat ex farina oryzæ, prius tamen parum torrefactæ & in puluerem redactæ cum lacte vaccino & oui vitello, ad aluum magis constringendam. Gelea quoque parabatur ex vino Rhenano, amygdalis dulcibus contusis & expressis, addito exiguo cinnamomo pro sapore, ichtiocolla adiuncta pro glutine, vt artis est. Cæterùm fluxu illo perdurante. 26. die Nouembris in ipso nouilunio(vt antea

antea prædictum erat) vir clarissimus marcore consumptus è vita discessit; adeò macie & squalore exiccatus, vt iã ante mortẽ verè cadaueroſus dici poterat.

SCHOLIA.

De duritie lienis & aliis symptomatis, quæ vnà cum febre hectica tabida in principio aderant, tum de iis quæ postea superuenerunt, nihil hic dicemus, cum propriis locis hæc declaranda sunt. Febris autem hæc erat hectica marasmodes cognitu quidem facilis, sed incurabilis, vt antea dictum est: nam hecticam in marasmodem transiisse signa apud Trallianum descripta satis declarabant, calore viuido in nigriorem & squallorem transmutato. Cùm autem huius tabidæ febris tres species existant, vna quam torridam marasmodẽ appellarunt: altera cui syncope admixta est; tertia verò marasmus est. Qui ex syncope marasmodes contabescunt, quia vires collapsas habent, iis vinum iuxta Trallianũ offerri debet, modò res vrgeat. Idem commendat testiculos gallinaceos & cibos qui stomacho & cordi vtiles sunt roborando, fructus pomaceos ob sitim: alij dant succum carnium, vinum granatorum ob syncopem, collaticia, consummata, destillata, instaurantia, oua sorbilia. Si aluus fluat lac biscoctum, cui lapilli candentes iniecti sunt. At torridæ tabi conueniunt, cùm ab ardentibus febribus maximè fiant, refrigerantia, intus adhibita, & extra admota. Vide varia & egregia medicamenta, quæ extrinsecus admouentur apud eundem Trallianum. At huius curatio facile ex suprascriptis habetur. Verùm in tabe, quæ à Græcis marasmos dicitur, humiditatem deperditam restaurare non licet: tamen ad præseruationem seu potius ad elongationem vitæ præceptor meus Benedictus Fauentinus cap. 20. De Marasmo in Empirica sua tribus modis ægrum conseruabat, nutrientibus, vt carne caponum, phasianorum, perdicum,

Quæ valent marasmodi ex syncope.

Torridæ tabi conueniẽtia.

Quæ conueniunt veræ tabi ac marasmo.

dicum, francolinorum, vituli lactantis iuuenis, cuniculi iuuenioris, hædorum, & similium, & iure carnium pinguium. Secundo per clysteres nutrientes, vt iuris capi aut alterius pinguis P. j. vitell. ouorum numero ij. zacch. albissimi ℥ j. ß. misce. Talibus clysteribus, vt refert Benedictus Fauentinus, marasmus curatur forte in principio, sed non vbi confirmatus est: quamuis scribat quoque Astarius Papiensis medicus eo modo se curasse virum nobilem Papiæ, nomine Augustinum de Biscossis. Tertiò per externa remedia, per balneum hoc vel simili modo. R. capones pingues, capita castratorum pinguium numero ij. pinguedinis castrati propè renes existentis P. ij. bulliant in s. q. aquæ pro balneo totius corporis vsq; ad carnium & capitum consumptionem, deinde colentur, & stomacho ieiuno marasmo affectus tinam ingrediatur, & immediatè post exitum balnei æger comedat modicum panis infusi in lacte ouillo calido, & deinde bibat lac, & leniter exiccatus vnctuositate adhuc in cute remanente lectum ingrediatur, moderatè calidum, seu potius tepidum ne sudet, ac superdormiat. Reliqua quæ sunt peragenda, exemplum sequens docebit.

OBSERVATIO X.

De vera tabe ac marasmo.

IVVENIS generosus annorum viginti nouem, præter rationem illius ætatis valdè melancholicus & siccus ad extremam maciem cùm deuenisset marasmo vero correptus est, qui à barbaris dicitur hectica senectutis. Hic autem Bononiæ, cùm ibidem operam medicinæ darem, decumbebat. Ad quem ego deductus vnà cum Elideo præceptore meo, medico exercitatissimo, & aliis medicis præstantissimis, qui eundem iuuenem quotidie inuisebant. Huic descriptum fuit balneum tepidum ex aqua simplici & oleo oliua-

oliuarum recenti: postea etiam cùm ditissimus esset, ex solo oleo puro, quia cutem aridam, siccam & supra modum squalidam habebat. Et ab ipso balnei exitu medici imperabant post leuem detersionem cum spongiis vel linteo molliore, vt statim comederet aliquid cibi nutrientis, vt vitella ouorum, vel panem albissimum infusum cum lacte caprillo: deinde vt lac etiam biberet iubebant, & quòd statim lectum ingrederetur moderatè calidum seu potius tepidum, sesèque ad somnum si posset componeret. nam somnus supra cibos boni nutrimenti maximè impinguat. Curabant etiam vt aër in quo æger decumbebat moderatè calidus humidusque esset ex natura vel arte ita paratus: cùm in curatione hecticæ senectutis omnia ad caliditatem mediocrem & humiditatem maximam declinare debeant, ita quoq. & cibus parum calefaciens plurimumque humectans commendatur. Vnicè quoque cauebant, ne vigiliam, inanitionem, famem, situm, motum sustineret, nec iram, imò vt bene speraret de salute iubebant. Subinde tale quid nutriēs dabant, quod & Benedictus Fauentinus præceptor meus quoque vti solebat. ℞. lactis ouilli, vel caprilli, vel vaccini P. j. vitella ouorum numero tria, vini albi dulcis ʒ iiij. agitentur, & ad lentū ignem coquantur semper commouendo ne vitella nimium densentur. pro cibis medicamentosis eitam vtebantur zinzibere recenter condito, radicibus iringij & satirionis conditis, nuce myristica viridi, & amygdalis dulcibus viridibus conditis. Iniiciebant aliquando clysteres nutrientes & totum corpus inungebant oleo amygd. dul. Deducebant quoque iuuenculam nutricem pulcherrimam, octodecim annorum, temperaturæ sanguineæ, bene comptam & ornatam in

cubiculum ægrotantis, quæ delicatè, molliter ac lautè nutriebatur, cibis nempe calidis humidisque & valdè nutrientibus, è cuius mammillis etiam post exitum balnei manè lac sugebat, etiam vesperi cùm non balnearetur, & nocte, cum qua etiam dormiebat, vt ita ad libitum lac sugere posset. Postquam verò hic iuuenis aliquo modo restaurari cœpisset, illo ipso narrante (medicis præsentibus, quod & ego audiebam) quod ex tactu papillarum ad Venerem incitaretur, ita vt membrum virile (quod hactenus languidum & emortuum fuerat) nonnihil erigeretur. Medici sagaces hoc audientes statim imperarunt, ne nutrix apud illum amplius dormiret, ne fortè in Venerem procliuior inter amplexus fatigatus, sibi ipsi mortem intulisset. Nam in marasmo nihil æquè detestandum, quàm coitu vti, aut Veneri indulgere, quæ supra modum exiccat, & subitò vires deiicit. Admiserunt tamen vt ex vbere seu mammillis lac adhuc subinde sugeret, interea prohibebant concubitum cum nutrice. Et quod dictu mirum est, hanc victus rationem probè ac diligenter obseruando, ac diu in ea persistêdo, paulatim restaurari cœpit, & conualuit.

SCHOLIA.

Quare dicitur hectica senectutis, & quid sit.

BARBARAM sectantes medicinam marasmum seu tabem veram, hecticam senectutis appellant. Constat autem quod hæc ægritudo non sit febris, sed ob similitudinem nominis & dispositionis, quæ consistit in extenuatione, consumptione, arefactione corporis, ad febrem hecticam refertur, & ideo ab Auicenna sub sermone febris hecticæ collocatur. Est enim hectica senectutis nihil aliud, quàm complexio frigida & sicca cordis & totius corporis, ex qua fit habitus macilentus, rugosus, pallidi coloris vel plumbei, quem-

quemadmodum euenit in corporibus senum per naturam, & ob hanc causam hectica senectutis dicitur, ab aliis verò marasmus. Fieri potest per se, sed rarius, cùm ferè semper consequatur alias ægritudines & præcipuè diuturnas, idq; potißimum circa declinationem, eò quòd tunc adsit sanguis exiguus, & defectus caloris naturalis ex morbo præcedente. Si autem fiat per se, id euenit ob frigiditatem cordis naturalem, & hepatis siccitatem, præcipuè melancholicis per naturam, vel ob victus rationem, ætatem, ex solicitudine perdurante. Nam in his duobus membris vis naturalis perficitur & vita conseruatur, quemadmodum contigit Sinuæ, apud Gal. 5. De Locis aff. sine causa manifesta, extenuatæ, donec morerentur, vt in anatomia eiusdem apparuit, omni humiditate in capsula cordis seu pericardio consumpta. Si ex aliis morbis procedat, maximè fit ob stomachi debilitatem assiduam & inteſtinorum & venarum mesaraicarum, cùm non fiat digestio. Etiam fit post febres marasmodes. Cauſæ.

Signa verò hecticæ senectutis in communi hæc sunt. habitus macilentus, perdurans, squalidus cum calore fœdo, & virtute debili præter solitum manifesta, modò cum appetitu, modò cum deiectione eiusdem. Et vbi adest stomachi frigiditas & virium debilitas propriè ad cibi fastidium accedunt. In marasmo siue febre teste Gal. 4. De Caus. puls. cap 10. Pulsus est paruus & rarus, Auicenna addit, quod etiam sit tardus, quibus iungitur arefactio & exiccatio totius corporis manifesta, neq; adest calor, cùm vt plurimũ frigidi reperiantur & exangues si tangantur, & sunt in dispositionibus suis vt decrepiti. Alij his signis coniungũt vrinã aquosam, albam, subtilem, ob calidi natiui extinctionem. Signa demonstratiua.

Signa distinctiua, vtrum per se incipiat, vel alios morbos cõsequatur, ex ægri sermonibus habentur, ex stomachi debilitate, coctionis priuatione & morbis diuturnis præcedentibus, vt febre quotidiana, quartana, vel aliis. ità & causæ primitiuæ Signa distinctiua.

facile ab ægris distinguuntur, vtrum præcesserit aquæ potus frigidæ, stomacho existente ieiuno & debili, vel post exercitium immoderatum virtutem debilitans & poros aperiẽs, & calorem naturalem resoluens. qua ratione aqua epota ad viscera attrahitur, totum corpus refrigerans, & calidum innatum extinguens: vel præcessit nimia caliditas resoluens, aut aëris, aut alterius liquefacientis humiditates substantiales corporis: ita vt calor naturalis resoluatur, & debilitetur; imò destruitur & in eius locum subintrant frigiditas & siccitas. Causæ antecedentes, vt debilitas caloris naturalis & virtutis nutritiuæ facile cognoscuntur ex temperie hepatis, cordis, ventriculi, & membrorum nutritiuorum. Et causa coniuncta ac mala temperies frigida prædominans facilè innotescit ex macie & constitutione senum decrepitorum. Et si præcesserint potus, medicamenta, emplastra, quæ in febribus extinxerũt calorem natiuum, facile & hæc ex prægressis causis venantur. Prognostica huius mali talia existunt, nempe hecticam senectutis fieri ante annum 18. & post 35. contrario modo hecticæ febris. Cùm enim ante 18. annum humidum radicale plurimum sit, cui nondum accidit diminutio, de qua curandum sit: quare calidum naturale remanet oppressum, ad quod deseruit plurimum humidum influens nutrimentale, & maximè in pueris galosis. Sed post 35. annum, qui terminus est perfectionis & consistentiæ, diminuitur humidum radicale, & à calore depascitur. quare deficiente pabulo, deficit & calor naturalis, & sic melancholicis, vt dictum est, magis accidit, & morbis diuturnis. Quare diligenter in his morbis chronicis, & cùm in declinatione fuerint ægrotantes, tractandi erunt, ne hecticam senectutis incurrant. Est etiam hectica (vt quidam referunt) senectutis, tardioris terminationis ad mortem, citioris ad salutem. Cuius contrarium in hectica febre reperitur. Tamen, vt ait Auicẽna, huic ægritu-

Signa prognostica.

ægritudini, postquam est confirmata, nulla ei debetur curatio. Si enim curari posset, mors etiam curaretur, vt 1. Fen. 4. cap. proprio explicauit. Interea refert Bertrutius medicus insignis & suo tempore professor Bononiensis, huius tres quoque gradus esse, quemadmodum hecticæ: Primum cognitu difficilem, ac facilioris curationis. Secundum è conuerso. Tertium curationem non recipientem, quemadmodum nec senium naturale curari potest. Quæ itaque multo tempore extenuantur corpora, teste Hippocrate, tardè reuerti consueuerunt: quæ breui, breuiter. Methodus verò curandi consistit in humectatione, in moderata calefactione, in balneis, in cibis restaurantibus, vnguentis humectantibus, eodem modo vt in hecticis febribus: nisi quod hic moderatè calefacientibus quoque opus sit, & quæ impinguant præcipuum locum habent, qualia apud authores scribuntur de arte impinguandi. Valent & ea quæ sanguinem & semen augeant, vt diasatyrion, & quæ ad coitum diminutū conducere scribuntur. Vnde & æger à coitu, forti exercitio, labore, vigiliis, ira, sollicitudine, à salsis, exiccantibus, & ab aromate abstinere debet. Et quia membra deficiunt, quæ nutrimentum conficiunt, ea ipsa, vt stomachus & hepar, roborandæ erunt cum linimentis. Et pectus butyro inungendum vel dialthea, ad quam aliqui postremò accedunt. Ius capitum & pedum arietis, ouium, caponum, gallinarum tam intra quàm per enemata iniectum, quidam ad ℥. ß. vel ℥. j. pro nutritione insequentes vestigia Auicennæ iniici iubent. Alij hic quoque commendant frictionem, & lac cum melle, quamuis mel hecticis aduersetur: hecticæ tamen senectutis, & decrepitis egregiè confert, & iis, qui paulatim marcescunt. Valet egregiè & hoc restaurans. ℞ phisticorum ℥ ij. zacch. optimi ℥ vi. cum aqua ros. fiat ad modum pineolatæ. qua pineolata seu restaurante felicissimè vsus sum anno 1562. in nobilissima matrona de Burch, matre Domini

Curatio.

Vide Bertrutiũ tract. 4. lib. 2. cap. 8.

Cornelij Suzij præsidis Hollandiæ, in muliere annorum ferè septuaginta, cùm ex diuturna febre post aphthas ad marasmum ferè peruenisset, quæ & magna nostra diligentia, atque ope diuina ab eiusmodi malo euasit. Vsus huius præcipuus est in consumptis & exhaustis ex morbo longo, marasmo laborantibus & senibus ad marcorem deductis.

OBSERVATIO XI.

De hectica febre, cui postea putrida accesit; prius quasi ex continua febre orta.

CATHARINA Iacobi, vxor Ioannis Steenhusij Alcmariani, mulier valdè procera, sed macilenta, nigriuscula, supra modum melancholica, collo gracili, & angusto pectore, quales verò in phthisim plerumque labuntur, de qua & metus erat ob tussim validam quæ aderat, quamuis ea tussis siccior erat, vt purulenta non expectoraret. Hæc cùm triginta annorum esset, mense Octobri anno 1554. in febrem quasi continuam incidit ex materia bilioſa & pauca pituitosa, accedente tandem ad melancholiam adustam. cùm enim in autumno essemus, tales humores plerumque aduri solent. Cùm autem aliquot diebus decubuisset, nec medicum ad se vocasset (commune vitium hoc patriæ est & aliis multis vt de sua sanitate negligentiores homines, medicum peritum tempori non aduocent) tandem ad hecticam primæ speciei deuenit, cui & febris putrida admixta erat, quæ tertio quasi die magis affligebat. Cùm in principio nulla adhibita erant remedia, medico neglecto, tandem viribus omnino prostratis me vocauit, cui & tunc aderat ventriculi imbecillitas, cruditas, & pectoris quædam angustia. Cumque ob putridam febrem admixtam purgatione opus esset, tamen initiore, tam ob

vires

vires labefactatas, quàm ob hecticam adiunctam, prius ad apertionem & coctionem humorum decocta præscripsimus, ex vngula caballina, foliis viol. hordeo mundato, hyssopo, & herbis capillaribus ex sem. anisi & se. 4. frig. maior. vuis pass. iuiub. sebesten, & similibus pectoralibus ob tussim: colaturæ zaccharum adiecimus pro sapore delectabiliori. Postea & huic decocto, idq. in sero lactis aliquid senæ & rhabarbari adiecimus, vt quotidie semel ex eo acciperet, prout aluus soluebatur. Deinde linctu sequenti præscripto. ℞ syr. viol. iuiubini ana ℥ j. ß. lotij de pino ℥ ß. amygdal. dulc. macerat. in aqua vngulæ caball. depilatar. & contus. numero 1x. syr de liqui. ℥ ß. zacch. penid. ʒ ij. misce pro linctu. Pectus hoc vnguento inungebatur. ℞ olei amygd. dul. vng. nostri pectoral. ana ℥ ß. olei viol. ℥ j. muccaginis, altheæ extractæ cum aqua vngulæ caball. ʒ ij. ceræ albæ modicum, fiat vnguentum. Hepar & renes inungebamus vnguento ros. loto cum aqua rosacea. Pro roboratione. ℞ spec. trionsantal. diarod. abb. spec. diadr. frig. ana ϑ j. dissol. in aqua vng. caball. adiecta ℥ j. ß. zacch. albiss. fiat confectio in rotulis. Atq. istis subinde reiteratis vtcumque ab hac febre conualuit, etiam ab hectica: cum vteretur victu humectante & refrigerante, ita vt me deinde demiserit. Cæterùm post octo menses passa est recidiuam, & in hecticam multo grauiorem prolapsa est. Verùm præstiti beneficij immemor illo tempore me non vocauit, quod potius pro signo inconstantiæ habendum, cùm id sæpe fieri solet, quàm pro signo ingratitudinis. ægroti enim véto mobiliores modò ad hunc, modò ad alium medicum arundinis instar, vel aliorum persuasione feruntur: quamuis tamen præstat habere domesticum,

cuius

cuius opera rectè aliquando vsi sunt, quàm alienum. Cum igitur medicum aliunde vocasset, quo longo tempore vtebatur, melancholica & macilenta quotidie magis magisque euasit, ac tandem ad tabem deuenit, qua etiam postea extincta est.

SCHOLIA.

DICTVM est prius quod hectica cum erisypelate, phlegmone, aut cum putrida febre adiuncta, aliter curatur, quàm si simplex hectica esset. Simplex enim purgationem non requirit, putrida verò eam exigit, quamuis leuem. exempli gratia accipiendo mannæ selectæ ℥ j. elect. de succo ros. ʒ j. ß. vel ʒ ij. Obstructiones hic quoque aperiendæ sunt, calefacientibus quidem, sed non valdè ob exiccationem: Et ideo si non sitiant ægri, tamen cogendi sunt vt sæpius bibant, ne calore alieno humor naturalis absumatur. Diligenter quoque obseruandum quam speciem febris putridæ imitetur: Si tertianam, dabimus syr. ros. solut. cum aqua viol. capill. Ven. end. vel iubebimus fieri decoctum ex thamarindis sebesten. quat. se. frig. in quo dissoluemus rhabar. vel infundemus in aqua end. & cum syr. ros. laxat. vel syr. viol. & ita dabimus infusum. Concoquemus materiam syr. capill. Ven. de end. & fumaria simpl. cum syr. viol. Et apertis obstructionibus potest exhiberi medicamentum ex supradictis. Quod si accessio diuturnior fuerit, in declinatione cibum dabimus, vt ius pulli vel cremorem ptisanæ, etiam his qui non sunt liberi à febre, vt docet Gal. De Picrocholis 9. Meth. ne scilicet eorum corpus exiccetur immodicè. Cibus autem extinguit acrimoniam bilis, modò sit eiusmodi vt non facile mutetur in bilem. In quotidiana damus ius antiqui galli confarcti sem. carthami. passulis ana ʒ j. se. anisi ʒ ß. cum ℥ saccharo vel manna. Syrupi concoquentes esse poterunt capill. Ven. hydromel. de byzantiis. Et

Ratio habēda cum quibus putridis febribus hectica misceatur.

tiis. Et concocto humore addi potest duplex pondus carthami. Si ad fortiora transeundum febre non cessante, viribus admittentibus ad infusum agarici in aqua viol. procedere licet, adiecto melle rosato. In quartana quidã hic commendant decoctum mercurialis ficlæ in iure galli pinguis, adiecto polypod. querc. Et coquatur materia cum syr. viol. de fumaria simpl. borag. bugloss. De his si libeat plura videas apud Rondeletium capite proprio de hectica cum putrida. Sed hic à lacte tum balneo abstinendum, vti & antea mentionem fecimus.

OBSERVATIO XII.

De hectica febre cum quartana continua eáque lethali.

MATRONA nobilis etiam splenetica, Hagana, phthisi correpta, non diu pòst in hecticam febrem incidit, cui tandem in fine etiam admixta fuit quartana continua, quarto die magis affligens, ita vt omnino tabida euaserit. Hanc medicus optimè tractabat: ad quam & ego post aliquot dies, cùm diu laborasset, accitus fui. cui varia remedia præscripsimus & inter reliqua & hanc pullam, qua præceptor meus Benedictus Fauentinus in phthisi vti solebat. ℞ hordei mund. ʒ iiij. amidi, gummi, tragacanth. ana ʒ ii. infundantur per noctem in aqua vngulæ caballinæ: manè sordities quæ superius natat amoueatur, deinde aqua coletur leuiter, & crassiora pullæ insuantur, & coquatur adiecta aqua colata & aqua communi, bulliatque ad putrilaginem, donec ab ossibus caro decidat. deinde facta forti expressione ipsius pullæ ius reseruetur, & dentur huius ʒ iiij. vel minus cum ʒ j. ß. syr. de liquiritia. Sed ipsa melius delectabatur absque syrupi mixtione. & ideo postea syrupum per se dedimus.

dedimus. Præscripsimus quoque decoctum ex vngul. caball. scabios. capill. Ven. ceterach. scolopend. viol. pimpinella, bethonica, flor. cord. hord. mund. se. 4. frig. maior. iuiube, sebesten & similibus, colaturæ addendo syr. conuenientes, viol. fumariæ simplicis & de iuiubis. Purgauimus cum ʒ vi. cass. recenter tractæ & diacatholici. ʒ ij. in bolo. pectus inunximus oleo amygd. dul. buty. recenti loto in aqua vngulæ caball. Ceratum lieni applicuimus ex ammoniaco dissoluto in aceto sambucino & cocto ad consumptionē aceti, olei de cap. amygd. amar. ping. anseris, caponis, cera adiecta. Capiti ad catharri suspensionem sacculos capitales ex mastiche, olibano, ros. siccis, bethon. se. mirtillor. maiorana, macere, caryophyllis & santalis composuimus. Pro phthisi cōtinuò dedimus conseruam ros. & zaccharum ros. quibus Gordonius dicit Auicennam curasse mulierem à medicis deploratam, cui funeralia apparata erant. Præterea vsi sumus pilulis sub lingua, puluere halij de regali dispositione, quo monachus à Valesco (vt aliàs diximus) curatus fuit, cui sputa in refectorio adeò fœtebant, vt alij in mēsa eidem adesse non poterant. Cuius hæc est descriptio. ℞ papa. albi ʒ x. gummi arab. tragac. amygd. ana ʒ iij. se. portulacæ, altheæ, maluæ ana ʒ v. sem. cucum. cucurb. citrulli, cidon. mundat. ana ʒ vii. spodij, succi liquiritiæ ana ʒ iij. penid. ad pondus omnium fiat pul. Valescus & halij dabat omni die ʒ ij. cum syr. de pap. vel iuiubini. At quartana illa continua tandem minus apparebat, quanquam febris ipsa magis tabida fieret, & tunc quoque hoc ius restaurans præscriptum est. ℞ caponem mundatum, vt decet abscissis pedibus, capite & collo in minutas partes concisum, addendo conser.

ros

ros. huius anni ℥ j. ß. cons. borag. ℥ ß. zacch. viol. manus christi cum perlis ana ℥ j. cinna. electi ʒ j. ß. aquæ vngulæ caball. P. ß. vini Rhenensis optimi ℥ iij. bulliant in balneo mariæ, vt vulgo vocant, vel maris ad horas x. per colum deinde transfusa & expressa, fiat ius restaurans. Cùm alui fluxum metueremus, eclegma sequens in officina paratum fuit. ℞ conser. ros. ℥ j. amygd. dul. recentium depilatarum & maceratarum in aqua rosacea, deinde contusarum ℥ j. ß pinearum recentium macerat. in aqua vngulæ caball. ʒ ij. conser. boraginis ʒ ij. ß. syr. de liquir. iuiubini, myrtini ana ℥ j. misce, fiat linctus. optimè contulit. At post mentem tabe confecta cum remedia non iuarent, incidit in alui profluuium, cui tamen statim resistebamus, quamuis nullo modo restringebatur, cum eiusmodi profluuium (vt iam sæpius quoque diximus) lethale sit: ita & hæc quoque paulo pòst mortua est.

SCHOLIA.

HARVM febrium quemadmodum & aliarum ægritudinum diuturnarum molestæ admodum sunt visitationes, cùm medici licet peritißimi frustra quoque laborent in earum curationibus, quamuis tamen lucrosæ videantur, ob crebras & longiores ingressiones sine honore, licet molestia ipsa quam medici sustinent, lucro compensetur. Et quanquam tales ægrotantes rarò vix aut nunquam euadant, pium tamen esse censetur vt eos nequaquam negligamus, vel statim pro deploratis relinquamus, etiamsi nihil aliud præstemus quàm quod symptomata saltem mitigemus, quæ hecticis magna ex parte obuenire solent: vti est syncope, virium deiectio, fluxus alui, præter ea tum aliàs febres putridas quæ hecticæ misceri possunt: qualia sunt erisy-

erisypelas, inflammatio, phthisis, tussis, catharrus & alia multa quæ hecticæ curationem inuertunt, vti & vlcus pulmonis: quæ inquam omnia curanda sunt, hectica non neglecta. Sauonarola quando loquitur de accidentium seu symptomatum oborientium correctione in hectica: quatuor symptomata præcipua enumerat, fluxum vētris, constrictionem eiusdem, immunditiem corporis ad putredinem præparatam, syncopem. Quantum ad primum accidens, fluxum alui etiam cum hectica patiebatur, & vnà cum phthisi: qui fluxus non minus in phthisi quàm hectica lethalis est. arguit enim imbecillitatem facultatis retentricis, & totius corporis colliquationem, & si perduret, ægrotantem interficit. Talis autem fluxus curatur frigidis & astringentibus, alimentis crassis, vt oryza, pulte farinacea & similibus: & quæ exterius admouentur, astringendo roborare debent & aliquatenus refrigerare, præterquam in lyenteria, in qua modicè calefaciendum. Si itaque in hectica venter fluat, non est amplius danda aqua hordei sola, sed eius loco aqua milij excorticati & parum assati, cum pauco puluere gummi arab. quemadmodum Serapio Auicennam exponens intelligit. Sed cùm non sit in vsu, teste Sauonarola, eius loco danda aqua cisternæ vel putealis in qua extincta sit chalybs ter quatérue, vti exigit dispositio, vel aqua myrti aut coriandri. Et lac si sit exhibendum, idem debitè coctum sit cum aliquo puluere constringente, vel cum trocis. de spodio descript. Auic. qui in hoc casu maximè commendantur. Secundum accidens erat in hectica ventris stipticitas, qua corrigitur lenientibus medicamentis, vel manna, vel decocto prun. thamar. Tertiū erat immunditia corporis à materia ad putredinem præparata: & ita si contingat hecticam commisceri cum putrida febre, hæc ipsa curanda erit, hectica non neglecta: tunc aluus medicamento leuiori repurganda, cum manna, cassia, syr. ros. laxat. decoct. myrob. infuso

Symptomata, quæ cum hectica coniunguntur, quomodo corrigantur & curentur.

Fluxus alui quomodo in hectica curetur.

Quibus subtilitas ventris in hectica corrigitur.

Corporis impuritas quomodo in hectica tollenda.

rhabar. Quartum symptoma, maximè verendum, erat syncope, in hac febre, ob virium extremam debilitatem, ex qua sequitur extinctio caloris natiui. quomodo hæc curetur dictum est prius cùm de marasmo syncoposo diximus, in quo vinum, testiculi gallorum, fructus pomacei commendantur, vt ad longum docet Trallianus lib. 12. cap. 5. de marasmo ex syncope. Hæc ipsa omnibus modis amouenda est, aspersione aquæ, leui frictione ad diuertendum, assumptione vini. A leuamine ouum sorbile dandum, medulla panis cum vino paucifero. vel dabimus, vti Auicen. facit, aquam carnis cum salis exiguo, vinum granatorum: quæ tepida danda sunt, vel vinum odoriferum cum aqua rosacea. nos verò magna cum vtilitate nunc damus aquam cinnamomi. Si ex fluxu fiat syncopis exhibendum gummi arab. bolus ar. syr. myrtinus. Et vbi à syncope metus est, commodè administrabimus vinum granatorum, margaritas, semen acetosæ & alia cordialia, & vtemur potionibus frigidioribus, alimentis solidioribus, subtepidis, iusculis carnium alteratis cum oleribus frigidis, humectantibus, modò non adsit fluxus. potu aquæ zaccharo instillato & viribus infirmis, expressionibus, colaticiis, destillatis, instaurantibus. Eodem modo, si & alij affectus adfuerint, tollendi erunt, vt erysipelas, inflammatio alicuius visceris; vnde vel febris ardens & deinde hectica accedens vel admixta, horum remedia ex propriis locis petenda. Et si cum hectica vlcus pulmonis aut alterius fuerit, id prius curandum hectica minimè postposita. Si cum putrida misceatur vel cum aliis febribus, vt in ista matrona, tunc ad febres compositas pertinet, & de ea quoq; hectica, tum de illa quæ cum quotidiana permiscetur atque latica, dicetur libro sequenti, in quo ex instituto de omnibus febribus cõpositis tractabimus. Et quod ad symptomata attinet harum febrium, his dictis non solùm corrigenda veniunt, verùm etiam iis, quæ in propriis capitibus declaran-

Syncope in hectica quomodo sananda.

tur. Cæterùm cùm in septimo libro harum Obseruationum de febribus, de omnibus symptomatis omnium febrium agemus, quæ hic nunc deesse videtur, clariori sermone explicabuntur. Et sic totum tractatum de hecticis febribus absoluimus, & ea omnia quæ ad hecticas febres pertinere videbantur. Reliqua verò ad hanc rem faciẽtia quiuis colligere poterit ex libris Galeni De Sanitate tuenda, ex libris De Diff. febrium, & quod ad curationem quoque attinet ex libris Methodi medendi, & ex libello De Marasmo. Nunc tempestiuum est vt hunc librum quartum finiamus, & ad quintum de febribus compositis transeamus, postquam de tribus generibus præcipuis febrium simplicium egimus, quæ in spiritibus, in humoribus, in partibus solidis fomitem suum habuerunt.

FINIS LIBRI QVARTI
DE FEBRIBVS.

OBSERVATIONVM ET CVRATIONVM MEDICINALIVM,

DE FEBRIBVS COMPOSITIS, LIBER QVINTVS:

PETRO FORESTIO ALCMARIANO, MEDICO, AVCTORE.

OBSERVATIO I.
De febre duplici tertiana.

CVM in æstate anno 1556. duplices tertianæ & semitertianæ populatim grassarentur, quasi contagione integras familias subinde occupantes: inter reliquos Alcmarię decũbentes, vbi tunc praxim adhuc exercebam, Bartholdus Simonis, zythepsa, cognatus meus, Alcmarianus, in platea (vulgo Houtil dicta, à loco vti arbitror, in quo olim ligna venditioni exponebãtur) habitans, vir obesus & satis pituitosus, attamen plethora vtcunq. affectus, non solùm in duplicem tertianam incidit, verùm & vxor eius eadem febre correpta est, deinde & tota eius familia, pueri inquam & famula, à qua omnes euasere nostra industria, Deo Optimo Maximo opem præbente: quamuis vxor postquam sanata esset, nimium citò sese aëri committens Amstelrodamum profecta, ibiq́ue ad tempus agens circa præcordia denuò dolere cœpit, vtens deinde nescio quibus muliercularum remediis, in quartanam postea incidit, per totam hyemẽ perdurantem. At omnes alij

à tertiana duplici curati, nihil mali amplius passi sunt. Cæterùm quomodo duplicem hanc tertianam vt loco exempli aliorum sit, in Bartholdo curauerimus, paucis referemus. Quotidie autem typum tertianæ febris experiebatur, licet secundo die febris semper vehementior foret præcedente, atque ea ipsa quæ magis affligebat, purior cernebatur: altera verò minus vehemens tertianam notham magis imitabatur, bile tamen pituitam superante. Huic verò cùm in fine mensis Iulij in febrem incidisset primò præcedente ventris lenitione per bolum ex cassia concinnatum, hunc syrupum subsequentem pro materiæ coctione propinaui. ℞ syrupi acetosi simplicis syr. de end. de cicor. nicoli. cum rhab. ana ℥ j. aquar. end. cichorij, fœniculi ana ℥ ij. misce pro duabus dosibus. deinde reliquis duobus diebus subsequentibus hic syrupus quoque reiterabatur. Sed quod ferè omiseram, post exhibitam cassiam, die scilicet quo mitius febricitabat, sanguinem ex vena basilica, vrina rubra existente, & plethora satis apparente, ad vncias ferè sex detraximus: plus detrahere sanguinis vtile non videbatur, cùm satis pituitosus & crassus esset. Deinde verò post digestam materiam per syrupos, hoc pharmaco eundem purgauimus, tempore etiam maioris quietis. ℞ diacatholici ℥ ß. diaprunis simplicis seu lenientis, cassiæ recens extractæ ana ʒ ij. electu. de succo ros. ʒ j. ß. dissolue cum ℥ iij. ß. aquæ bugloss. fiat haustus. quo medicamento sexies aluum deiecit, ac multa biliosa & quædam pituitosa excreuit, leuamine haud exiguo subsequente. At cùm vigiliæ ægrum vrgerent, tempora sub noctem vt inungeret subsequenti oleo mandaui. ℞ olei papau. nenuph. ana ℥ ß. misce. vtebatur & hordeato. Mox ad roborationem capiebat

ʒ ij. ex

℥ ij. ex tabulis specier. diarod. abb. & supradictis remediis, optima victus ratione adhibita, à febre liberatus est. sed cum tussicula remanebat, pro ea depellenda hoc lambitiuo cùm continuo vsus esset, probè conualuit. ℞ conserue viol. boraginis ana ℥ ß. diad. frig. ℥ vi. syr. de liquiritia ℥ ij. syr. iuiubini, viol. ana ℥ j. misce fiat ecligma.

SCHOLIA.

OMNIBVS *febribus simplicibus in quatuor libris præcedentibus enumeratis, in hoc quinto libro agemus de compositis. Compositas autem febres quidam vario modo diuidunt, alij in confusas & implicitas, & sub confusis etiam nothas febres ponunt: & quanquam hæ seruant suos periodos, licet ex mixtione fiant, eas tamen nos sub febribus simplicibus posuimus. Et sic tertiana simplex alia legitima, alia spuria. Spuria autem quamuis humorem mixtum habet, tamen periodum tertianæ obseruat longiorem, & sic quantum ad humorem, composita est, quantum verò ad periodum simplex. & hæc quoque à Fernelio inter confusas febres ponitur. At compositarum aliæ sunt ex simplicibus febribus, vt duplex tertiana, ex duabus accessionibus tertianis, triplex ex tribus. Quotidiana ex duabus quotidianis vel tribus, sed rarò. Quartana duplex fit vel triplex. Compositæ ex diuersis febrium differentiis, vel ex continuis, vel diuersis intermittentibus fiunt, vel ex continuis & intermittentibus, vt in hæmitriteo de istis omnibus dicemus. Erratica verò cùm simplex sit, inter simplices eam numerauimus. Fernelius diuidit compositas in confusas, quæ ita permiscentur vt simul incipiant simúlque desinant: quas fieri ait ex diuersis humoribus eodem loco permistis atq; confusis, pariterq; putrescentibus: at nullam seorsum inter se cognosci posse, neque vllam simplicem ac puram elucere, earúmque*

Compositæ febres vario modo diuiduntur.

Ex simplicibus febribus febres compositæ.

Compositæ ex diuersis febrium differentiis.

signa ob hoc confusa esse. Implicitas quoque refert diuersis locis incipere, diuersis desinere atque harum vnamquamque seorsim consistere propriamq; essentiam habere, quamquam accessionum partes quædam in tempus idem concurrunt. Fiunt ex diuersis humoribus in eodem loco positis, sed quorum sit sua cuiusque sedes, sua essentia, suusq; motus. Harum vnamquamque tanquam seorsum atque solitaria consisteret, minimè arduum fuerit propriis signis internoscere. Confusas compositas si admittamus, tunc continua cum continua tantùm confunditur, & nō implicabitur contra Auicennam. Implicantur verò intermittentes sibi inuicem cum altera vel cum diuersi generis. Ex similium generum implexu, vt duplex quotidiana, cùm indies accessiones duæ typis definitæ contingunt, quod admodum insolens est. Duplex tertiana frequentior, cuius accessiones quotidiè fiunt, sed nec pares, nec iisdem horis: quæ diebus imparibus fiunt ferè similes inter se sunt, atq; iis dissimiles, quæ in dies pares incidunt. à simplici ferè initium habet, cui deinde altera accedit. At huic cereuisiario à simplici non fuit orta, sed statim duplex inuasit. ita fit & triplex quartana, & triplex tertiana, sed rarius; duplex frequentior. Has omnes à quotidiana typus distinguit, quod sint quotidianæ similes inter se accessiones, harum verò dissimiles, & signis propriis interea distinguūtur. Quæ ex dissimilium generum implexu fiunt, rarius intermittentes cum intermittentibus implicātur: si id contingat, paucis vix diebus animaduerti potest. at intermittens aliquando cum continua iungitur, vt tertiana intermittens cum continua, atq; hæc à tertiana continua distat, quod huius exacerbationes sine rigore horroréue præhendant, nulloq; sudore inclinent: In illa verò contra à rigore incipiunt inclinantq; cum sudore: nec tamen vt in intermittente sudorem sequitur integritas, sed alterius continuatio. Huius generis est semitertiana con-

Semitertiana.

tinuæ

tinua quidem ac minimè intermittens, vno die cum horrore inuadens, hincq3 grauius increscēs affligensq3, altero autem lenius. Constat enim ex tertiana intermittente & ex quotidiana cōtinua: vnoq3 die duas accessiones habet, altero vnicā. Si pares ambo sunt humores, exquisita fit semitertiana: si verò bilis exuperat, ardentior fit & tertianæ magis affinis. in pituita mitior magisq3 quotidianæ particeps. Quotidiana intermittens si quando tertianæ continuæ iungatur atq3 implicetur, semitertianam quoque efficiet, eamq3 exquisitam & nunc dictæ persimilem, si humores ipsi æquales concurrant: non exquisitam verùm, exuperante eorum alteruro. Sed de his aliàs seorsim dicemus. malè Gordonius, alio- Gordonius.
qui prudens & doctus medicus hepialem febrem compositam febrem esse dixit, vt ad longum ostenditur à Rondele- Rondeletius.
tio, qui & compositas febres eiusdem generis vel diuersi optimè distinguit. Eiusdem verò generis in continuitate, vel intermissione materiæ, vt duæ febres continuæ simul infestantes confusæ, febrem faciunt compositam, vt causos synochidos. Quantum ad intermittentes, vt duæ intermittentes iunctæ compositam faciunt eiusdem generis & materiæ; vt duæ tertianæ, duæ quartanæ, quotidianæ, ambo sunt intermittentes. Si ex eiusdem generis intermissione & materia, duplices dicuntur. si vna accessio vni addatur: triplices, si duæ vni. Ita fit vt omnes in vna periodo vel interuallo fiant, & sic sunt duæ quotidianæ, cum intra viginti quatuor horas duæ accessiones cum frigore fiunt. Tertianæ duplices, cùm tertio quoq3 die duæ accessiones fiunt cum rigore & vomitu bilioso, & soluuntur sudore. Triplex, si tres sunt, vt docet Gal. 2. De Cris. qualem se nouisse secundæ die gloriatur. Triplex quartana facilius cognoscitur, quàm tertiana triplex, quia plus temporis intercedit. Verùm & quotidiana accessionem quotidie facit. quod iis imponit, qui ex circuitu febrem distinguere volunt, non ex natura febris

& accidentibus. Ideo vulgus medicorum ridet Rondeletius, qui neque has neq; continuas confusas cognoscere valeant, & etiam eas quæ ex diuersis generibus componuntur tam ex intermittentibus per se, vel ex intermittentibus & continuis. de quibus omnibus ad longum videas Rondeletium De Curandis febribus capite proprio de compositis, mixtis & confusis febribus. quibus omnibus quòque adiuncta est tabula egregia cum eiusdem explicatione, in qua iuniores sese exercere possent vt etiam vltimam speciem febris inuenire sciant, vt citius eandem propulsent, neque satis esse putent se bene respondisse decumbentem ex febre laborare, si interrogetur, quasi vnum genus febrium esset. Verùm res clarior exemplis euadet.

OBSERVATIO II.

De tertiana duplici in quibusdam pueris oborta.

EODEM anno 1556. mense Octobri pueri ac domestici Theodori Teylingij sororij mei, omnes in tertianam duplicem inciderunt. His aderant dolor capitis intensus, vomitus bilioſus, amaritudo oris, quotidie cum leui rigore febres inuadebant, & cum sudore declinabant vna die quidem grauius, altera die leuius accessiones fiebant. Vrinæ omnibus tinctæ erant. Astantes & vulgares iudicabant pueros febre quotidiana laborare, quamuis statim eas duplices esse tertianas cognoui. Quibus pro ventris lenitione statim exhibuimus ℥ ij. syr. rosacei solutiui. paulo verò senioribus ℥ j. cassiæ. & prouectioribus sanguinem detrahere iussimus die minoris afflictionis. In pueris neque sanguinem detraximus, neq. scarificatione vsi sumus. Deinde ad materiæ bilioſæ coctionem seu potius

potius alterationem, syrupum sequentem propinauimus. ℞ oxyzach. simplicis. sy. acetos. simpl. de cicor. nicoli cum rhabar. ana ℥ ij. aquar. end. cichorij, borag. ana ℥ iiij. misce, fiat syrupus pro 4. dosibus. Hoc tempore pręcipuè vtebamur oxyzach. simplici, quod digerit, teste Valerio Cordo, materiam bilioſam phlegmati commixtam, & quæ stomachum & præcordia grauat, præcipuè duplis tertianis conueniens, & inordinatis ac erraticis: nam sub autumnum in erraticas quædam mutabuntur, & nonnullæ in quartanas magis ad hyemem attingentes, & per hyemem si in quartanas mutarentur, perdurabunt longius. Cæterùm omnes isti de quibus nunc agimus cùm purgati essent diacatholico syr. cum infus. ros. de cicor. nicoli cum rhabar. cum decoctione communi solutis, breuiter admodum euasere, in declinatione adhibita specie. diarod. abb. in tabulis pro roboratione: quibus non solùm isti, sed multi alij iisdem febribus decumbentes probè sanati sunt.

SCHOLIA.

Duplex tertiana.

DVPLEX *febris tertiana intermittens est, ex bile pura vel non pura in diuersis locis putrefacta, singulis diebus affligens, differens à quotidiana, cùm in duplici tertiana paroxysmus fortior est de tertio in tertium: in quotidiana paroxysmi non intenduntur: quia pituita omni die faciens paroxysmum æqualem, ratione suæ essentiæ & motus corporis supercælestis. Bilis ex natura sua mouetur, de tertio in tertium. Et licet in duplici tertiana quotidie fiant paroxysmi dissimiles, potest tamen euenire, vt Gilbertus Anglicus admonebat, quòd vno die non grauius altero affligat, interea differt adhuc à quotidiana, quia cum rigore incipit*

Quibus modis differat duplex tertiana, à quotidiana.

Differentia inter duas tertianas & duplicem tertianam.

& cum sudore declinat, quod quotidiana non facit. Neoterici verò ponunt etiam differentiam inter duplicem tertianam & duas tertianas. Si bilis putrescat in duobus locis diuersis extra venas, duas tertianas infert, & tunc si verè loqui voluimus omni tertio die bis affligunt, vt hodie bis, manè nihil, tertio die iterum bis redeunt. sic duæ quartanæ essent hodie bis, secundo & tertio nihil, quarto iterum bis. Quod si in vno loco tantùm erit & non excedat materia in quantitate, tunc simplicem tertianam producet. Si multa (vt Sauonarola ratiocinatur) tunc generabit compositã, quæ dicitur duplex tertiana, quorum vna mouetur vna die, alia secunda die. Idem videtur dicere Herculanus quod in duabus tertianis earum materia non ab vna deciditur parte. Galenus tamen & duarum tertianarum & duplicis tertianæ lib. 2. De Cris. meminit, quas singulis diebus inuadere, inquit, nullam inter eas ponens differentiam vt apud libellum De Typis etiã constat, ad quem lectorem relegamus. At de nomine, vt idem Gilbertus Anglicus annotauit, parũ curandum est: cùm in curatione non sit diuersitas duarum tertianarum & duplicis tertianæ: sunt enim eiusdem generis.

Causæ.

sed diuersorum generum sunt, si tertiana cum quartana vel quotidiana coniungatur. Fit autem vel ex bile pura, & tunc magis est legitima, vel ex minus pura, tunc etiam vocari potest duplex tertiana notha.

Signa.

Signa iam ex parte dicta sunt, quia quotidie inuadit, sed cum rigore & adsunt symptomata, eadẽ ferè quæ à tertiana simplici, nisi quod vno die frequentius affligit & adest dolor capitis magis acutus quàm in quotidiana simplici, præcipuè dextræ partis, vigiliæ, sitis, oris amaritudo, morsus cordis, dolor renum, eiusq; accessio plærumq; durat 12. horis & quotidiana quamuis ab ea differat, vt dictum est, quod cum rigore incipiat, & desinat cum sudore, & adest vomitus bilios⁹, vrina quoque magis tincta est, rubea vel subrubea tenuis in principio, in statu medio-

mediocriter spissa, in declinatione superius obumbrata. contingit magis bilioſis in æstate, & corpore gracili, & symptomata sunt sæuiora, prout magis affligat, & ad puram bilem accedat, vel minus molesta, prout notha duplex tertiana spectatur. & quod ad prognosticon attinet, magis molestæ sunt duplices tertianæ quàm simplices, & curatu difficiliores, cùm vires magis prosternant, vnde etiam periculosiores ob acerbitatem affligendi & materiæ multitudinem. hinc & alienationes, phrenitidem incurrunt aliquando ob bilem & fumum ex ea in caput ascendentem, si purior fuerit. Diligẽtes igitur esse oportet vt rectè cognoscamus has febres, ne eas pro quotidianis (vt indocti faciunt) habeamus, cùm multo aliter sint curãdæ quàm quotidianæ. sic enim ægros interficeremus, aut facile lethales fierent. Relatum est mihi aliquando Dominum de Bossu ex tertiana duplici decubuisse, qua etiam extinguebatur, medicis duobus contendentibus duplicem esse tertianam, altero imperitiore eam pro quotidiana habente. Curantur autem vt simplices tertianæ, & ea quæ magis legitima est, vt vera tertiana: quæ verò spuria, vt notha curatur: vt sequenti exemplo magis constabit. Prognostica. Curatio.

OBSERVATIO III.

De duplici tertiana cum vomitu bilis prasinæ.

GVILHELMVS Sonneueldius affinis noster anno 1557. decimo quarto die Septembris in duplicem tertianam incidit: quæ primo die hora 12. meridiei inuasit, admodum vehemens cum maximo rigore & vomitu bilis prasinæ, satisque venenosæ, cum ventriculi lancinatione & insigni angustia. Die verò subsequenti hora quarta pomeridiana iterum febris eum inuadebat, cum pauco rigore, quæ etiam mitior erat præcedẽte, quamuis satis violenta & cum siti in-

siti intolerabili & fluxu vtcumque bilioso. Tertio verò die iterum inuadebat vt primo,& quarto vt secundo ita progrediendo. Cùm autem quotidie febricitaret & Gerardus medicus Alcmarianus me senior licet potius empiricus quàm dogmaticus ad eum prius accitus esset, ac eundē febre quotidiana laborare iudicasset:quamuis vel prima inuasione quis intellexisset tertianam esse, & secunda quoque vice duplicem esse ex rigoris inuasione,& reliquis symptomatis.Rarissima est quotidiana, teste Fernelio, quæ vix ex sexcentis vna obtingit, sed cùm laborans quotidie ferè conflictatur, id ferè à duplici tertiana fit. Cæterùm cùm ad hunc febricitantem statim etiam post medici ingressum accitus essem, cognoui ex signis apparentibus tertianam duplicem esse, cùm die sequenti etiam cum horrore inuaderet. Victus itaque rationem vnà cum medico instituentes, ad materiam digerendā hoc apostemate prius vsi sumus, cùm sponte aluū satis deiiceret, ac biliosa euomeret medicamēto prius leniente opus non habuimus. ℞ cort. rad. cichor. ℥ j. rad. dentis leonis ℥ ß. herbæ hepaticæ seu lichenis, acetosæ, end. cichor. ana m. j. absinthij Romani (ad ventriculi roborationem, valdè enim circa stomachum dolebat) sem. quatuor frig. maior. ana ℥ j. fe. anisi, fœni. ana ℈ ij. hor. mundati p. j. prun. damas. numero v i i .iuiubar. sebesten ana numero v. fiat decoct. in aqua end. cicho. bugloss. ad ℔. j. ß. colaturæ adde syrupi acetosi simplicis ℥ ij. syr. de cicho. nicoli cum rhab.syr. de acetosit. citri(ob materiam venenosam quam euomebat)ana ℥ ß. aromatisetur cum puluere specie. aromatici ros. trionsand. ana ℈ ß. specie. diarod. abb. ℈ ij.albumine oui depuretur,& fiat apozema clareti instar. Interea cùm vrina tincta esset & crassa

crassa,& plethora mediocris adesset, vena basilica secta fuit die minoris afflictionis manè cùm febris abesset, sanguine ad vncias sex emanante,& optimè tulit.quanquam nocte subsequẽte, ex paroxysmo vehementiore sese plurimum mouente, ipsoq́. dormiente, fascia deligata fuit sanguine è vena irrumpente, & nisi euigilasset ac sanguinem effluentem animaduertisset, mortem incurrisset inopinatam, at accito chirurgo qui in ædibus sibi contiguis habitabat, venam fascia iniecta occlusit & deinde optimè dormiuit. interim famulus illi perpetuò astabat, curam gerens ne sanguis iterũ dormienti erumperet. Verùm calore febrili postea nondum desinente 18.die Septẽbris hunc syrupũ propinauimus. ℞ decoct.hor. mund. ʒ iiij.sy. de limonibus oxyzach. simp. sy. de cicho. nicoli cum rhabar. ana ʒ ß. misce. quotidie verò quatuor secessus bilioſos habebat, aliquando quinque cum pauca portione pituitæ: attamen febre perdurante, & viribus satis robustis permanentibus sequenti medicamẽto eum purgauimus. ℞ rhabar.selecti ʒ j.ß.infundantur per noctẽ in aqua end.adiecto ϑ ß.spicę.manè expressioni addẽdo cassię ex cannis recens tractæ ʒ ß. fiat potus breuis,quẽ summo diluculo sumsit,& duodecies aluum deposuit viribus non collabentibus, & eo referente se alleuiatum esse. Interea pro virium corroboratione, alteratione caloris febrilis, & ad materiam venenosam compescendam, & alterandam præcepimus vt electuario seu condito subsequenti vteretur. ℞ conser. florum nenupharis, conseruæ florum ros. recentis vel huius anni corticum citri conditi ana ʒ iij. conser. flor. viol. borag. ana ʒ ß. puluę. specie. diatod. abb. trionsand. ana ʒ j.pul. margar. ϑ ß. syr. de limonibus, de acetos. citri ana q. s. fiat conditum.

ditum. sumebat subinde ad magnitudinem paruę castaneæ. Postea cùm nondũ febris cessaret, & sitis vehemens adhuc esset, & in lotio signa coctionis apparerent, cum in paroxysmo siti valida premeretur, ptisanam ex hordeo mundato & glycyrrhiza paratam, gelidam cum bibẽdam peteret, ac eam concessissem, quam cum in magna satis quantitate ebibisset, pallidam bilem euomuit in maxima copia. & egregiè illi profuit. Venit mihi in mẽtem consilium illud præceptoris nostri obseruandissimi Elidei Paduani apud Felsinas seu Bononienses medicinam felicissimè facientis, qui Ioanni Hentero iuueni robusto tunc temporis Bononię agenti ex tertiana satis exquisita decũbenti ptisanã gelidam dedit, in copia bibendam: qui cũ plurima biliosa euomuisset à febre liberatus fuit: quemadmodũ & mercator ille ex gelida aqua à duplici tertiana ab Amato curatus fuit, qui trecentos aureos eidem, nempe ducatos largitus est, quam historiam de aqua gelida exhibenda in febribus synochis retulimus. Cæterùm die sequenti ad refrigerationem syrupum subsequẽtem propinauimus. ℞ aquar. cich. end. borag. ana ʒ j. syr. acetosi simplicis ʒ j. misce. Id quidem non fecimus ad biliosos humores incrassandos sed refrigerandos, & in maiori quantitate: non enim semper vna mensura syruporum danda est, vt etiam annotauit Amatus Cent. 1. cur. 11. quem ad longum videre poteris. At cùm huic capitis dolor frequẽter adesset, ratione vaporum calidorum à febre in caput effumantium, ad horum repressionem frontem linimento inunximus. ℞ vnguenti populei, olei nenuphar. ana ʒ ij. misce. & ad diuersionẽ pedibus infrascripta apposita sunt, quę alter medicus cõmendabat; quamuis lotiones pedum mihi magis placuissent. ℞

folior.

folior. maluæ, viol. cruciatæ, dentis leonis ana m. j. vnguenti populei ʒ j. terræ sigill. ϑ j. aceti modicum. tusa emplastri modo pedibus supponantur. Eiusmodi frigida minus diuertunt, sed potius refrigerãt. Huic ego ob consuetudinem à medicis quibusdam inductum vt ægris complaceamus potius ad maiorem diuersionem columbas (non sine ratione tamen) per mediũ in dorso scissas, pedibus suppono viuas quemadmodum in Margareta Cornelij, quæ Delphis in ædibus decumbebat, quibus Rosa insigne erat, tum multis aliis, vel caules rubros sapone vel butyro illinitos, aut fermento iisdem imposito, pedibus supponendo. Verùm cùm æger noster post crebriores quoq. vomitus & alui deiectionem circa stomachum dolore afficeretur, ne ventriculus laxior ac debilior magis humores reciperet, eundem inunctione hac subsequente roborauimus. ℞ olei myrtini, absinth. cydoniorum ana ʒ ß. misce, manè os ventriculi inungebatur. Postea verò 20. Septembris die cùm calor febrilis nondum cessaret, bis in die ex potione infra scripta cyathum sumebat. ℞ corticum rad. cichorij ʒ j. acetosæ. viol. end. cichor. borag. bugloss. ana m. j. hepaticæ seu lichenis m. ß. flor. borag. bugloss. viol. ros. rub. nenupha. ana p. j. se. 4. frig. maior. ana ʒ ß. se. fœniculi ʒ j. iuiubarum, sebesten ana numero v. coquantur in aqua end. bugloss. ana ℔. j. ad consumptionem medietatis: colaturæ addendo sy. acetos. citri, syr. acetosi simplicis, syr. de duabus rad. ana ʒ j. aromatisetur cum specie. diarod. abb. trionsand. diad. frig. ana ϑ j. clarificetur, & fiat ad modum iuleb. Tempora ob vigilias vrgentes inunximus oleo nenuph. & papau. Medicus præsens rursus libenter emplastrum ex herbis suprascriptis plantis pedum appli-

applicasset. quod cum non satis iuuaret ad alterationem caloris febrilis & totius corporis, proposui epithema hepati esse applicandum. quod vbi concessisset, tale præscriptum est. ℞ aquar. endiuiæ, rosar. ana ℥. ß. aceti ros. ʒ ß. pul. specie. trionsand. ʒ j. ß. misce & fiat epithema. quo remedio tandem calor febrilis cessauit, & non diu pòst à febre in totum liberatus est: tussi tamen leui subsequente, & post febrem permanente, quę tamen remediis infrascriptis mox cessauit. ℞ syrupi iuiubar. ʒ ij. zacchari penid. ʒ ß. diad. frig. in tabul. ʒ ij. misce. & fiat ecligma. 22. Septembris die sequenti quoque præscriptum est. ℞. syrupi iuiubar. ʒ j. syr. de liquiritia ʒ ß. zacch. penid. diad. frig. ana ʒ ij. zacch. candi subtilissimè puluerisati ʒ ß. fiat elegma, quo tussis sedata est, & Dei auxilio cum nostro honore pristinæ sanitati restitutus est.

SCHOLIA.

Curatio duplicis tertianæ.

DE curatione duplicis tertianæ, authores (vt diximus) pauca referũt, cùm eodem modo curetur vt simplex tertiana, prout ea legitima vel spuria fuerit. Interea nos quædam referemus ad maiorem huius febris curandæ enucleationem. Victus idem sit qui tertianæ simplici conuenire videbatur, interim videndum si status proximus sit, tenuiter reficiendus erit æger; si remotus, copiosius, vt ad crisim

Victus ratio.

sufficiat. Hora verò cibandi eligenda erit post paroxysmum calore iam diminuto, vel hora intermissionis. In paroxysmo à cibo abstinebimus. Conueniunt hordeata, auenata, mica panis cum amygdalato: in nostris regionibus frigidis maximè quoque in autumno, ne ægri deficiant, commodè vtimur iure pulli gallinæ, agrest. adiecto. Imò vbi vires debiles sunt ius carnium exhibemus, pulliq; extremitates, carnes alteratas cũ vino granatorum. & si necessitas cogit, vinum album

tenue

tenue cum aqua dilutum concedemus: alioqui si vires vtcumque fortes, humectantibus ac refrigerantibus vtemur. lactuca, portulaca, cerasis, prunis in aqua suffocatis, pomis assatis. Interea symptomata saua quæ his adesse aliquando solent consideranda, & ob hoc minus crassa diæta insistendum: quæ inquam, omnia nota sunt ex iis, quæ de victu tertianæ simplicis diximus. Quod verò ad reliqua remedia attinet, curatur hæc (vt dicebat Arnoldus de Villa noua cap. proprio) vt simplex tertiana, excepto quod in hac debeat fieri minutio sanguinis in secundo vel tertio die ex vena media. quamuis & in simplici fieri potest, si sanguis abūdet, & secundum Gilbertum etiam ex hepatica si materia sit iuxta hepar. Auicenna quoque ex basilica sanguinem demit quem sequitur Tornamira, cap. proprio. si vrina sit crassa, rubra. alij vbi plenitudinis signa adfuerint, idq; in die minoris afflictionis. Sed nos hæc quoq; adiungemus, si aluus durior sit, prius faces cōmunes extrahemus cum cassia vel clysteri aut glande si opus ante vrinæ sectionem. deinde die subsequenti minoris afflictionis sanguis demendus erit, viribus tum aliis consentientibus. Ad materiæ coctionem vel potius alterationem, Gilbertus commendat syr. viol. nymphæa, oxyzach. vinum granat. & aquam hordei: & si adsit hepatis calor, aquam decoct. solatri, end. scariolæ, cicho. se. 4. frig. adiectis & zacch. ex iis conficiendo syrupos vel iulebos. Arnoldus propinat sy. ros. cum aqua frig. sed in puriore magis conuenit. Tornamira in æstate hunc syrupum conficit. ℞ end. scariolæ, linguæ ceruinæ, seu scolopend. vulgaris, hepaticæ, capill. Ven. polytrici ana m. j. viol. ℥ ij. prun. damasc. XXIIII. se. frig. maior. lactucæ, end. berberis, scariolæ ana ℥ ß. coquantur in aqua q. s. colaturæ addatur zacch. albiss. P. j. vini granat. q̄r. j. coquantur & clarificentur, & fiat syr. secundum artem. Tempore hyemis prædictis adiungetrad. fœnic. brusci, asparagi, & graminis. At si febris

Medicamentorum ratio.

Venę sectio.

Syrupi.

diutius duret post oxyzach. simplicem & syr. acetos. propino oxyzach. compos. fit autem euacuatio postea hoc modo. ℞ viol. ℥ ij. flor. berag. ℥ j. glycyr. mund. ℥ ß. prun. xv. sem. 4. frig. maior. ana ℥ j. oxyphœnici ℥ ß. coquantur in aqua q. s. colaturæ accipe ℥ iij. vel iiij. addendo mannæ ℥ j. vel cassiæ ℥ vi. Gilbertus non purgat ante septimum diem, modò natura per se non exoneret. citius enim apparẽte vrina spissa & crassa, multiplicante accessione, crisis aliquando fit. alioqui vbi natura non expellit, purgat post septimum cum infuso rhabar. myrabol. vel alio medicamento prascripto in tertiana vera. Euenit tamen aliquando in istis febribus fluxus ventris biliosus, & facile subsequitur dysenteria. interdũ vomitus biliosus, rursus constipatio ventris. fluxu verò bilioso excedente potius fomentis ex furfure triticeo foras euocat materiam in vaporem resoluendo, vel sacculis ventri appositis prius decoctis; & si fluxus sit vehemẽtior addit quædam restringentia: vt rosas, sumach, myrtum, & similia, sed hæc potius ad symptomata pertinẽt, de quibus postea. Si vẽter non fluat, mitius purgabimus, & si materia sit mixta vel potius notha duplex tertiana, cũ diacatholico. Si purior, cum iis de quibus in legitima tertiana diximus. Roborantia verò tum alterãtia post purgationẽ hæc esse poterunt. zacch. viol. diad. frig. triasant. confer. cichoreæ, nenupha. viol. rosar. & similia dicta de tertiana simplici. Externa quoque remedia ad tertianam simplicem conferentia, vnguenta, epithemata, huc quoq; transferenda erunt. Ita & de accidentibus corrigendis hic iudicandum. Et ideo quibus fluxus superueniat tam biliosus quàm dysentericus: considerandum num fiat in die malo, & vt sexto, qui tyranno comparatur cum colore suspecto, vt nigro, talis inquam fluxus magna ex parte lethalis, quoniam, inquit idem Gilbertus cap. de feb. duplici tertiana, vidi sæpe tales mori in septimo. At fluxus creticus non est restringendus, nec alius, modò non

Euacuatio.

Roborantia.

Externa remedia.

Accidẽtium correctio.

dò non excedat & vires deiiciat, idem quoque de vomitu dicendum. ideo in hoc ægrotante fluxum non inhibuimus, imò adhuc infusum rhabar. commodè dedimus, neque vomitum bilioſum reſtrinximus, cùm ex iis alleuiaretur neque vires deiicerentur. Vbi tamen fluxus ſit concitatior, & vires proſternat, cohibendus eſt roborantibus, vt ſpongia aceto infuſa ori ventriculi appoſita, vel emplaſtro de mentha & pane triticeo cocto, coctanis roſis, cum aceto temperatis. E contrà ſi venter conſtipetur, glandibus vel mollibus clyſteribus irritandus. Gilbertus glandes conficit ex zaccharo ſale gemmæ, vel melle decocto, aut muris ſtercore. Interea non deſunt iuniores qui ex feruore & ebullitione ſanguinis in hac febre in paroxyſmis frequenter plurimum ſanguinis è naribus profundant. Tales in locis frigidis decumbant & obſcuris, ſuper ſtramẽ aut ſtratum, ne caleſiant, & folia ſalicis prope eos ponantur, faciesq; aqua roſacea frequenter irroretur vel nenupharis. vtantur victu reſrigerante, & ſi opus eſt ad diuerſionem, fiat ſanguinis minutio, & hepar emplaſtretur frigidis & frons ſtipticis. ſi vires collabãtur, cuſtodiat ſe æger ab ira ac omni re calfaciente. hæc Gilbertus. Sed animaduerſione dignum num fluxus ſanguinis creticus ſit, tunc enim non eſt reſtringendus, niſi vires omnino deficiant. interea tertianarij ſiue ſimplici tertiana vel duplici decumbentes in paroxyſmo à potu aquæ frigidæ abſtineant. incrudat enim materiam & oppilat ſplenem & ipſum in magnitudinem attollit & auget, & ſudorem prohibet. & licet hic ptiſana gelida iuuerit & aliis etiam aqua gelida, id fuit poſt ſigna coctionis. ideo illa in memoriã ſunt reſricanda, quæ de aquæ potu diximus in febribus ſynochis. Atque hæc pauca de curatione febris tertianæ duplicis dicta ſufficiunt. reliqua ex curatione ſimplicis tertianæ patent, & exemplis etiam infra dicendis.

OBSERVATIO IIII.

De duplici tertiana cum saliua ex ore ob causam calidam elabente.

ELYSABETHA Fyelica, vidua Iohannis Haperi Consulis Delphensis, mulier sexagenaria, septimo Octobris die anno 1559. in febrem putridam incidit, sed talem quæ corpus consumebat, vt hectica videretur, vnà cum vigilia & catharro salso: ad quem vnà vocati fuimus cum Hugone Nieuenio medico Hagano. cui sub noctem hordeatum cum amygdalis concinnatũ vnà præscripsimus: cui etiam imperauimus vt manè ℥ j. ſſ. mannatis, granati selecti cum iure pulli acciperet: qua potione septem sedes habuit. & non diu pòst vtens aliis remediis alterantibus ab hac febre liberata fuit, quamuis diebus aliquot intermissis eadem in febrem tertianam duplicem inciderit, & tunc solus ad eã accitus fui: & nescio qua persuasione adducta Hugonem tunc nõ admittebat; interim suadentibus amicis rursus ad eam rediret. at ea non permittente, cùm solus in curatione persisterem, ea adhibui remedia, quæ etiam ad simplicem tertianam conuenire cognoueram, quãquam moderatè refrigerantibus vtebar, cùm potius paroxysmi, præcipuè secundus insequebatur typum tertianæ nothæ: nam vnus paroxysmus altero multo mitior erat, quod plærumq. hic fieri solet, cùm & hęc febris tertiana duplex non ex se orta, sed priorem febrẽ supradictam subsequeretur, quod magna parte fit, vt iam antea dictum est. Verùm eo tempore quo à febre libera videretur lingua humidior erat, verùm cùm rursus febricitaret, valdè sicca spectabatur. post exhibitionem oxyzachræ simplicis leniter eandem purgaui cum infuso rhabar.

exigua

exigua adiecta manna & syr. ros. solutiuo quo medicamento melius habere visa est: hæc verò cùm sexagenaria esset, & satis debilis ex priore morbo, sectionem venæ postposuimus. Verùm cum huic maxima copia saliuę ex ore quotidie ex catharro salso, eoque satis acuto efflueret, pro hoc symptomate depulsando non adhibui calida sed frigida, quibus etiam curata fuit; nempe remediis subsequentibus. ℞ syrupi papau. ℥ j. mucęaginis, seminis portulacæ, cython. extract. cum aqua viol. & lactucæ ana ℥ ß. addendo iustam quantitatem zacchari penid. vt in linctum crassiorem coëant. quo cùm vsa esset, frequentius reiterato, leuamen sentiit. interea gargarismo ex lacte tepido subinde vtebatur; etiam ex decoct. hord. mund. viol. se. cython. sy. violaceo adiuncto, quæ plurimum iuuabant, simul per interualla deglutiendo syrupum violaceum, aliquando & zaccharo violaceo assumpto. sub noctem quoque modò lac amygdalatum modò hordeatum cum euulsione se. 4. frig. maior. mund. accipiens, & ad satietatem serum lactis ebibens, quo impensè delectabatur, tandem ab hoc symptomate admodum molesto & graui liberata est. Postea verò eam tractauimus cum medicamentis ad notham tertianam valentibus: nam vltrà duos menses hæc febris duplex tertiana aliquãdo prorogari potest, potissimum verò hyeme iam instante. Erat enim hæc febris primis diebus multo vehementior, postea verò diminui cœpit. Et tunc enim ex diuturnitate morbi timebam vel hecticam vel quartanam. Cæterùm adhibitis iis remediis postea sub finem quæ ad notham tertianã faciunt, febre iam declinante, & optima victus ratione probè obseruata, tandẽ cum mea laude curata fuit. Et pancraticè deinde vixit vsque ad

annũ 1573. at 1. die Decẽbris tunc febre continua & aphthis cùm correpta esset, admodum vetula obiit.

SCHOLIA.

NON *omnis saliualis humiditas, qualis hic ex ore profluebat in tertiana duplici ex phlegmate in stomacho coaceruato (vt etiam hæc mulier putabat) contingit. Nam huic mulieri erant vrinæ tinctæ, vigiliæ quoque aderant, & illa multum biliosa erat, admodum procera, & macilenta, quamuis sexagenaria. Ideo hoc symptoma à calore proficiscebatur, & propterea rectè dicebat Gilbertus Anglicus in abundantia saliuæ multi medicorum decipiũtur, credentes semper esse à phlegmate & eius speciebus. Sed fit quandoq; à calore: quia dum subtrahitur alimentum, calor resolut humiditatem stomachi in saliuam & aquosam naturam: quod cognoscitur, quia saliuæ calidæ, salsæ, & aliquando amaræ sunt, sicut videmus in lignis viridibus & carne assata. & plus læduntur repleto stomacho, quàm inanito, & sic etiam curauimus refrigerantibus, vt dictum est. Sed hæc pertinent ad ptialismum, de quo suo loco aliàs dicturi sumus. Cæterùm quod hæc etiam erat febris tertiana duplex, facile ex typo eiusdem cognouimus, & ex iis quæ typum tertianarum subsequũtur, vt in Galeno habetur de typis nempe eo ipso duplicato. Et quanquam infinitos ex duplici tertiana laborantes curauimus, satis & hæc pauca exempla attulisse cùm de curatione harum febrium satis dictum sit, & eodem modo curentur vt tertianæ simplices, & propterea satis erit his exemplum adhuc adiecisse tertianæ triplicis à nobis curatæ quæ nunc sequitur.*

Quomodo medici in abundantia saliuæ decipiantur.

OBSERVATIO V. *De triplici tertiana.*

ANNA Theodori Godefridi, vxor Gerardi Iodoci zythepsæ Delfensis, mulier annorũ quadraginta quatuor, anno 1559. Delphis mense Maio in ter-

in tertianam simplicem primò incidit, cui deinde & altera tertiana accessit, mox & tertia, ita vt triplici tertiana laboraret. Primo die nempe hora nona ante meridiem febris inuasit cum rigore, quæ circa septimam horam sub noctem desinebat cum leui sudore. Postea eadem nocte sequenti circa primã horam noctis, post mediam noctẽ iterum cum rigore sed leuiore eam febris apprehẽdebat & aliquando vomitum bilioſum experiebatur, quãuis hæc ipsa propria temperie pituitosa erat, & crassiuscula, licet nunc ex triplici tertiana decumberet. cæterùm hæc febris rursus desinebat hora septima manè sequenti. At eodem die nempe secundo meridie circa horam tertiam iterum magis horrere cœpit, ac febris inuadebat cum paulo maiore rigore, & desinebat circa medium noctis. Rursus tertio die vt primo inuadebat hora nona & circa septimam desinente, & iterum nocte sequenti, ita vt iam satis constaret ex ordine quem obseruabat, tum ex symptomatis præsentibus tertianam triplicem esse. Ad hanc itaque vocati vna cum Cornelio Ericio seu Heydio collega meo, præscripsimus remedia quæ ad tertianam simplicem valerent, nempe syrupos alterantes, refrigerantes, quanquam à venæ sectione abstinuerimus, cùm debilis esset neque in principio statim ad eam vocati non fuerimus, quamobrem eam purgauimus hunc in modum. ℞ mannatis selectissimi ℥ j. ß. in iure pulli soluti & cum panno lineo mundo expressi, in quo sordities hærere solet. quo iure quatuor secessus habuit ac multa bilioſa excrementa deposuit. Præstat autem mannam ita colare, ob dolum qui aliquando in ea latet, ob fraudes mercatorum. Cùm autem aliquando in prandio apud Dominum Candidum seu Witticum Consiliarium regium

gium in Haga-comitis pranderemus vnà cum Liuino Sanderio medico Gandensi primario, doctissimo amico nostro, cum quo in Italia ad aliquot annos familiariter in iisdem ædibus cum illo versatus, simulque nobis adesset Hugo Nieuenius medicus Haganus, & in arte chirurgia egregiè exercitatus, ita vt de manna mentio fieret. Liuinus inter alios sermones se pro comperto habere dicebat, pharmacopœos aliquos mannam diagridio inficere spe maioris lucri, vt melius solueret aluum: cùm ægrotantes medicamenta maioris emolumenti & pretij esse putant, si egregiè ventrem conturbent. vel quod mercatores hoc modo mannam falsificent. At dolus facillimè cognoscitur, si manna soluatur cum liquore: nam diagridium vtpote grauius, facile subsidit & cernitur. Ideo & nos semper mannam colamus cum linteo in quo diagridium, si aliquod subsit, hæreat. Hæc enim collatio inter nos de manna cautiores postea nos reddidit. Verùm reuertentes ad nostram ægram hunc quoque syrupum propinauimus. ℞ syr. de limonibus oxyzach. simplicis, de succo acetosæ ana ℥ j. aquæ end. cichor. borag. ana ℥ ij. misce pro ij. dosibus. deinde cùm in Maio essemus decocta ex viridibus præscripsimus & sola manna purgata, hæc ipsa tandem à triplici tertiana perfectè sanata fuit.

SCHOLIA.

Historia Galeni de complicatione trium tertianarum.

HABEMVS *apud Galenum lib. 2. De Cris. cap. 9. historiam de Complicatione trium febrium tertianarum, in quodam adolescente, qui similiter triplici tertiana laborabat, vt hæc nostra mulier, quamuis ille adolescens circa autumni finem in eam febrem inciderat, nostra verò in medio veris. Cùm enim ille (teste Galeno) in prima die circa*

circa quintã horam cœpisset febricitare vna cũ rigore breui, deinde cùm paululum sudasset multo vesperi, mox circa horam septimam noctis, priusquam exactè febris desisteret, febricitare rursus incepit cum rigore breui, deinde paululũ sudauit. In secunda die ac circa decimam horam iterum similiter accessionem habuit, ac statim quoque sudauit in nocte. Deinde tertia die hora tertia cœpit febricitare, antequam prioris diei declinatio in quietem desineret. Nobis igitur (inquit) omnem febris formam diligenter considerantibus, visa fuit trium complicatio tertianarum: nam & quæ primo die cœperat hora quinta & sequenti nocte rursus hora septima, & quæ in secunda die hora decima, & pulsus & caliditatem omnia propria tertianis habebant, sicuti etiam rigores atque sudores. Nulla verò ex his ad quietem perueniebat, quam sequentis tertianæ accessionis principium anticipabat. Sicuti si nulla alia febris successisset, horis tribus aut quatuor homo sine febre perstitisset. Trium quidem tertianarum complicatio in secundo statim die (inquit) nobis visa est manifestè. Quod autem anticipatio accessiones faceret, tertio die prius cognouimus. Nam hora secunda febris inuasit, non quinta, quemadmodũ in primo. Reliquum historiæ ipse perlegito. Postea addit, Istæ in hunc modum cessarunt. primum quidem quæ leuissima erat: deinceps quæ magnitudine secunda erat, & tertia vehementissima inter ipsas, quod & ipsum non mediocre fuit indicium, quod statim ab initio tres tertianæ extitissent. Hactenus Galenus. Cæterùm nostra mulier eodem modo triplici tertiana laborans, quod nunc ferè omiseram, præter supradicta remedia, & mãnam propinatam, etiam illam adhuc semel purgauimus cum infuso rhabar. deinde aliis remediis ad tertianam aptis vsi, hæc in vere commodius euasit, & sana facta est.

Observatio VI.

De febre biliosa composita subintrante.

Anno 1556. cùm in æstate publicè tertianæ multæ duplices grassarentur, vt in principio huius libri diximus. Nobilis matrona Mathilda Zuzia soror D. Cornelij Zuzij Consiliarij regij & D. de Ryswijck, vxor Theodori Teylingij sororij mei, primò in tertianam simplicē incidit, quo tempore quasi contagione omnes domesticos inuadebat etiam duplex tertiana vt 2. Obs. huius libri recensuimus. Verùm hæc ipsa matrona de qua nunc loquimur, cùm prius mense Octobri simplici tertiana corriperetur, tandem in febrem biliosam incidit, quæ cum rigore aliquando ter, aliquando bis in die eandem corripiebat, vix vna febre desinente alia subintrante. Cùm autem mulier hęc raræ texturæ esset, procera, debilis, & vrina valdè biliosa existeret, plurimum tincta, sed tenuis & minimè crassa, sanguinem huic detrahere ausi non fuimus. At cùm eadem quoq. vteri suffocatione sæpius tentaretur vnà cum febre, pro quo symptomate depellendo, & dolor ad sinistrum hypochondrium vergente, vtero in idem latus retracto, consueta erat vti ceruisia, in qua flores roris marini incocti erant, quo remedio hoc malum cessare solebat. Verùm eo ob febrem nunc vti non audebam ob calorē medicamenti prædicti. Quamobrem cùm sponte aluum non deiiceret & hoc symptomate in ipsa febre valdè premeretur, glande inferius indita bis aluum deposuit, ita vt materia ad inferius retracta, hoc malum sopitum fuit. ideo ad febrem magis respicientes, postea & huic syrupum propinaui. ℞ oxyzach. simplicis, syrupi de duabus radicibus (nam simul cum bile aderat aliqua portio pituitæ) ana ℥ j. syrupi capill.

capill. Ven. oxyzach. compos. (metuebam enim longiorem febrem, vel quartanam cùm in autumno essemus) ana ℥ ß. aquæ fumariæ, artemisiæ (ob vterum) cicho. ana ℥ ij. misce pro ij. vicibus. & dolor iste euanuit, & febris minus vehemens subsequuta. Tertio Octobris die hæc præscripta fuere. Quinto verò die cùm in febre intolerabili siti afficeretur cum præcordiorum dolore & inflammatione & suspensione, ac virium deiectione, vt lipothymiam incurrere videretur, mandaui vt ex hac mixtura subinde sumeret. ℞ manus christi cum perlis ℥ j. ß. spe. diarod. abb. ℈ ij. spe. trionsand. diatrag. frig. ana ℈ j. oxyzach. simplicis, sy. viol. ana ℥ ij. fiat mixtura. Sexto verò Octobris die accrescẽte iterum calore febrili, & cùm cor valdè angeretur, sequens iuleb propinaui. ℞ oxyzach. simplicis ℥ ij. syr. de acetos. citri (plurimum enim circa cor dolebat ob calorem febrilem & materiam venenosam) ℥ j. aquar. cichor. bugloss. fumariæ ana ℥ iiij. misce, sumebat ex eo haustum maximum: ex quo (vt illa fatebatur) plurimum refocillabatur, ita vt angustia illa cordis cessaret, atq. minus incalesceret, vrina ad crassitiem nunc sese prius mutante. Octauo verò die Octobris hanc leuem purgationem dedi. ℞ diaprunis lenitiui seu simplicis ℥ vi. cass. recens ex cannis tractæ ℥ ij. dissolue cum ℥ iiij. decoct. communis addendo syrupi ex infus. ros. ℥ ß. misce. cùm facilis solutionis esset, plurima biliosa deiecit: nam sponte satis aluus fluebat. Die verò subsequenti pro virium restauratione ac alteratione capiebat ex subsequentibus. ℞ specie. diarod. abb. diatragac. frig. ana ℈ j. ß. pul. marg. ℈ ß. dissolutis in aqua bugloss æ adiectis ℥ ij. zacchari albissimi, fiat confectio in tabul. secundum artem. Post decimum diem Octobris febres il-

bres illæ subintrantes cessarunt, quanquam tertio die periodicè tertiana simplex eandem adhuc affligebat. Quamobrē rursus præscripto iulebo iam dicto tempore minoris afflictionis, calor tamen febrilis postea nondum cessauit, & cum decimo quinto die Octobris, denuò rursus siti valdè premeretur, & appetitus ratione caloris febrilis deiiceretur, mandaui vt ex hac mixtura frequēter cochlear vnum caperet. ℞ syr. de aceto ſ. citri ℥ iiij. syr. de limonibus ℥ iij. misce. eō valdè delectabatur, & tandem calor febrilis diminutus est, & in totum cessauit. Paucis deinde diebus transmissis cùm rursus iuleb. suum sumeret præscriptum, egregiè in declinatione febris sudauit, & aperta tunc sunt menstrua per se, iisque bene fluentibus per modum crisis perfectè à febre liberata, sana quoque euasit, & probè curata fuit.

SCHOLIA.

Febres subintrantes.

EODEM *tempore alij quoque nonnulli in eiusmodi febres subintrantes inciderunt, quæ maximè constabant ex bile, quamuis aliquæ etiam paucam pituitæ portionem habebant, quæ etiam circa finem in simplicem tertianam conuertebantur, & tunc desinebant paulo pòst, nec amplius reuertebantur. Guainerius vir suæ ætate percelebris medicus, & in praxi egregiè exercitatus, vt ex eiusdem compositionibus medicamentorum coniectare licet, tales febres subintrantes appellat. antequam enim primus paroxysmus desinit, alius subintrat, cùm enim primus paroxysmus nondum perfectè finitur, alter superuenit. Si verò vnus paroxysmus incipiat mox post alterius paroxysmi inceptionem, tales ab eodem quoq; febres communicantes appellātur. Et quando intra vnum & alterū cadat interuallum & modica quies, tales coalternantes vel coalternæ dicuntur. Sauonarola verò*

Febres communicantes.

Febres coalternantes.

verò iuxta mentem Auicennæ ait, quod omnis compositio febrium compositarum triplex sit: intrans, coalternans vel coalternata, vel communicans. Intrans est, vt vna alteram ingrediatur, prima nondum cessante, aut nondum eradicata. Talem Gilbertus Anglicus videtur appellare instantem, cum dicat, Instans est, quando secunda incipit, prima nondum cessante, sed in primæ declinatione inuadit. Coalternans est, vt secunda ingrediatur & superueniat post eradicationem primæ, quæ scilicet prima stetit in quiete per tempus ante aduentum secundæ. Sic enim ait idem Gilbertus, Coalternans est quando vna febris desinit affligere, altera arripit, id est cum prima desierit ex toto affligere, continuò sequitur reliqua. Communicans, siue coincidens est, vt simul incipiant duæ febres vel tres aut plures in eadem hora, vel parum pòst, vt cùm incepit prima, mox alia inuadit. Communicantem febrem appellabat Gilbertus, quando duæ partiales febres simul incipiunt & simul desinunt, & harum quædam dicuntur duæ quotidianæ, duæ tertianæ, & duæ quartanæ. Sunt enim febres binæ, trinæ, vel quaternæ. Vnde etiam Auicenna dicebat, decipitur medicus putans esse continuam propter modum affligendi, vel putat tertianam esse quotidianam, & quartanam esse tertianam, sed ex typis & quæ typum quotidianum, tertianum, & quartanum sequuntur, facile distinguuntur, quemadmodum nunc etiam superioribus exemplis ostendimus.

Intrans.

Coalternans.

Communicans siue coincidens.

OBSERVATIO VII.

De febre biliosa maligna subintrante, cum sæuissimis accidentibus.

ILLVSTRISSIMVS Princeps Auraicus, cùm per totam hyemem quartana laborasset, ac multis laboribus, tum curis, sollicitudinibusque continuis consumptus esset, ob fratris Ludovvici comitis, ac militis

militis ſtrenuiſſimi mortem, mœrore quoq. afflictus, deinde etiã haud exigua melancholia correptus, propter obſidionem vrbis Leydanæ, quo tempore, in ea liberanda plurimum laborabat & defatigabatur, in principio menſis Auguſti anno 1574. Roterodami agens, in febrem bilioſam, eamq. valdè malignam incidit. Quæ quidem febris cùm quotidie inuadebat, medicus ei domeſticus, quotidianam febrem eſſe exiſtimabat, quamuis potius tertianã duplicẽ referebat. At cùm venę ſectio adhibita in homine iam prius per hyemalẽ quartanam & curis continuò extenuato, ac idem pilulas ex aloe & agarico deglutiſſet, & præterea clyſter vnus atque alter iniectus eſſet, fluxus bilioſus obortus eſt, cum magna virium defectione, etiam febre magis magisq. increſcente. Quæ adeò excellentiam ſuã affligere cœpit, vt à continua vix diſcrepare videretur: nam vna acceſſione deſinente, altera ſtatim ſubintrabat: imò ſi potum vel iuleb aliquod ſumeret, cùm maxima ſiti premeretur, mox febris eum inuadebat, ita vt hæc febris ex genere febrium ſubintrantium bilioſarum eſſet. Cùm iam quaſi pro deplorato haberetur, tandem per Oeconomum eiuſdẽ ex Philippi Vanderani viri nobilis cõſilio, ad eius Excellentiam accitus fui. Vbi verò illum grauiter decumbentẽ vidiſſem, & præter febrem malignam etiam ſymptomata grauiſſima conſpexiſſem, nempe fluxum ventris bilioſum vires deiicientem, & calorem febrilem excedentem, & ſitim intolerabilem, adeò vt vires ita collapſæ eſſent vt ex lecto vix amoueri poſſet ſine ſyncope, dum is reparabatur. Euenit enim, cùm in ſede pauliſper collocatus eſſet, ac magiſter ſupplicum libellorum eundem acceſſiſſet, vt iiſdem libellis, multoque tempore reſeruatis, ſubſignaret, Excellentia ſua in de-

in defectionem animi grauiorem incidit, ita vt astantes nobiles principem iam morti destinatum putarent, sed frictionibus adhibitis, & aqua per nos digitis in eadem intinctis, & in faciem conspersa, ad se rediit, & statim in lectum collocatus, melius respirare cœpit. Cęterùm cùm victus rationem obseruarem, qua Excellentia sua vteretur, intellexi quod hæc ipsa magis morbum auxerat. nam alimenta quædam calida eidem concessa erant, similiter & quædam exiccantia; bibebat enim vinum rubrum, in febre biliosa, à qua vrina valdè quoque tincta erat, & inflammata, quæ mihi spectanda offerebatur. Hæc cùm diligẽti examine animaduertissem, imprimis victum omnino immutandum esse suasi, & vt præcipuè à vino Gallico, quo solo perperam vtebatur, abstineret. Quod vbi Excellentia audisset, ad me conuersus, inquiens, Quid aliud quæso biberem? cum fluxum alui vehementiorem habeam? Cui mox modestè respondi, Habet & Excellentia sua febrem acutissimam, satisque malignam, quæ vini potione ita augebitur, quæ licet nunc sit salubris, facile in lethalem febrem transibit, calore ob vini potionem magis aucto. Ideo aquam hordei bibendam consului, vel aquam cinnamomi, si hac magis delectaretur. Et ita ratione inductus, aquam cinnamomi elegit, & cùm eã vltra octo dies bibisset, statim vrina aliquo modo fuit immutata; & calor febrilis ex parte cœpit mitigari, quamuis febris eundem minimè reliquerit, vt vna febris alteram subintraret, antequam præcedentis febris perfectè fieret declinatio: in quibus febribus subintrantibus, licet sub declinationem postea sudaret, valdè vires deiiciebantur: Et cùm cibum sumeret vel potum, aut syrupum, vel iuleb (vt prius dictum est) febris

eundem

eundem apprehendebat, aliquando cum leui rigore, modò cum leui refrigeratione digitorum, ab assumpto cibo, non aliter vt hectica inuadere solet, quam etiam timebam, in homine exiccato, præcedente quartana, tum aliis curis ac laboribus Excellentiam suam extenuantibus, & vires eiusdem deficientibus. Propterea cùm vires debiles essent, & ne in hecticam incideret, victu humectante refrigerante que subinde vsi sumus, ac reficiente; aliquando verò & parum restringente ob fluxum bilioſum concitatiorem, qui & vires labefactabat. Cùm autem Adrianus Iunius medicus ille doctissimus, ac nostri amantissimus, tunc temporis fortè Roterodami esset, Excellentiam suam vltro bis térue inuisit, cum quo ac alio medico domestico præscripsimus emplastrum ex malis cotoneis paratum, quod ventriculo exterius apponebatur, ad eiusdem ventriculi roborationem, ob bilem quoque ad stomachum confluétem & fluxum concitantem, refrenandam. At Iunius ipse in febrem tunc incidens, Middelburgum remeauit, cùm eodem tempore ibidem commorabatur. Discedens verò de curatione Excellentiæ suę satis anxius erat, vti & alius medicus. De salute tamen Domini nequaquam contra opinionem multorum animum abieci; cumque vnà in curatione cum medico domestico permanerem, tempusque calidum esset, imperauimus ne frequens introitus tam nobilium, quàm aliorum, in cubiculum ægrotantis fieret, vt antea solebat. Præterea cùm cubiculum in quo Excellentia sua decumbebat, in horto sagittariorum situm erat, vndique sole illustratum, & maximè calidum, tabulis ligneis stratum, in altiore loco positum, cumque alius locus commodus non esset, nec trãsferri posset, ob virium debilitatem, iussimus vt

mus vt aqua frigida, ad maiorem refrigerationem conſpargeretur, hinc inde frondibus quoque herbarum viridium, ac herbis ipſis frigidioribus diſperſis. Remediis ex conſ. roſ. acetoſ. perlis, ſy. de limonibus, cotoneorum, fluxu bilioſo vtcumque repreſſo; & ſiti, ceraſis, rob de ribes, extincta; ſomnum quoq. hord. conciliauimus, & febre mitiore facta, eaq. cum ſudore benigno declinante, aquam cinnam. reliquimus, vt viribus conſuleremus, cereuiſiam tenuem cum vino & pauco zacch. iniecto (qua princeps delectabatur) conceſſimus. & in fine adhibitis cibis reſtaurantibus, alteratis cum agreſta, ſucco limonum, capis deſtillatis, confectionibus, & conditis ex piſtaciis, & vtentes nutrientibus humectantibusque, tandem præter omnium hominum opinionem tum hoſtium quoque, qui illum mortuum ex peſte dixerant, curatus fuit. Et ab eo tempore poſt mortem etiam medici ſui domeſtici, illuſtriſſimus Princeps, dum in Hollandia permaneret, ac aliquo morbo detineretur, mea opera ſemper vſus eſt.

SCHOLIA.

HÆC febris bilioſa ex genere ſubintrantium, facile corripit corpora bilioſa, atq; eos, qui curis dediti ſunt. In hac autem febre, quemadmodũ in aliis tertianis, quibus Excellentia ſua obnoxius erat, nunquam capite dolebat, quod ſignum erat optimi cerebri, cùm & memoria ac ratione egregiè valeret. Iſtis egregiè valet diamarenatum, & huic ſimile, quod apud nos fit, ad ſitim & peſtem, ex acinis quibuſdam creſcentibus in Veenlandia. Eſt optimi ſaporis acidi, & noſtri vulgari lingua veenbayen cruyt appellant. Hactenus de febribus bilioſis compoſitis: nunc ad pituitoſas accedamus, nempe quotidianam duplicem.

OBSERVATIO VIII.
De febre duplici quotidiana.

PVELLA viginti duorum annorũ, cui nunquam menſes fluxerant, in cachexiam diuturnam prolapſa eſt, ita vt duobus annis vitam miſerè duxerit,& tandem in febrem inciderit. Decumbebat in parte orientali, Delphis, apud carpentarium, cuius etiam filia erat. cumque indies peius haberet, in autumno ad eam prius accitus fui, & animaderti illam bis intra viginti quatuor horas febricitare, ſingulis diebus: ita vt deprehenderim eam duplici febre quotidiana laborare. Cui cùm facies liuida eſſet, laxa & prætumida, habitus omnino pituitoſus, & pedes magis ſub noctem intumeſcerent capitiſq. grauitas adeſſet, cum quodam aurium tinnitu. Præterea cùm noctu quandoque vteri ſymptomate detineretur, deprehendi ad quartam horam pomeridianam omnia adeſſe, quæ typo quotidiano adſcribuntur. nam febris cũ refrigeratione inuadebat, & ſub noctem magis affligebat: eaq. acceſſione vix deſinente, altera ſeu ſecunda poſt mediam noctem eam apprehendebat multo grauius, totam noctem perdurans. manè & hæc incipiebat declinare, ita vt intra nonam horam matutinam & quartam pomeridianam in quiete eſſe videretur. Et ita aliis quoque ſingulis diebus procedebat, bis typum faciens ſingulis viginti quatuor horis, pro ſingulis diebus ſupputatis. In curatione progreſſi ſumus, vt in curatione ſimplicis quotidianæ fieri ſolet, vtẽtes ſyrupis aperiẽtibus, decoctis incidentibus, quæ etiam ad mẽſes euocãdos nonnihil facerẽt: deinde medicamentis phlegmagogis ſeu purgationibus ad pituitam facientibus, commodè vſi ſumus. Interea tam extra

quàm

quàm intra ventriculum roborauimus, qui in hac febre, vti in simplici fieri solet, flaccessit. remediis iisdem vsi sumus quę à nobis descripta sunt de febrium simplicium quotidianarum intermittentium curatione. Interea ad vteri suffocationem præscripsimus sequentem globulum odorandum. ℞ assæ fœtidæ ℈ ij. castorij ℈ j. fiat nodulus in pappa linea rara filo appenso. emplastrum quoque matricis galbano in circuitu obducto, vmbilico imposuimus. quibus remediis malum vterinum cessauit. Pro aurium verò tinnitu, bombicem oleo amygdalino amaro intinctam leuiterq. expressam, auri imponi mandauimus, minimè tamen guttatim immittendo. Vnicè quoque operam dedimus vt menses euocarentur, sed cautè, iisque remediis, quæ febrem hanc duplicem non augerent. Tandem parentes cùm vix puellam per 14. dies ita tractassem, ac multò melius habere viderentur, febre minus affligente, ad rem credo magis attenti, vel quòd puella crebris medicamentis adhibitis tædio fuerit affecta, me reliquerunt, ita vt ab vlterioribus præsidiis cessatum fuerit.

SCHOLIA.

DVPLEX *hæc erat febris quotidiana intermittens, singulis viginti quatuor horis bis typum quotidianum habens, eodem modo incipiens, ac desinens bis, vt de typo quotidiano Galenus refert. sit hæc febris duplex quotidiana composita ex duplici phlegmate extra vasa putrefacto: & differt à simplicioribus febribus per fortiorem & diuturniorem afflictionem, & maiorem caloris intentionem, & quandoque paroxysmorum continuationem. Cùm tales bis typum patiantur, & pauca admodum & exigua est quies. Vrina verò hic magna ex parte perturbata est, & superius* Duplex quotidiana.

Causæ.

Signa.

Cap. 14. de feb. quotid. composita.

obumbrata teste Antonio Grado, & Gilberto Anglico. Et quemadmodum varius contingit quotidiana simplex, ita multò varius euenit quotidiana duplex. Et plærumque magis accedit ad notham quotidianam quàm puram. Deinde quia duplatur, periculosior est simplici. Et ideò rectè dixit Gilbertus capite proprio, quod cognitio quotidianæ duplicis valdè sit artificialis: quanquam hæc duplex quotidiana curetur vt quotidiana simplex, vel vt continua ferè, Curatio. *prout magis pura aut notha fuerit. Quæcumque igitur dicta sunt de curatione febris quotidianæ simplicis huc transferri possunt. Est enim materia pituitosa digerenda, euacuanda, deinde stomachus roborandus, qui in his febribus plurimum laborat. Reliqua ex curatione simplicis quotidianæ per se nota sunt. quare ad exempla curationum duplicis quartanæ accedamus, quæ etiam frequentior est ipsa duplici quotidiana.*

OBSERVATIO IX.

De febre duplici quartana.

IOANNES Adrianus apud Reniburgos prætor, anno 1559. in autumno in quartanam simplicem prius incidit, mox in duplicem. Nam primo & secundo die eo modo, quo typus quartanarius sese habet, inuadebat: tertio autem liber erat à febre: quarto & quinto die iterum vt primo & secundo febricitabat. Sexto die rursus febrem non experiebatur. Et ita duplicem quartanam febrem esse facile intellexi ex iis quæ typum quartanarium (iuxta Galenum lib. De Typis) consequuntur. Ad eum igitur vocatus hanc duplicem quartanam hoc modo curauimus. Inprimis cùm venæ sectio prætermissa esset, præcedente tamen leniente medicamento ad fæces communes educendas, ex cassia, cùm liber à febre esset: deinde die rur-

die rursus quietis sanguinem in brachio detrahere mãdaui siniſtro ex vena lienari ad vncias ſex vel paulò plures, cùm vires ſatis adhuc conſtarent, & plethora mediocris ſanguinis detractionem indicaret. Reliqua remedia quæ ad ſimplicem quartanam valent, adhibuimus. mitius tamen eum tractando ne ex duplici triplex aut continua oriretur, vt aliquando fieri ſolet etiam in ſimplici, qui intempeſtiuè theriacam vel alia fortia medicamenta propinant. Primò igitur cum ſyrupis, iulebis, decoctis ad humorem melancholicum facientibus eundem humorem digeſſimus, deinde eum etiã ſæpius & paulatim euacuauimus. Interea vtentes apozemate tam digerente quàm melancholiam ſimul euacuante, & lienem aperiente. quibus remediis effectum eſt, vt vna quartana poſt menſem vnum eundem reliquerit, optima ſemper victus ratione præcipuè inſtituta, altera tamen quartana nempe ſimplici tunc permanente, quæ etiam ei per integram hyemem adhæſit, licet inſtante vere, ab eadem quoque aptis quidem noſtris remediis liberatus ſit.

SCHOLIA.

DVO enim quartani ſunt, vel duplex quartana iuxtà Gal. in libello De Typis, cùm die vno ſalubri ſuccedente, duobus deinde ſequentibus diebus contingat febricitare, in ſingulis inuaſionum horis ſeruatis figuris, quæ nimirum ex quartanario circuitu ſunt æſtimandæ. Qui enim typum quartanarium, nempe ſimplicis quartanæ ab eodem Galeno loco citato deſcriptum cognouerit, facilè ex eodem typo duplicem quartanã cognoſcet, cùm vna die ægrotus liber ſit à febre, & duobus ſequentibus typum quartanarium experiatur. Duplex quartana, vt etiam illi ſentiunt, qui

Quartani typi duplices.

Vide Antonium Gradum tract. De Feb. compos. cap. 17. de duplici quattana & Gilbertum Anglicum cap. proprio.

Arabum decreta sequuntur, fit ex melancholia in duobus locis putrefacta, & differt à simplici per diuturniorē afflictionem, & quòd duobus diebus affligat, tertio verò die intermittat, atque hæc magis duplex exquisita est: quæ verò notha est, fit ex bile aduſta vel sanguine aduſto aut pituita salsa. Vtraque curatur ut simplex, quamuis citius ægrum dimittat. Si æstate fiat, licet rarius, humida & frigida victus ratio temperatè adhibenda. Auicenna tribus septimanis tenuiore victu vtitur ad materiam subtiliandam, modò vires ferant, ne materia incrudescat aut incrassetur constipetúrue: qualia hæc sunt, hordeata, amygdulata, postea & carnes vitulinæ, hœdinæ, aues montanæ, & alia quæ ad simplicem quartanam conferre diximus. Tornamyra in quartana duplici vtitur gallina iuniore, sanguine porci & vitello ouorum refarcta, sale exiguo adiecto; & dicit experimentum Galeni fuisse, sed locum eiusdem non citat. Propria quoque remedia habes apud Antonium Gradum. Verùm ne experimentis nimium confidamus, ratio curandi, per methodum veram minimè negligenda erit. Sic ille qui vinum maluaticum in accessione bibebat in duplici quartana, febre ardentissima oppressus, intra quinque dies obiit: alter bibens vinum Rhenanum in copia, in sudorem solutus euasit, quamuis alius cùm idem tētaret mortuus est. Sic nuper puella aquam vitæ sumens in paroxysmo, adeo deliravit, vt vix refrigerantibus curari per me potuerit. Sed & puerpera cùm in simplici febre id experiretur, in ardentem febrem lapsa, & in phrenitidem, vt à viris robustioribus nullo modo per plures dies in lecto detineri potuerit. Pessimè igitur faciunt, qui in simplici febre intermittente aut quartana simplici, talia in paroxysmo administrant, multoq; peius id faciunt in duplici vel triplici quartana, cùm nulla quartana, licet simplex, multò minus duplex, fortioribus medicamentis, maximè verò in principio, irritanda est, dum

est, dum adhuc signa coctionis nullo modo appareant. Hinc Auicenna & alij præstantiores medici non vtuntur diaphoreticis, nisi in fine, vt quartana resoluatur.

OBSERVATIO X.

De duplici quartana, quam fluxus alui subsequebatur. & de altera muliere: cùm tribus mẽsibus duplici quartana laborasset, sanata.

DOMINVS Oesterwichius, dominæ Abbatissę Renibvrgicæ quæstor ærarius, cùm anno 1558. ex duplici quartana laborasset in fine æstatis, quæ in æstate vt simplex minus diuturna esse soleat, ab ea per Hugonem Nieuenium medicum Haganum curatus fuit: quanquam idem postea inciderit in fluxum ventris valdè enormem mense Septembri eodem anno, ad quem & ego in Hagam-comitis accitus fui. Erat autem ex duplici quartana præcedente, & fluxu nunc superueniente adeò debilis, vt sese è lecto mouere non posset. Ad vires igitur recreandas hoc ius restaurans præscriptum est. ℞ caponem prius deplumatum, euisceratum, lotum, capite abscisso & in minutissimas partes incisum, limonem recentem, integrum malum cotoneum, citrium quoque seu medicum, concisis omnibus, & cortice exteriori ablata, ne amaritudinem inducant, & melius appetitui inseruiant, qui ex morbo diuturno deiectus erat: quæ, inquam, omnia in ollã strícti orificij coniiciãtur, adiectis vini Rhenani, quod Rhincanianum vocant, aquæ borag. ana P. j. ducati aurei septem, & in duplici vase seu balneo maris per horas VIII: vel x. lento igne, vt artis est, bulliant. & ius expressum vsui reseruetur: quo vires recuperauit & paucis adhi-

bitis remediis ad fluxum conferentibus, rectè deinde valuit. Similiter Iusta Simonis Ioāni typographi Delfensis vxor, mulier si quę altera valdè obesa, ānō 1561. cùm per trimestrem duplici quartana laborasset, post venæ sectionem ex vena lienari in brachio sinistro, ac aptis deinde adhibitis remediis ad simplicem quartanam facientibus per me curata fuit. & alij non pauci eodem tempore, qui duplici quartana detinebātur.

SCHOLIA.

HVIC mulieri præter alia remedia, tum aliis duplici quartana laborantibus, frequenter oxyzaccharam compositam propinaui: nam hæc ipsa, post vniuersalia remedia & purgationes, & alia apozemata conuenientia adhibita, sæpius assumpta ad hanc curationem egregiè profuit. Tollit enim obstructiones lienis, & longas febres sanat, vt constat ex compositione eiusdem, quæ in officinis ex descriptione Nicolai Præpositi parata habetur. Soleo enim hanc commodissimè præcedente lenitione atque purgatione vna atq; altera, cum aquis appropriatis ad quartanam facientibus, instar syrupi aut iulebi adhibere: cum & vim deobstruendi lienē sortiatur, & ad quartanam rectè adhibeatur, sicuti & oxyzacchara simplex ad quartanas duplas.

Oxyzacchara cōposita.

OBSERVATIO XI.

De triplici quartana.

BOLIELLVS Albertus vir triginta sex annorum ζυθέφης Delfensis, cuius cupis cereuisiariis malleus pro insigni erat, anno 1559. autumno vigente in quartanam triplicem incidit, quæ non à quartana simplici (vt ferè solet teste Galeno superuenire) sed ex seipsa incœpit. Instabat autem solstitium ferè hyemale, quando primùm illum febris quartana triplex

plex corripuerit. Primo autem die habuit quartanum typum in omnibus quartanæ respondentem, cum horrore vehementiori & rigore, deinde accrescente cum vomitu quodam materiæ acidæ, melancholicæ, & parum biliosæ. Secundo iterum patiebatur typum quartanarium cum horrore, quamuis mitiore primo die. Similiter & tertio die, licet hæc febris secundo die mitior foret. Quarto die iterum experiebatur typum quartanum fortissimum, vt primo die. Deinde quinto die mitiorem. & sexto die adhuc minorem. Et eo ordine deinceps procedebat: ita vt ego cognouerim, adhibita diligentia ex dictis Galeni, triplicem hanc quartanam esse, neque quotidiana, licet quotidie affligeret, sed non eo modo vt typus quotidianus inuadebat: neque aderant ea quæ typum quotidianum sequuntur, verùm talia præsentia erant, quæ typum quartanum (vt de typis scribit Galenus) sequi solent. Ad hunc igitur 13. die Nouembris vocatus, postquam tertium habuisset paroxysmum, ex relatione ægri tum astantium, ex modo inuasionum & accidentium, & non circuituum triplicem esse quartanam intellexi. Et cùm quartus paroxysmus rediret vt primus, & quintus vt secundus, & sextus vt tertius, & demũ septimus vt primus, suspicionem quam antea susceperam de quartana triplici, magis meam opinionem confirmauit. Vt igitur hanc febrem rectè curaremus, hoc leniens medicamentum omnium primo præscripsi. ℞ elect. lenit. ʒ vi. confect. hamech, diacath. ana ʒ j. cum zacch. fiat bolus, quẽ deuorauit eo die cùm minus affligeretur, nempe in declinatione febris mitissimę: quo bolo satis bene aluum deposuit. Deinde propinaui decocta præparantia & digerentia ad quartanæ simplicis curationem etiam facientia, &

ventrem postea solui cum decocto senæ, eo tempore, cùm minus affligeretur: à purgatione assumpta rursus expectans diem minoris typi, qui omnium erat mitissimus hora minus affligente, imperaui vt vena lienaris in manu sinistra incideretur per chirurgum, octo ferè vnciis sanguinis extractis, in homine nigro, hirsuto, melãcholico, satis plethora affecto, cui etiam vires bene constabant. Et quod dictu mirum est, statim à sanguinis missione vna quartana, quæ vehementissima erat, cessauit, duabus quartanis remanentibus. Postea rursus purgatione reiterata etiam ab altera seu secunda liberatus est, vna tantùm simplici quartana permanente. quæ deinceps illi adhæsit; & cùm ab ea remediis nondum liberaretur, id illi admiratu dignum videbatur, quod à duabus quartanis liberatus, ab vna, quæ remanebat, per me curari non non posset. Cæterùm cùm medicamenta non proficerẽt ad simplicem illam quartanam, iussi vt per hyemem relictis remediis optimo tantum viuendi regimine vteretur, & vt commodam obseruaret victus rationem, ita vt deinde anno 1560. sequenti circa mensem Februarium etiam ab hac vltima & tertia quartana probè liberatus fuerit.

SCHOLIA.

GALENVS *in libro De Præcognitione gloriatur se in Eudemo Peripatetico Philosopho affuturam febrem quartanam prædixisse ex pulsu. Deinde cùm cæteris medicis videretur, vt summo manè eius diei, in quo febris imasura erat, Eudemus theriacen biberet; ipse, vbi illi abierũt, rogauit Galenum ecquid illi spei in pharmaci vsu foret At Galenus nihil cunctatus, respondit pharmacum non modò nihil præsidij allaturum, sed potius ex simplici quartana duplicem effectu-*

effecturum. Eā quippe illius medicamenti vim esse, vt vitiosos succos adhuc crudos mouere, & ad perturbationē perducere valeat: concoquere autē aut per halitum digerere ne queat, præsertim ineūte iā hyeme. Nec aliter contigit, quàm ipse affirmauerat. Nam postridie summo manè accedentes medici propinarunt illi theriacen, & ex vna & simplici, non modò duplicem, sed triplicem reddiderūt quartanam. Prædixit autem & Galenus eo tempore quomodo essent soluendæ, ita vt ex illa prædictione (quæ ad votum succesſit) sed ex curatione etiam insignem gloriam sit consecutus. Hæc autem nostra triplex quartana, de qua nunc agimus, inceperat per se: quam etiam non sine laude curauimus. Hæ autem febres rarò eueniunt, maximè autem triplex quartana, licet frequentius duplices viderim, quas numero plures curaui. At præter hunc Boliellum, alium triplici quartana laborantem, quod sciam, in curatione non habui. Interea tamē tres quartani circuitus, vt Galenus docuit, non admodum difficilè cognoscuntur. Atque hæc ipsa facilius deprehenditur quàm tertiana triplex: quia plus temporis intercedit. Sed quod ad curationem attinet, triplex quartana etiam curatur vt simplex, tamen cum maiori cautione, eò quòd proximè ad continuam accedat, ob plures circuitus. Hæc de febribus compositis vnius generis dicta sufficiunt, nunc ad eas accedamus, quæ diuersi generis sunt quæ primis vix diebus animaduerti possunt, & iuxta Fernelium (vt dictum est prius) intermittentes diuersorum generum, quæ rarò implicantur, vt quotidiana, & tertiana, tertiana & quartana. Sed intermittentes cum continuis si coniungantur, semitertianam faciunt, & frequentius accidunt, de quibus omnibus agemus, & exemplis res alioqui obscurior, lucidior euadet.

Eadem Historia apud Gal. de triplici quartana.

Lib. 2. De Crisi. cap. 2.

OBSER-

OBSERVATIO XII.

De muliere bis prima die febricitante, & secunda die semel.

MVLIER annorum triginta, raræ quidem texturæ, cum cibaria pituitosa plus iusto & longo tempore comedisset, in quotidianam duplicem incidit, & in tertianam simplicem. Primo die bis inuadebat febris cum refrigeratione: secundo verò semel cum rigore. tertio die iterum bis, & hunc ordinem aliquo tempore seruabat. Duæ igitur pituitosæ febres, & vna biliosa, quæ & sitim magis inferebat & aliquando in accessione vomitus biliosus oborieba-tur. quamuis vna die bis cum refrigeratione vt duplex quotidiana inuaderet. singulis diebus hæc ipsa non inuadebat vt quotidianæ solent, cùm & die sequenti vna tantum biliosa apparebat quæ tertio quoque die reuertebatur. interea erant humores commixti, quare ad curationem veniens ad humorem pituitosum & biliosum respectum habebam, & omnium primo ea hora qua ægra minus febricitabat bolum sequentem exhibui. ℞ cassiæ recenter tractæ ʒ vi. electu. de succo ros. diaphœ. ana ʒ j. fiat bolus zaccharo aspersо. quo multa excrementa & biliosa, & pituitosa deposuit. Interea dum in vere eramus, ne fieret continua febris, & capitis dolor subinde eam vexabat, exiguum quidem sanguinis ex vena media detraximus, sed minus, cùm potius cachymia afficeretur, & ideo ad materiam pituitosam digerendam & ad bilem contemperandam syrupis & decoctis longis, quæ ad bilem & pituitam facerent me conferebam. Postea verò cùm in vrina signa coctionis magis contemplarentur, & vrina crassior euaderet ac subside-

ſubſideret, eandem materiam peccãtem purgaui cum infuſo agarici & rhabar. adiectis zinzibere & ſchœnantho ſeu ſpica pro ſuis correctoriis, vt in mixtione horum humorum fieri aſſolet. & ad materiam hanc deſtinatam habemus ſyrupum ex infuſ. roſar. pallid. cum agarico, & alium ſyrupum ex infuſione roſar. quoque pallidarum cum rhabar. paratos. Poſtea ad roborantia medicamenta deueni: hac confectione in rotulis præſcripta. ℞ ſpecie. aromatici roſ. ſine muſco, diarod. abb. ſpe. trionſantal. ana ℈ ij. diſſolutis in aqua fœniculi, cichorij adiectis ℥ iij. zacchari albiſſimi. fiant rhombi ponderantes ʒ ij. quæ exhibeantur pro vice. Rurſus ad apozemata longa redibam, quæ vtrumque humorem & præparabant & paulatim deducebant: quibus remediis hæc ipſa mulier tandem bona victus ratione ex noſtro inſtituto quoque adhibita, à duabus iſtis febribus vel tribus inuicem complicatis rectè curata fuit.

SCHOLIA.

RONDELETIVS *ille doctiſſimus medicus de iſtis febribus agens diuerſi generis inuicem complicatis. Dicit has fieri ex continuis & intermittentibus, vt ſi quotidiana tertianæ adiungatur, cùm primo quidem die inuadit bis, & bis remittitur, die ſequenti ſemel. Si tertiana cum quotidiana, prima die ſemel, ſecundo die bis, tertio iterum ſemel. Quotidiana etiam quartanæ commiſcetur, cum prima quidem die bis inuadit, duobus ſequentibus diebus ſemel, quarta die bis. Non ſolùm vna febris vni miſcetur, vel complicatæ, ſed etiam tribus diebus diuerſorum generum, vt quotidiana, tertiana, quartana, inuicem cõmiſcentur, cùm dies quidem prima tres habeat acceſſiones, ſecunda vnam, tertia verò duas, ſcilicet quotidianæ & tertianæ.*

Rondeletius de diuiſione febriũ compoſitarum diuerſi generis.

Quarta

Quarta rursus duas scilicet quotidianæ & quartanæ. Quinta verò duas, tertianæ & quotidianæ, atque in reliquis diebus idem cum primis ordo seruabitur. Tertiana quartanæ iungitur, cùm dies prima duas inuasiones adducit, totidemq; remissiones, secunda verò nullas omnino inuasiones adducit, tertia vnam, quarta vnam, quinta vnam, sexta nullam, & septima vnam. & sic deinceps commiscentur adhuc tres, scilicet tertiana, quartana, & quintana. Prima die accessio tertianæ tantùm, secunda nulla, tertia vna, quarta vna, quinta duæ tertianæ, & quintanæ, & sic de aliis. Vide apud eundem tabulam dinumerandarum accessionum in febribus complicatis. Potest & simplex febris cum composita misceri, vt tertiana cum semitertiana, quam commixtionem Gal. 2. De Cris. & De Typis monstrauit, quæ fit cum quotidiana continua, cum duabus intermittentibus tertianis coniungitur. Hic notandum est, quod tales coniunctiones, etiam si omnes vno die simul & hora non incipiant, sufficit in vno periodo istas compositiones duarum vel trium inueniri, & postea eodem modo progredi. Sic in hemitritæo fit, vt prima die incipiat tertiana sola, postea quotidiana continua procedente tempore inueniatur. Hæc enim omnium intermittentium difficillima, quam nemo impossibile esse affirmabit, cum diuersi humores non naturales, in diuersis locis discreti inueniantur, vt bilis in vesica fellea, pituita in ventriculo & inteſtinis, melancholia in splene. Cum separati & impermixti reperiantur, quid impedit simul putrescere, cùm obstructio sit communis causa prohibitæ euentationis, & prohibita euentatio putredinis? Præterea caloris naturalis, aut facultatum corpus nostrum gubernantium imbecillitas, humoris ad putredinem dispositionem habentis præparatio & causæ efficientes? Non est difficile diuersas febres fieri, vt in humoribus naturalibus, qui in venis continẽtur. Quomodo fieri possunt

Simplex febris cũ composita quomodo misceatur.

Quomodo. diuersæ febres continuæ fiant & inter se misceantur.

diuersæ

diuersæ febres continuæ, difficile creditu est. Nos tamen sieri posse experientia ipsa didicimus, & ex Galeno tales febres constitutæ sunt. Febres synochῶs posse simul confundi, hac ratione ostendo. Euenit aliquando aliquibus, vt sint habitu pituitoso, & tamen bilem euacuent. Si pituita putrescat in venis habitus corporis, fit quotidiana continua: sic bilis quæ euomitur, si genita in venis minoribus putrescat, fit febris confusa ex tertiana continua, & quotidiana continua. Vel sanguis, dum putrescit, vertitur in bilem, crassa pars in melancholiam, cessat synochus, & si putrescant duæ istæ partes, altera faciet tertianã continuam, altera quartanam continuam, & sic erit febris ex vtraque confusa, & permixta. Verùm quia illæ febres ob permixtionem confunduntur, & semper magis in alteram vergunt, vocantur ab humore, qui magis se promit & manifestat: quæ & si minus exactè & citò dignoscatur, parum aut nihil damnĩ accidit. quia certissimum est omnium febrium continuarum remedium, missio sanguinis, quæ in omnibus conuenit, clysteres, victus ratio tenuis. Quare citra illam exactam cognitionem, si modò syr. acetoso simplici, vel capill. Ven. vtamur, qui syrupi in omnibus febribus conuenire possunt, curantur hæ febres. In principio cùm omnia sunt mitiora, non distinguuntur, sed circa statum & ex declinatione, & symptomatum propriorum remissione, vel in iis fiunt symptomata, quæ media sunt. Discernuntur, vt supra, vigiliis, somno profundo. Fiunt vigiliæ, sopor, pro rigore & horrore & frigore. Sic per signa syncerarum & febrium continuarum facile quis cognoscet istas confusas. Sed vulgus medicorum non vltra progreditur, quàm ad genus, cognita febre: quæ nõ desinit ad infebricitationem, continuam vulgus vocat, illa cognitione vniuersali contentus. Quare si illos vulgares medicos interrogemus, qui morbus, quæ febris sit, satis bene se respondisse putant, si dicant febrem continuam,

nuam, quasi vnum tantum genus febrium continuarum esset. Quare vos precor, vt tales asinos prætermittatis, & præter eorum consuetudinem speciem febris vltimam inuenire omnibus modis studeatis, vt citius morbum propulsetis. Pudet recensere quantum cœcutierint maiores nostri, & qui eos sequuntur, quibus nunquam contigit agnouisse speciem semitertianæ, de qua nunc dicemus, vt febriũ omnium compositarum typos & formas cognoscatis. Hæc ex Rondeletio ad maiorem febrium compositarum enucleationem placuit hic adferre.

OBSERVATIO XIII.

De tertiana intermittente exquisita mutata in semitertianam.

TIMANNVS Vermius vir nobilitate clarus, cognatus meus, natus annos triginta quinque, vtcumque obesus & crassus, verùm sæpe valetudinarius, anno 1554. septimo die mensis Augusti in tertianam febrem intermittentem satis exquisitam incidit. Ad quem decumbentem in castello suo Cranenburchio dicto, quod extra vrbem Alcmarianam prope monasterium Regularium in pago Diui Elidij situm erat, accitus fui. Qui cùm grauiter febricitaret, die sequenti, cùm à febre liber esset, medicamentum leniens propinaui, cùm per aluum nihil adhuc reddidisset. ℞ cassiæ recens tractę ʒ vi. catholici ʒ ij. dissolue cum ʒ iiij. seri lactis. eoque in diluculo assumto, quatuor sedes habuit, primò fæces communes exonerando, mox etiam bilioſa quædam excernens. Præterea cùm etiam huic capitis dolor adesset vehementior, ob vapores in cerebrum à febre sublatos; præcepi vt tempora & frontem circa noctem inungeret vnguento populeo. interea ad calorem febrilem & sitim

& sitim compescendam sumebat ex mixtura sequenti. ℞ rob cerasor. ℥ ij. rob de ribes, oxysach. simplicis sy. de limonibus ana ℥ j. misce. ad ventriculi roborationem, circa quam partem etiam nonnihil dolebat istis tabulis vtebatur & linimento. ℞ specier. diarod. abb. trionsant. ana ℈ ij. ß. dissol. in aqua acetosæ adiectis ℥ ij. & ʒ ij. zacch. albissimi. fiat confectio in tabul. ℞ olei cydon. mastichini, myrtini ana ʒ ij. misce. istis remediis post quintam accessionem à febre liberatus est. Verùm postea nimis citò sese aëri committens, ac minus victus rationem obseruans, decimo sexto die Augusti passus est recidiuam, & in hemitritæon seu semitertianam febrem periculosissimam lapsus est: ita vt primo die duo paroxysmi eundem apprehenderent, & primus obseruabat typum febris biliosæ intermittentis, quæ summo manè inuadebat, alter verò pituitosæ continuæ sub noctem recurrentis. Et quia hæc febris erat confusa, prima incipiebat cum horrore, qui horror paulatim increscebat, subsequente etiam vomitu bilioso, cum maxima instantia vigiliarum. Secunda verò, licet cõtinua, leuis sentiebatur cum narium ac extremitatum exigua refrigeratione: non tamen frigebat, vti in intermittente febre pituitosa contingere solet. Secundo verò die manè hora quarta vnum paroxysmum experiebatur pituitosæ quidem febris, sed is paroxysmus valdè prolongabatur, cuius tamen initium vix sentire potuimus, nisi ex pauca quidem refrigeratione narium & digitorum: ita vt hæc febris satis continuo affligeret, & consisteret ex quotidiana continua. Tertio die iterum summo manè cum horrore inuadebat, & sub noctẽ cum refrigeratione vt primo die, & hunc ordinem obseruabat. Et quod ad symptomata attinet, quæ primo

& tertio die inuadebat, manè sæuiora accidentia proferebat, & bilem plus æquo abundare significabat. & ideo pro alteratione & vomitu reprimendo hanc mixturam rursus dedimus. ℞ rob ceras. rob de ribes sy. de limonibus ana ʒj. oxyzach. simplicis ʒ ß. misce. Et quia vigiliæ aderãt, tempora inungi mandauimus, ventre prius cum cassia subducto, oleo papa. & mandragoræ simul mixtis. Vomitus postea suppressus est, & melius dormiuit. Interea cùm vires constarent & vrina tincta foret, sanguis extractus est ex vena basilica brachij dextri ad vncias sex, & optimè tulit. Postea respectum habens ad vtrumq. humorem iuleb subsequens propinaui tempore minoris afflictionis. ℞ oxyzach. simplicis, syrupi acetosi simplicis ana ʒj. ß. syr. de limonibus, de duabus rad. ana ʒ ß. aquar. fœniculi, end. bugloss. borag. ana ʒ iiij. cinnamomi electi puluerisati ʒ j. specier. diarod. abb. trionsantal. ana ℈ j. misce, fiat iuleb clarificatum & aromatizatum vt artis est. Victus ratio erat hordeatũ, amygdulatum in principio, postea etiam ius pulli alteratum cum lactuca, petros. acetosa, & borag. Nutriebatur autem horis minoris afflictionis. Et iuleb fuit adhuc semel reiteratum. Et 21. Augusti apozema digerens & purgans tam bilem quàm pituitam præscripsi. ℞ corticum rad. apij, petros. cichorij ana ʒ ß. end. cichorij, buglossæ, fumariæ ana m. j. absinthij Romani m. ß. capill. Ven. polytrici, viol. acetosæ ana m. ß. flor. cord. p. j. sem. anisi ʒ j ß. sem. 4. frig. maior. ana ʒ ß. prunor. damas. numero v i i. vuar. pass. enucleat. ʒ j. folior. senæ ʒ v i i. polypod. querc. epithymi ana ʒ j. ß. rhabar. selecti ℈ iiij. ß. agar. trocis. ʒ j. schœnant. zin. albi ana ℈ ß. spicæ gra. iij. fiat omnium decoctio infero lactis pro ℔. j. stent infusa per noctem, manè fortiss. ex-

tiſſ. expreſſ. adde ſy. de limonibus, ſy. de duabus rad. ana ℥ ß. zacch. albiſſimi ℥ ij. aromatiz. cum ʒ j. cinnamomi & ſpecier. trionſand. diarod. abb. ana ϑ ß. & fiat apozema ad modum clareti, & quotidie ex eo ter quatérue (cum laxioris alui eſſet) ventrem deponebat, multaque bilioſa & pituitoſa excernebat. Deinde vtebatur pro ventriculi roboratione ſpe. diarod. abb. in tabulis recenter fuſis. Et tandem ab hemitritæo febre periculoſiſſima liberatus eſt, cùm ab aſtantibus pro deplorato haberetur. Laudandus Deus à quo omnis medela.

SCHOLIA.

HEMITRITEVS *ſeu ſemitertiana, vt teſtis eſt Galenus, ſi equẽter à tertiana producta oritur, quamuis hic ab exquiſita ſatis tertiana, quinto periodo ægrum relinquente, orta fuerit. Frequentius tamen à tertiana producta incipit, & eadem ſemitertiana ſoluta, ſecundum eundem Galenum, in tertianam degenerat: licet ſæpiſſimè ex ſe ipſa inuadit, vt poſtea declarabimus. interdum verò & in duas tertianas & quotidianas, ob longitudinem inuaſionis dirimitur. Plærumq; quod attinet ad naturas, virilem corripit: quod ad ætates, florentem maximè. quod verò ad anni tempus, in autumno præſertim, quando & valdè periculoſus exiſtit. Omnia quæ comitantur tertianam, eadem & ſemitertianæ (teſte Galeno De Typis) contingunt, cùm eiuſdem generis ambæ participes ſint, tertio quoque die molientes remiſſionem & acceſſionum repetitiones. Sed & ea quæ ad integritatem non veniat, ſed horrificas primo quidem die faciat repetitiones, altero ſimplicem vnam acceſſionem, & hanc iuxta Galenum appellamus ſemitertianam. Proprium quoque ſemitertianorum typorum, vt idem Galenus referebat, exiſtit*

Galenus lib. De Typis.

Hemitriteus quo tempore & quibus magis familiaris.

Hemitritæorũ typorum propria.

inuasionum extensio, & quod plærumque cum resipiscentia ne, & statu nondum completo rursus accessiones infestent. Atqui semitertiana periculum semper minatur, eò quòd non solũ os ventriculi & neruosas partes attingat, & in vniuersum eas adhuc, quæ media compositione consistunt, verùm etiam veternosos inducat sopores, & cum vigiliis deliria annexa; nonnunquam & resolutiones, quas syncope comitatur, eò quòd linguam validè siccet, & animi defectum efficiat, ea quæ sunt in profundo vehementius commouens.

Hemitritæorum typus ferus periculum vndecumq. portendens.

Vt autem summatim dicam, typus hic ferus est, periculum vndecumq; portendens. At non perpetuò continuus est, sed & intermittens quandoq; inuenitur. Habet autem & tres, quoad eius magnitudinem, differentias: alia siquidem semitertiana est exigua, alia media, alia magna. Exigua igi-

Differentiæ semitertianę.

tur est, quæ circa viginti quatuor horas torquet. Media quæ circa triginta sex. Magna quæ circa quadraginta octo, quæ & continuæ febri est propinqua. Porro Agathinus à relatione ad tertianam, semitertianam fieri censet: etenim tertio quoque die vtrisque fiunt accessiones seu inuasiones. Hæc Galenus De Typis. Et sic de hac febre parum constat inter veteres medicos, dubitaturq; vtrum continua an intermit-

Galenus dubius in semitertiana.

tens. qua in re etiam Galenus dubius est: nam & in lib. De Morbi temporibus dicit, hæc ipsa periculosior & Romæ frequens, in Æthiopia & toto littore tractúque terræ, vbi cælum calidius cum aduentitia humiditate. Non semper continua sed aliquando intermittens, acutis non solùm sed diuturnis connumeranda ex Hippocrate. & Auicenna author est ad septimum mensem aliquando protrahi. Rursus Gal. contra Agathinum & Archigenem, primo Epidim & 2. De Diff. febrium multis verbis disputat continuam esse. Sed & de nomine huius febris inter antiquos, neq; de significatione neque de etymologia satis conuenit. de qua re multa scripta reliquit Galenus lib. 2. De Diff. febrium & lib. De

Semitertiana Romæ frequens.

Typis

Typis & 2. De Crisibus & 1. Epid. commento 3. ob quam causam Agathinus solum primum librum scripsit de semitertiana, in quo nominis significationem inuestigat teste Gal. 1. Epid & commento 3. Hanc autem rem neoterici quoq; declararunt, & inter præcipuos Rondeletius vir doctißimus & lib. suo De Feb. curandis capite proprio de febribus semitertianis, & Altomarus Neapolitanus medicus clarus, & Amatus cent. 3. curat. 95. quos authores perlegere poteritis. satis est eam veram & propriam esse semitertianam, quæ generationem verè & propriè habet, Galeno teste 2. De Diff. feb ex quotidiana continua & tertiana intermittente. Sed illa impropriè semitertiana dicitur quæ ex quotidiana intermittente & tertiana continua fit: & quæcumque alio modo fiunt iuxta Arabes, etiam impropriè dici poterunt. Et sic aliquando Galenus, tunc alij diuersis in locis modò propriè modò impropriè loquuti sunt.

Vera & propria semitertiana.

Impropriè semitertiana dicta.

OBSERVATIO XIIII.

De febre lenta, tandem in hemitritæon mutata.

ANNO 1556. cùm febres pestilentes & malignæ Alcmariæ grassarentur tempore autumnali, & nonnullæ semitertianæ oborirentur valdè periculosæ ac lethales. Vir annorum triginta, qui ad aggerē Posteriorem dictum habitabat, cùm aliquamdiu febre lenta decubuisset, ac empiricorū more malè tractaretur, in hemitriteam febrem incidit, quæ ex pituitosa continua constabat & ex bilioſa intermittente. Tertio quoque die & paroxysmū tertianæ & continuæ quotidianę patiebatur, altero verò die etiam quotidianam continuam tacitam. Ad hunc accitus, cùm febris hæc periculosa esset post propinatum pharmacum ex rhabar. & agarico infuso, decoctum longum etiam præ-

scripsi. ℞ cort. rad. apij, petrosf. fœniculi ana ℥ ß. rad. cichorij, dẽtis leonis, rusci ana ʒ ij. hyssopi, maioranæ ana m. j. end. cichorij, dentis leonis, hordei mundati ana m. ß. passul. corinth. passul. communi. ab arillis repurgat. ana ℥ ß. polypod. querc. ℥ j. ß. se. anysi, fœniculi ana ʒ j. ß. coquãtur in aqua com. pro ℔. j. ß. colaturæ adde mellis ros. colati ℥ iij. misce. Postea & huic decocto adiecimus rhabar. selecti & agarici optimi ana ʒ j. ß. schœnanti, zinzib. ana ℈ j. Interea stomachum roborauimus cum cerato stomachico exterius apposito, & rotulos dedimus ex arom. rosato & & diarod. abb. paratos, quibus hic intra sex septimanas sanus factus est.

Scholia.

Hæc erat semitertiana propriissimè dicta continua, & ideo si alias complicationes febrium apud Galenũ inueniamus, id licentiori vocabulo facit, vt Curtius præstantissimus medicus etiam sentiebat. Et licet Galenus ex mente Agathini alibi tres constituat differentias, scilicet minorem, mediam, & maiorem, hoc impropriè facit. quam verò & barbari minorem hemitritæum describunt, illa secundum Hippoc. & Gal. vera semitertiana est ex continua quotidiana & tertiana intermittente: reliquæ etiam apud barbaros descriptæ impropriè dicuntur. Sed hæc vera & propriè dicta semitertiana rursus in duas species diuiditur, in exquisitam, iuxta Galenum, in qua est æqualis mixtura duarum febrium, ex duobus humoribus conflata, & hæc rigorem facit. Non exquisita erit, vbi habet bilem aut pituitam præpollentem. Exquisita verò incipit cum horrore ob mixturam frigoris & rigoris, & partem bonam in reduplicationibus consumit. Cognoscitur, quòd bilis præualeat, si rigor magis quàm horror sit, & ad statum celerius peruenit,

Semitertiana exquisita.

Non exquisita.

uenit, sine multis reduplicationibus, & calor magis acris est & euidentior, & vomitiones & aliæ excretiones magis sinceræ. Symptomata quoque, vigiliæ, sitis, & alia magis bilem quàm pituitam referunt. Non exquisita ob pituitæ dominium est, si frigus potius quàm horror fiat, plures quoq; reduplicationes, tarditas caloris, & paucitas sitis, excretiones magis pituitosæ. Cæterùm quod ad cognitionem & curationem harum febrium; tum omnium aliarum compositarum attinet, hic diligẽter meminisse oportet, quod febrium compositarum accessio nihil aliud est quàm reduplicatio accessionum vel permixtio varia febrium. Quare qui simplicium annotationes & signa ad vnguem tenet, facile duplicatarum, complicatarũ aut mixtarum naturam cognoscet. Ideo si quis post duas accessiones non euidenter febris speciem cognouerit, redeat rursus ad inuestigationem, & consideret, si simplex sit vel composita. Simplicem ex simplicibus accessionibus cognoscet. Deinde num sit exquisita tertiana vel producta. Si producta, ad quot horas extendatur, vel ad 24. vel ad 36. vel ad 48. Quod si nulla febris, tales esse ex paroxysmi inuasione, luce meridiana clarius est. Si composita, ex duplicatis vel ex confusis. Confusæ sunt continuæ. Duplicatæ sunt vel quotidianæ, vel tertianæ, quartanæ, vt antea diximus. Quod si neque ex confusis neque ex reduplicatis, aut replicatis, ex hemitriteis esse oportet exquisitis vel spuriis. In vtraque est continua quotidiana & intermittens tertiana. Quod si æqualiter mixtæ sint, exquisita est. Si verò vel magis bilis vel pituitæ naturam referat, spuria est. Si hæc attentè & diligenter animaduerteris, in cognitione non aberrabis. Sed qui morborum exactam cognitionẽ negligit, vel illos fieri ignorat, in inuestigatione toto cœlo aberrat, & tantum in curatione aberrat, quantum in cognitione peccauit. Curantur duplices, vt hæc summatim repetamus vel triplices, vel spu-

riæ vel extensæ sui generis. Hoc est duplex vel triplex tertiana, vt extensa. febres quartanæ duplices vel triplices, vt quartanæ contumaces, nisi quod mitius cum illis est agendum, vt etiam superius admonuimus: quia ex duplici fit triplex, & ex triplici fit continua, quæ lethalis est & admodum periculosa. Commixtæ difficilius curantur, quàm duplices vel triplices: propterea quod sint ex diuersis humoribus multum à se inuicem differentibus & putrescentibus eodem tempore diuersis in locis, non vno medicamento curari possunt vel alterante vel concoquente, sed vnusquisque suum medicamentum determinatum desiderat. Alter alterum impedit, & retardat. Quare vnum vtile & saluberrimum præceptum Rondeletius proponit, vt medicamentis mixtis, id est mediis, vtamur, tam alterantibus quàm laxantibus: & sic ad materiam biliosam & pituitosam eligit syrupum acetosum, qui per se attenuat & bilis acrimoniam obtundit, & obstructiones quæ in quotidianis & quartanis euenire solent, aperit. Syrupus capill. Ven. ab eodem quoque commendatur, & endiuiæ, quibus aquæ attenuantes & aperientes, vt apij, petros. addantur. idq; in febribus ab vtroque humore factis. Conuenit & violaceus in materia biliosa & melancholica. E stœchade in pituita & melancholia naturali. Inter laxatiua catholicon. syr. ros. laxa. agaricus in pituitosa. rhabar. in biliosa. Cordialia in omnibus, vt borago bugloss. herbæ capillares. Et ita in febribus semitertianis veris, exquisitis & nothis, respectus habendus ad humores: prout æqualiter prædominentur, vel vnus alterum vincat, quod etiam de aliis hemitritæis impropriè dictis obseruandum: vt in exemplis subsequentibus clarius patebit.

OBSER-

OBSERVATIO XV.

De semitertiana ex simplici tertiana orta cum sæuissimis accidentibus.

HADRIANVS Arnoldus Haganus, quondam Ostiarius, nunc prætor Alcmarianus, vir annorum quadraginta, homo crapulæ, ingluuiei per integros dies & in multam noctem plærumque deditus, magis potu, maximè verò vino & ceruisię, quàm cibo indulgens, vt bibones facere consueuerunt: nam stomachus vino perpetuò madidus minus cibum appetit. Hic autem anno 1555. die octauo mensis Septembris prope æquinoctium autumnale, ceruisia & vino oppressus, febre tertiana simplici corripi cœpit cum rigore & ingenti vomitu bilioso ac secessu enormi, choleræ instar (quam passionem cholericam vocant barbari, medicinã facientes) typum tertianum imitante & post meridiem illum apprehendente. Die verò sequenti nempe nono Septembris, liber omnino à febre erat, ac domum exiens suo officio adhuc bellè fungebatur, quamuis nauseam quandam & lassitudinem per totum diem sentiret. Decimo Septembris die iterum inuasit paroxysmus tertianæ cum vomitu & secessu bilioso. Vndecimo verò die Septembris vix febricitauit, nisi quod manè haberet refrigerationem quandam & febrem leuem, quæ quotidianæ paroxysmum imitaretur, cum nausea quadam. Verùm illud frigus non diu durauit, ita vt hoc ipsum non magni faceret cùm iterum ad solita progrederetur officia, quamuis per totũ corpus adhuc lassitudinem quandam sentiret, ita vt procul dubio febricitauerit, nec dici poterat absque febre fuisse. Duodecimo die Septembris cum tertianæ periodum more solito expe-

ctaret, & manè videretur liber à febre esse, vti ille existimabat, quamuis adhuc nausea illa, tum totius corporis lassitudo illi adhæreret, nihilominus aëri sese commisit, & adiit sacerdotum contubernium seu conuiuium quotannis celebre, in quo genio indulgentes festum Diuæ Mariæ Natiuitatis, imò potius Bacchi, ethnicorum more, corpus vino implentes, peragebant. Quorum consortio cùm adesset, vino Rhenano sese repleuit, à contubernalibus persuasus hoc modo febrem extingui posse, vel vini madore (si diis placet) suffocari. Cæterùm non diu pòst vino obrutus, non solùm rigere, sed & horrere cœpit, & valida febre correptus est, eaque increscente, quasi semimortuus in domum ducitur, pedibus adeò vacillantibus, vt inambulare non posset. Cumq. ad ædes suas peruenisset, paroxysmus sub tempus vespertinum adeò inualuit cum vomitu excedente & secessu vehementiore, & perturbatione tã supra quàm infra choleræ instar, vt per totam noctem subsequentem animam simul cum vomitu & secessu eiicere videretur. quod malum procul dubio vini repletio tum cibi auxerat. Manè autem subsequente, videlicet decimo tertio die Septembris ad eum curandum prius vocatus fui. Cumq. eum febricitantem cum vomitu valdè exuperante inuenissem, & ex prægressis signis intellexissem prius tertianam simplicẽ fuisse, quæ cum rigore inceperat. sed cùm vndecimo Septembris die non sine febre videretur cum leui refrigeratione, & quod rursus duodecimo die Septembris febris illum inuasisset simul cum horrore & subinde per interualla etiam cum frigore, & mox iterum increscente horrore, quæ febris durauit vsque in decimum tertium Septembris, & sub noctem rursus cum refrigeratione inuadens,

inuadens, ſemitertianam febrem eſſe ex reduplicatione intellexi, etiam periculoſiſſimam, cùm & vomitu tandem atram bilem per ſuperiora deiiceret, de qua in ſcholio ſubſequente latius; cùm hoc malum ſignum videbatur: ſed cùm à vomitu leuaretur, ideo neq. illum neq. ſeceſſus reſtringere voluimus. nemo enim medicorũ vbi copia vitioſorum humorum conciliauerit, mox initiò aut confertim ea quæ efferuntur cohibere aggreditur: inutilia enim cùm ſint, euacuatione indigẽt. Ideo cùm ad eum curandũ acceſſimus, pro abſterſione & infrigidatione & ſiti ſedanda, decoctum hordei communis cum zaccharo, quod & leniter vomitum promouebat, propinauimus, & ne fluxio tamen augeretur. acrioribus autem vti fas non erat. Cumque ſatis eo decocto aſſumpto vomuiſſet, & materia per ſeceſſum ſatis expurgata & abſterſa foret, pro choleræ ſeu bilis repreſſione & humorum refrigeratione ac ventriculi corroboratione (nam in ſemitertiana, vt paulo ante dictum eſt, ventriculus & eius partes neruoſæ maximè læduntur) & pro ſiti extinguẽda, & caloris febrilis alteratione, ex hac ſequenti mixtura cœpit aliquando cochlear vnum. ℞ ſyr. de limonibus ℥ ij. rob ceraſ. rob de ribes ana ℥ j. oxyzach. ſimplicis, ſyr. de mentha, de cicor. nicol. cum rhab. ana ℥ ß. miſce. quibus ſyrupis aſſumptis vomitus quidem reprimebatur, ſed non in totum reſtringebatur. poſt meridiem eodem 13. die Septembris febris hæc bilioſa prævalens pituitoſæ ceſſauit, at ſub noctem rediit, vti diximus, ſequens typum quotidianum cum vomitu etiã pituitoſo ſed exiguo, & ſeceſſu non adeò vehementi, vt nocte præcedente, & quæ tunc deiiciebat magis pituitoſa cernebantur. Decimo quarto die Septembris manè adhuc febricitabat, licet leuius, & nocte

nocte præcedēte bis tantum excreuerat. Stomachum verò inunximus oleis ſubſequentibus. ℞ olei maſtich. cydon. myrtill. ana ʒß. miſce. eodem die poſt meridiem iterum horrere cœpit & rigere, & ſubinde refrigerationem incurrebat, ita vt tunc typus tertianæ & quotidianæ ſimul mixtus eſſet, vt de ſemitertiana vera non amplius dubitarem, ſed minimè exquiſita erat, bile pituitam ſuperante, quod ſymptomata ſæuiora oſtendebant: Deinde etiam iſti paroxyſmi confuſi anticipabant, cùm & horror illo die citius inuadebat, & calor citò ſubſequebatur & increſcebat, eratque vna febris altera vehementior. Decimo quarto die Septembris poſt meridiem rurſus febris citius inuaſit cum horrore & rigore, & per totam noctem ſubſequentem iterum grauiter laborabat, & multum vomebat maximè cùm horreret & rigeret, & in illa nocte ſeceſſus habuit bilioſos & praſſinos cum vomitu viridi. Decimo quinto die Septembris quaſi liber videbatur à febre, erat tamen remiſſio potius, quàm intermiſſio. ſed aluo fluente purgationem non dedimus, ſed potius ad roborationem diarodon. abb. in morſellis præſcripſimus, quos per rhombos ſumebat. Poſt meridiem eodem die iterum inuaſit typus quotidianus cum leui refrigeratione, & ſub noctem denuò & horrorem & rigorem incurrebat, ita vt typus tertianus magis anticipauerit, & deinceps noctu vehementiſſimè febricitauit, & multa per inferiora iterum deiecit, & vomitum habuit cum maxima anxietate circa ſtomachum & præcordia, deinde etiam magis circa ilium ſiniſtrum. Decimo ſexto die Septēbris melius habere videbatur, & fuit febris leuior. Decimo ſeptimo die manè iterum vtcumque habebat, non tamen ſine febre, ſingultu tunc quoque accedente,

cedente, qui post vomitum videbatur sedari: ergo ex repletione, vt postea latius in scholio subsequẽte. Adfertur tunc eodem tempore secũdus medicus Gherardus Alcmarianus, qui & tunc consulem Alcmarianum agebat. Hoc decoctum tunc præscriptum fuit. ℞ cichoreæ, acetosæ, borag. ana m. j. flor. rosar. rub. p. j. se. portulacæ, anethi (ne omnino vomitus inhiberetur, cùm & anethum eundem promoueat & ad singultum faciat) sem. coriand. præparati ana ℈ j. fiat decoct. in aquis destillatis end acetosæ, borag. bugloss. cichorij ana ℔. ß. ad ℔. j. ß. colaturæ addendo syr. de cichor. nicol. cum rhabar. oxyzach. simplicis syr. iuiubini (ob tussim leuem quam habebat) syrupi myrtill. ana ℥ ß. cum ℥ j. specie. diarodonis abb. aromatisetur: & fiat iuleb instar clareti albumine oui depuratum. Ex eo sumebat hora minoris afflictionis, & tunc aliquantulum melius habere visus est. Sed nondum omnino illum reliquit vomitus neq. secessus, quamuis in minore quantitate permanerent, singultu quoq. in totum nõ cessante. Interea sub noctem magis increbuit typus tertianus, licet cum vomitu minori: interim maximè ægrotauit, quamuis tantum vnum secessum bilioſum habuerit, eratque hic typus mixtus cum quotidiano quasi reduplicans cum refrigeratione, & 18. die Septembris manè adhuc intendebatur, postea remittebatur, & videbatur circa meridiem quasi liber à febre, singultu tamen permanente. Cumque illo die vrina multum crassa & rubra esset, quæ antea satis tenuis apparuerat, & æger concqueretur, de dolore & grauitate hypochõdrij siniſtri, ita vt plurimum dubitarem de inflammatione & obstructione lienis vel ventriculi, ita vt non solùm ratione plenitudinis talis singultus adesse posset, vt testis est

stis est Aëtius libro 9. cap. 5. De Singultu: maximè cùm hic febris adiuncta esset semitertiana, quæ inter continuas numeratur, & valdè periculosa est. Quare cùm æger adhuc viribus vtcumque constaret, & in liene ægrotus diu antea, vt nunc declarauit, obstructionem & dolorem persentisset, vtile nobis visum fuit medico præsente, etiam annuente, vt sanguinem ex vena lienari in brachio sinistro detraheremus, cùm & pustulæ in ore & faucibus latitabant, plenitudinem quoque arguentes. & sic sanguine emisso vltra vncias quinque, optimè tulit: & euacuatio illa nullo modo obfuit, quantumuis vomitu etiam copioso & secessu præcedentibus, in homine plethora laborante & ingluuiei dedito. Nam hac sectione venæ peracta cœpit melius habere, ita vt nocte subsequente vix febricitare visus fuerit, & tantum vnicum secessum habuit, neq. vomuit, nisi semel cibum & ceruisiam, quæ in cœna sumpserat. Post phlebotomiam cùm stomachum inunxissemus corroborãtibus, atq. vsi fuissemus iulebo suprascripto, vomitus paulatim cessare cœpit, & tandem per se restringebatur. Interea tamen 19. die Septembris, non sine horrore & rigore rursus febris increbuit, quamuis symptomata omnia multa leuiora, quàm antea se haberent; passus est autem leuem vomitum duosque secessus bilioso, ac parum singultiuit, ita vt tussicula exigua singultum quidem incitaret: tum vomitum. manè iuleb ebibit, & pro tussicula hoc lambitiuo vtebatur. ℞ syr. iuiubini ℥j. syr. pap. ℥ß. zacch. penid. ʒ iij. syr. capill. Ven. ℥ß. misce, pro ecligmate. Interea inhibuimus ne amplius sumeret mixturam superiorem ob rob de ribes, & alia acida tussim mouentia. Vigesimo die Septembris manè omnino sine febre fuit, & vrina in

melius

melius mutata spectabatur, cum hypostasi tamen nonnihil dispersa. Nocte deinde subsequente similiter non vomuit, & nisi semel tantum singultum habuit, qui deinde cum leui vomitu ex ceruisia quam sumpserat cessauit, & superueniēte sternutatione (de qua in scholio subsequente) amplius non rediit. Vigesimo primo die Septembris quasi nulla apparuit, nec vomitum habuit, aut singultum, nisi nauseam quandam, & vrina peruenit ad bonam consistētiam, & rubedo euanuit. Pro nausea tamē & ad ventriculū roborandum, & ad appetitum inducendū, imperauimus, vt ex sequenti condito sæpe sumeret. ℞ conf. ros. buglossæ ana ʒ ß. corticum citri conditi ʒ iij. syr. acetosi simpl. ʒ j. ß. misce. Capiebat ante cibum ad magnitudinem paruæ castaneæ. Postea febris non amplius reuertebatur. quare præscribentes diætam conualescētium & resumptiuam, ab omnibus sequissimis accidentibus, tum à febre ipsa periculosa 24. Septembris die liberatus est, & perfectè sanitati restitutus. Totius ægritudinis dies septendecim.

SCHOLIA.

QVICVMQVE *is fuerit, rectè dixit, intemperantia nutrix medicorum; ita hic ex crapula non solùm, verùm alij quàm plurimi in manus medicorum incidunt, quos etiam sua ingluuie diuites reddūt, & seipsos ferè perdunt. hæc enim semitertiana periculo non carebat, ob sæuissima illa symptomata, quæ mox aderant: nam præter vinum ex hesterna crapula cum cibum inconcoctum & materiam instar carbonis nigerrimam in magna copia euomuit, præter secessus adhuc enormes: quod cùm spectassem primo intuitu, cùm essem accitus ad curationem, animo prostratus eram. Nam in mentem mihi venit aphorismus ille Hippocratis* Aphor. 22. lib. 4.

cratis qui sic habet: Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis vel infra vel supra exierit, lethale. Causam Galenus dicit in comment. Aphorismi 21. hunc præcedentis: magnum scilicet viscus læsum esse in copore. Et similiter in comment. huius Aphorismi: Si ante concoctionem hæc fiant, est malum. Hæc enim ipse nos docuit lib. 1. Epid. ita inquiens. Concoctiones, iudicij securitatem salubrem significant: cruda autem & inconcocta ad malos abscessus conuersa, iudicationis carentiam, vel labores, vel tempora, vel mortes, vel eorundem malorum reditus. Quando igitur post morbi coctionem aliquid humorum vitiosorum excernitur, tunc corpus ex natura purgatur. Et propter hoc atra bilis, & alius omnis huiuscemodi humor, vbi signa coctionis in morbi processu apparuerint, bonam significat euacuationem. Si verò aliter excernatur, sine signis coctionis, exitialis est casus. Quare cùm in morbi principio semper sint signa cruditatis, mala erit humorum taliū euacuatio. Cæterùm quamuis hic eramus in principio morbi vniuersalis, nam in sexto die ab inuasione morbi seu febris talia excernebat, licet vrina adhuc existente cruda sine hypostasi, interim vtcumque tincta ob vehementiam bilis. Tamen illa materia licet prima fronte videbatur atrabilaris, pura tamen atra bilis non spectabatur, neque ita permanens. nam cùm ingram materiam æger euomuisset, rursus statim euomuit materiam viridem seu bilem prasinam, mox & pallidam bilem, seu citrinam, & propterea in spem reuocabar, quod hæc signa lethalia nondum essent, propter crapulas frequentiores præcedentes, quæ cruditatem magnam in stomacho efficiunt, vnde humores vitiosi ex alimentorum prauitate talem immodicam perturbationem ventriculi induxerunt. Nam ipse ventriculus vitioso & copioso humore oppressus, eundem excutere & à se depellere rectè nitebatur. Et propterea ista eiectio nigra non fuit adeò mala, imò salubris,

neque

neque constringenda erat & veniebat ex confluxu lienis ad stomachum: nam antea longo tempore (vt referebat) persenserat dolorem in hypochondrio sinistro, qui adhuc perseuerabat. Hinc non semper iudicandum hanc atribilariam eiectionem lethalem esse. Noui enim quàm plurimos splenèticos ex confluxu humoris melancholici à liene ad stomachum confluentis eiusmodi vomitu laborasse, & etiam materia ad intestina diuertente, & per aluum copiosè deiecta, curatos fuisse. Nuper etiam Ioannes Gerardus, filius præfecti Neoburchij cognatus vxoris meæ, Antuerpiæ ex tali morbo cùm decumberet, & vomitu atram bilem per superiora eiiceret, ac duo medici ipsum tractantes, alioqui peritissimi ex hoc Aphorismo supradicto pronuntiassent eum moriturum, tertio superueniente medico, qui cùm ex eo interrogasset, num similem materiã nigram euomuisset, ægroto respondente, id illi frequentius contigisse, haud magno negotio; tertius ille medicus non tantum salutem eidem promisit, sed eundem quoque facilè ac breui sanitati restituit. Quod cùm noster ægrotus, mihi interroganti idem sibi euenisse respondisset, minus timui, imò illum bene sperare iussi, maximè verò cùm post vomitum huius atræbilis etiam pituitæ subsequeretur, in homine crapulæ dedito: nam teste Hippocrate, Vomitio vtilissima est, si pituita bile permixta fuerit: sincerior enim deterior. postea & altera prædictione: Porracea & nigra mala est. Verùm cùm omnes euomeret humores, difficiles satis habuit affectiones, vt colligitur ex commento Gal. prædictione 40. lib. eiusdem. Propterea diligenti examine & animaduersione opus erat, vt rectè curari posset. Et ideo octies nocte ad illum diuerti, cùm multa biliosa ac pauca pituitosa inferius deiiceret, vnde ego atram bilem minus malam per superiora eiectam putaui. Et licet enormes secessus per inferiora habebat, cùm egestiones per inferiora minus nigræ essent, melius sperandum

Cap. 7. prædic. 32. lib. 2. Prædict. 39.

erat. At nigræ qualis est sanguis niger siue cum febre, siue
Aphor. 21. lib. 4. sine febre, eodem Hippoc. authore, pessimæ, & quanto calores magis praui fuerint plures, peius. At hic cùm statim egestiones flauæ, citrinæ, biliosæ existerent, & pituitosæ, minus malæ erant, & ideo, vt diximus, cùm æger à vomitu & secessu alleuiaretur, noluimus statim hanc euacuationē sistere aut impedire. At singultus quoque qui superueniebat, erat ex repletione, non autem ex mani ione, ob plenitudinem manifestā, & grauitatem quam æger sentiebat in membris dictis. Et licet hic æger vomitum & secessum simul haberet, non tamen erat illa passio vera, quam choleram vocamus, quod malum acutissimū est, & vix quartum diem excedit. imò illa symptomata ratione febris semitertianæ malignæ humores concitantes eueniebant. Et ideo sub finem febris cùm æger sternutasset, præsentibus astantibus & altero medico admirantibus, prædixi singultum non amplius
Aphor. 13. lib. 6. redituru, idq; ex authoritate Hipp. sic dicens: A singultu habito sternutatio superueniens singultū soluit. quem Aphor. in commen. ita declarat Gal. Author est ipse, sicuti conuulsionē, ita & singultū, vel ex inanitione vel plenitudine fieri. Quando autem à plenitudine fit (magna autem ex parte ita fit) violento opus est motu, vt veluti concluſæ, ipsum efficientes humiditates dissipentur, atque euacuentur. Hoc autem facit sternutatio. Ex his prædictis singultum non amplius redituru prædixi, neque fefellit me mea prædictio: nam sternutatione superueniente mox cessauit. Vnde arbitror & Aëtium in singultu medicamenta sternutatoria laudare, qui & cap. 5. lib 9. ita scribit: Sternutatio etiam conuenienter prouocatur, eis qui ob humorum plenitudinem singultiunt. Singultui autem ex euacuatione oborto maximè contraria sternutatio existit: sanantur autem hi per alimenti conuenientis assumptionem, & per ea quæ defectum explent. Sed quod ad semitertianam febrem attinebat, ma-

bat, magna diligentia opus quoque erat: nam vbi id genus tertianæ est (vt rectè dicebat doctißimus ille medicus Cornelius Celsus) quod hemitritæon medici appellant, magna cura opus est, ne id fallat. Habet enim plærumque frequentiores acceßiones deceßionesq́, vt aliud morbi genus videri poßit: porrigitque febres inter horas 24. & 26. & quod idem est, non idem esse videatur. Et magnopere necessarium est, neque dari cibum, nisi in ea remißione, quæ vera est, & vbi ea venit, protinus dari, plurimiq́ sub alterutro curantis errore subitò moriuntur. ac nisi magnoperè aliqua res prohibet, inter initia sanguis mitti debet: tardius autem hic fecimus cùm primo erãt eiusmodi perturbationes per inferiora & superiora. sed cùm vires adhuc constabãt: postea sanguinẽ detraximus. Rondeletius verò ex professo remedia particularia recenset, dum semitertianam curari scribit detersis intestinis, clystere detergente, mißione sanguinis ad ℥iij. vel plures, si vires, ætas, regio, & alia consentiant. Exigua nimis hæc quantitas est, quamuis ea ipsa describi non posset, cùm potius morbi plenitudo & virium robur spectanda sunt, fortè intelligit de debilibus: quamuis & Curtius paucum sanguinis detrahendum esse dixerit, ob nimiam abundantiam aliorum humorum in istis febribus. Venæ tamen sectio omnibus putridis continuis & febribus tertianis spuriis conuenit, vt demonstratum est. Ergo & in hac prodest: hoc tantum inspiciendum, an sit semitertiana acuta futura, vel longa. Quod si acuta, statim adhibeatur; nisi cruditas ventriculi impediat, vel cibi plenitudo. Si longa sit futura post duas aut tres acceßiones, vt Galenus faciendum docuit 1. ad Glauc. Cibus autem hic dandus iuxta Celsum, qui neque incitet febrem, & tamen longum eius spatium sustineat, ideo liberalius cibandi, eo die, quo vno affliguntur paroxysmo; sequenti autem die parcius & tenuius, quia non grauata duabus febribus non sine detrimento

Lib. 3. cap. 8. de curatione semitertianæ febris.

De venæ sectione.

ad ciborum coctionem retrahitur. Celsus quoque venam secat, modò vires ferant: post alias febres longiores, vt in tabidis & aliis debilibus naturis, vel ætate, vel morbi ratione probè ab ea abstinet. Aëtius, cùm ex duobus humoribus conflata sit semitertiana, curat iisdem quæ de tertiana & quotidiana relata sunt, quæ ad bilem & pituitam faciunt, sed ita, ne alterum humorem, inquit Paulus, negligamus. Curtius eandem curat vt tertianam notham, & ideo Breuiloquus iubet fæces retentas clysteribus educi; vel si cruditas in stomacho lenienti medicamento, vel lenibus vomitoriis vtitur. sanguinem demit in exigua quantitate, digerit & resectis humoribus ac apertis viis, signis coctionis apparentibus: pharmacum exhibet pituitam & bilem educens. Postea prouocat vrinã & sudores, & membra principalia, si quæ læsa sunt, roborat; & demum accidentia corrigit. quorum ratio præcipuè habenda est præ cæteris remediis, si vrgeant: vt in hoc nostro ægrotante contigit. Quod si non liceat mittere sanguinem propter aliquam occasionem, tunc dabimus minorans medicamentum, etiam syrupos, misso sanguine, qui vtramq; materiam præparant, hoc vel simili modo. ℞ syr. acetosi simplicis, capill. Ven. ana ℥ j. ß. aquæ end. bugloss. capill. Ven. ana ℥ ij. ß. aromatisetur cum ℥ j. diarod. abb. & capiat tribus matutinis. interea & hic clyster iniici potest. ℞ maluæ. mercur. ciclæ, borag. ana m. j. prunor. numero xx. quatuor se. frig. maior. ana ʒ iij. se. anisi ʒ ij. flor. chamomill. p. j. flor. cord. m. ß. fiat decoct. in aqua communi, in cuius ℔. j. dissol. mellis viol. ℥ ij. succi ciclæ ℥ j. olei viol. chamomill. ana ℥ j. ß. salis ℥ j. In processu potest adiici aliquid agarici ad ʒ ij. finitis syrupis inspicere oportet in qua parte febres sint. Si in incremento ambæ sint, laxandum, si vires ferant: si in declinatione, laxandum, quia non integrè morbus est solutus. quod si in statu ambæ, quod est difficile propter materiæ diuersitatem, melius

Lib. 5. cap. 82.

Lib. 2. cap. 33.

melius est silentiū habere. Quod si bilioſa in ſtatu ſit, & continua in incremento, euacuandum eſt, ad pituitæ diminutionem. Si verò continua ſit in ſtatu, melius eſt habere ſilentiū: quia plus eſt periculi in continuæ ſtatu, in euacuatione, quàm in intermittente ſtatu. Medicamēta media adhibenda, vt prius admonuimus, agaricus, cathol. rhab. infuſ. in vino albo & aqua end. ſy. roſ. laxat. non eſt prætermittendus. Si ſymptoma aliquod infeſtauerit, non erit negligendum: nam aut euacuationem ſuadebit, aut diſſuadebit, vt ſyncope, animi defectio, conuulſio, ſomnus veternoſus, corporis grauitas, plenitudo, fluxus, manitio. id ſatis exēplum præcedens demonſtrauit, & ſubſequentia idem oſtendent.

OBSERVATIO XVI.

De tertiana producta, in ſemitertianam periculoſam tranſmutata, cum conuulſione & ſyncope.

IVVENIS cùm nuper vxorem duxiſſet circa primum Martij diem anno 1583. capitis dolorem vehementioré incurrebat, poſt exhibitos ſyrupos de bethonica & alia commoda remedia, pilulas ſubſequentes cum ex noſtro conſilio ſub noctem deglutiſſet, aluum probè depoſuit, & dolor ceſſauit. ℞ pilul. aurear. cochiar. ana ℈ j. ß. cum aqua bethonicæ fiant pilulæ VII. Verùm die vno atque altero intermiſſo in latere circa ventrem ingens dolor obortus eſt, fortè ex ventoſitate, quòd nimis citò ſeſe aëri cōmiſiſſet. qui tamen ex inunctione olei chamomill. amyg. dulc. adeò conſopitus eſt, vt non rediret. Verùm poſt aliquot dies in febrem tertianam incidit, quæ ad octodecim ferè horas perduraret. caput tunc illi ſupra modum dolebat cùm ad eum accitus eſſem, vigiliæ aderant. at ſequenti die cùm à febre immunis eſſet,

& vrina rubra exisſteret, ſanguis ex vena baſilica dextri brachij detractus eſt, altera tamen die febre redeunte, ac diutius perdurante cum capitis dolore, vigilia adeò infeſtante, vt delirarit, & per totam noctem vigil permanſerit. inunximus tempora vng. populeo, & oleo papa. ſimul mixtis. in declinatione febris adhibuimus hordeata cum zacch. perlato: quia debilis. & cùm febris ſeſe remitteret, admonui vt ab amplexibus vxoris ſeſe contineret. verebar enim cùm iam iam vxorem duxerat, quòd nimium (vti iuuenes ſolent Veneri indulgeret: nam adeò debilis erat ex duobus paroxyſmis, tanquam ferè per menſem decubuiſſet. Et quia febris valdè extenderetur, in ipſo paroxyſmo aliquando ſyncopem incurrebat, pro qua depellenda zaccharum roſaceum perlatum dedimus, deinde vt ſubinde ſumeret ex mixtura ſequenti pro alteratione & roboratione præcepimus. ℞ ſyr. delimonibus ℥ j. ß. ſy. viol ℥ ij. manus chriſti cum perlis ℥ ß. miſce. At febre tertiana producta magis excreſcente peius habuit, & grauius affligi cœpit, acceſſionibus reduplicatis, ita vt hæc ipſa tertiana producta in ſemitertianam tranſmutata fuerit valdè periculoſam, cum grauiſſimis accidentibus præter ſyncopem, etiam conuulſione epileptica admodum graui eum in acceſſionibus ſubinde apprehendente. Quæ ſyncopis erat aliquando adeò grauis, vt niſi aſperſione aquę in faciem excitaretur, etiam continuis extremorum frictionibus adhibitis, conuulſione etiam ſic ceſſante. Cùm hæc ſymptomata aſtantibus, tum amicis terrorem incuterent, adeò vt de alio medico vocando ſolliciti eſſent, cùm ipſe adhuc bene ſperarem. nam febre remittente ſymptomata illa non redibant, verùm cùm acceſſiones ſeſe reduplicarent, ſyncope ſubinde recur-

recurrente, magis instabant vt secundus medicus accerseretur, & ita nostro quoque instinctu doctissimus Ioannes Hurnius professor Academiæ Lugdunensis Batauorum (quem præ cæteris aliis eligebam, ob insignem eius doctrinã & artis peritiam, atq. modestos eius mores) meique amantissimus accitus est. Cùm ægrum ipse contemplatus esset, ac omnia illi narrassem, quæ penes ægrum acta forent, eadem mecum de morbo sensit & hemitritæum febrem esse. & ita facile tam de morbo quàm de remediis adhibendis inter nos conuenimus, & cùm videremus etiam pituitam adesse, eamque nunc nonnihil superare bilem, cumq. æger satis antea aluum deiecisset, & nunc etiam id sua sponte facerer, atq. debilis esset ob symptomata grauiora iam dicta, à purgatione abstinendum esse duximus, & hoc clareto infrascripto contenti fuimus, quod vna in hunc modum præscripsimus. ℞ cortic. rad. fœniculi, cichorij, rad. asparagi, graminis macerati in aceto per duas horas, ana ℥ ß. flor. cord. p. j. adianthi, bethonicæ, verbenæ, hyssopi ana m. j. se. anisi, peoniæ (ob conuulsionem) fœniculi ana ʒ j. hordei mundati p. j. corticum citri, seminis citri ana ʒ j cornu cerui præparati ℈ j. passul. corinth. vuar. passul. comm. ab arillis repurgat. ana ℥ j. coquantur in aqua communi in duplici vase q. s. scilicet ad ℥ ix. colaturæ addendo syr. de corticibus citri, de limonibus ana ℥ j. ß. clarificetur & aromatisetur cum ʒ iij. cinnamomi electissimi, misce. & fiat ad modum clareti. Capiebat etiam ad libitum ex hoc electuario. ℞ malorum citreorum numero duo, aquæ rosacea affatim affusa & zaccharo optimo ad dulcedinem aspersõ, coquantur simul ad tabem vt eliquescant in modum electuarij liquidi. Valet ad febres

malignas, peſtilentes, peſtem, & ſyncopem, & ad ſemitertianas, quæ tempore peſtilenti quoque graſſari ſolent, vt poſtea etiam oſtendemus. Pro corde quoque commodè epithema ſequens communi conſilio adhibuimus, quod egregiè etiam profuit ad ſyncopem & cordis palpitationem. ℞ aquæ melliſſæ, aquæ roſ. vini maluatici optimi ana ℥ iij. ſpecier. diarod. abb. ʒ j. ſpe. aromatici roſ. ϑ j. croci gran. iij. miſce, fiat epithema. Et ſymptomata prædictacœperunt mitigari, ita vt poſt abitum Hurnij, ter quatérue acceſſione febrili recurrente, optima victus ratione inſtituta, ciboque adhibito optimo ac reſtaurante in die & in hora minoris afflictionis, ſanitati reſtitutus eſt.

SCHOLIA.

Syncope.

ANIMI hic defectus tum conuulſio, vtrum ex venere nimia ortũ haberẽt, ſæpe mecũ dubitabam, vel quod potius ex vaporibus malignis ipſius febris ad cerebrũ & ad cor raptis. Aſperſio aquæ cũ digitis intinctis in faciem eũ ab eiuſmodi ſymptomate leuabat & excitabat: multum quoq; profuere fictiones digitorum, ſed inter præcipua remedia epithema cordiale magis vtile erat. Rectè nos admonuit Rondel. in curanda ſemitertiana, ne ſymptomata graviora negligeremus, & ideo ſi animi defectus contingat ob affectũ oris ventriculi, quod ex dolore vel morſu vel nauſea intelligitur, poſt iniectum clyſterem vomitus leuis irritandus, aqua tepida vel hydræleo iuxta Galenum in materia bilioſa ventriculum vellicante, oleóque calido ad relaxationem ventriculus fouendus. Poſtea ſtomachus extrinſecus roborandus, intus etiam conditis ſpecieb. diarod. abb. trionſantal. diamarg. frig. quod ſi leui purgatione prius ſit vtendum, conuenit rhabar. infuſ. vel ſyr. roſac. laxat. Si ſyncope ex cauſa frigida ex pituita in ventriculo hærente, fouendus oleo chamæmelino, in quo abſinthij coma cocta eſt. & mulſam da-

sam dare cum hyssopo in ea madefacto vel acetum mulsum: Galenus addit piper. nos eius loco sy. acetos. simplicem dabimus cum aqua hordei, pauco pipere adiecto. Galenus dat diospoliticon, diatrionpipereon: quamuis hæc in syncope ex cruditate conueniant, in syncope cum febre tamen reiicienda, quia calidiora & sicciora. Vsurpanda autem sunt à nostris inuenta, pulueres cordiales, stomachici, diarod. abb. aromat. ros. rosata nouella, elect. de gemmis. prouocabimus potius vomitum cum syr. acetos. & capill. Ven. cum aqua tepida: deinde exhibebimus syr. concoquentes, digerentes pituitam, vt corticis citri. capill. Ven. sy. acetos. simplicis, cum aquis apÿ, petros. hyssopi, mentæ, bethon. purgabimus leniter cum infus. agar. & rhab. adiecto cinnamomo. à turpetho abstinebimus. Condita conficiemus ex cortic. citri, conf. rad. bug. capill. Ven. adiecto aromatico ros. Rondeletius vult hanc febrem syncopalem à practicis dictam referri ad semitertianam vel aliam febrem malignam. Interea si conuulsiones adsint, fortiores euacuationes instituit. quamuis in nostro ægro minus conueniebant ob syncopem admixtam. interea in conuulsione humores magis detergendi, quàm incidendi, ne magis ad partes excrementa deducantur. Ad digestionem excrementorum oleis modicè detergentibus aluus resoluatur, vt oleo amyg. amar. nucis Indicæ, oleo irino. Adde aquæ vitæ parum. Si abmanitione non curatur; tamen ne despici videatur ager oleis relaxantibus & humectantibus per spinam & partes externas inũgere oportet, vt oleo amyg. dul. viol. &c. Hæc Rõdeletius. Conuulsio.

OBSERVATIO XVII.

De semitertiana complicata cum tertiana satis exquisita.

ANNO 1556. cùm febres pestilentes & semitertianę Alcmarię (quemadmodum prius dictum est) ma-

est) maximè verò in autumno grassarentur, mulier admodum biliosa & raræ texturæ, vxor illius Trepinę Phrisij, Quæstoris Vroonlādiæ, puerpera, post aliquot dies à partu in semitertianam eamque periculosissimam incidit. quæ etiam complicata videbatur cum tertiana satis exquisita, eodem ferè modo vt muliercula illa, de qua Galenus meminit 2. De Cris. cap. 9. cuius historia etiam ponitur à Campegio in suis campis historialibus Galeni, vt latius in scholio sequenti dicturi sumus. At huic nostræ mulieri ob bilis maiorem portionem sæuissima accidentia aderant, nempe vigiliæ excedentes, capitis dolor ingens, & alui fluxus vehemens. Cùm bene in partu purgata esset, ac valdè debilis, & aluus satis flueret, venæ sectione postposita, pro vigilia vrgente ne paraphrenitidem incurreret, pro cibo tempore minoris afflictionis hordeatum dedimus, cui semina papaueris albi incocta & emulsa erant: tempora inunximus vng. populeo ole. viol nenuph. simul mixtis: quibus dolor capitis nonnihil cessauit, & melius dormire cœpit. Pro febre, siti & alteratione, oxyzach. simpl. propinauimus. Syrupis verò vel iulebis dulcioribus ob fluxum symptomaticum, neq. medicamentis laxantibus vti non fuimus ausi: quamuis prius antequam linimenta capiti admouimus, hor. comm. decoctum cum syr. ex infus. ros. pro detersione ebiberit. quo bile vtcumq. detersa, ad amygdulata pro cibo deuenimus. Postremò pro maiori roboratione & restrictione, cùm vires indies debilitarentur, diacithonium sine speciebus in exigua tamen quantitate concessimus, ne subitò fieret restrictio. Interea ventriculum quoq. oleo cydoniorum & ros. exiguo oleo maceris adiecto inunximus. tandem paulatim fluxus cessauit, & intra

14. dies

14. dies tertiana illa satis exquisita illam omnium primo reliquit, & non diu post etiam semitertiana præter spem multorum desinente. sub cuius finem ob pituitam etiam admixtam, bile licet abundantiore & pituita iam satis fluxu illo symptomatico expurgatis per aluum, syrupum mentaceum ad ventriculum magis roborandum propinauimus, & diarod. abb. & aromat. ros. exhibuimus. & in declinatione vniuersali huius febris, tandem vinum Rhenanum album, aquosum concessimus. quibus remediis tandem optima victus ratione obseruata, perfectè sanata fuit.

SCHOLIA.

SIMILE *exemplum mulierculæ semitertiana laborantis, cui & tertiana exquisita complicata erat, historia octaua apud Campegium Symphorianum in Galeni historiis lib 1. refertur. quam Galenus lib. 2. de Cris. capite 9. hunc in modum, huic nostro proposito egregiè inseruientem, describit. Nuper igitur quædam mulierecula imparibus diebus horridam habebat accessionem semitertianæ exquisitæ propriam: in paribus verò, manè alteram quandam, ea quæ præcesserat longe minorem: at altera die semitertianæ febris accessio super accessionem aduenire videretur: quod in tali febre fieri consueuit. Circa octauam verò horam die altera inuadebat accessio cum rigore vehementi, omnia exquisitæ tertianæ indicia afferens. Iam verò hæc confracta sudoribus ac bilis vomitibus, hora tertia noctis extendebatur ad diei partis horam secundam. Et cùm iam quieti appropinquaret, rursus horrida atque inæqualis accessio succedebat, quam imparibus diebus fieri diximus. Deinde per totam diem malignè compressa, ac deinceps adducta, vix occidente sole ad statum perueniebat, ac declinare incipiebat hora*

Historia Galeni de mulierecula, semitertiana decumbente, cui tertiana complicata erat.

bat hora quarta noctis: deinde manè rursus super abundantes reliquias augmentum non valdè inæquale vsque ad octauam horam intendebatur. & cùm iam manifestè statim obtinere febris videretur, iam febrem hanc altera febris exquisitæ tertianæ accessio suscipiebat. Hanc nos febrem statim die secunda ex complicatione semitertianæ febris atque tertianæ factam agnouimus: longè verò certiorem tertius dies præbuit cognitionem. Atque in spem venimus alterum tertianæ febris circuitum finem habiturum, alterum in longius tempus debere protendi, quod etiam contigit. Et tunc apertè visum est, in reliqua parte ægritudinis solam superesse semitertianam, quæ principium quidem totius circuitus par faciebat, in die verò impari superaccendebatur. Hæc Galenus. & in eodem capite plurima habes, quibus febres complicatæ & confusæ inter se probè distinguantur.

OBSERVATIO XVIII.
De hemitritæo minori.

PETRVS Regnerus rusticus, vir robustus, natus circa annos triginta octo, cacochymia abundans, quamuis paulo antea profluuio alui laborasset, & etiam subinde sanguis è naribus fluxisset, quæ symptomata cùm iam cessassent, malo vitæ regimine vtens, vt rustici solent plerumque, nec probam victus rationem obseruans anno 1554. primo Decembris die in hemitritæum minorem incidit. manè cum horrore incipiebat, vesperi rursus cum refrigeratione: sequēti verò die febris illum cum refrigeratione leui apprehendebat. Aderat ventriculi dolor & capitis grauedo. Ad quem Alcmariæ decumbētem in via Regia dicta, quōdam in ædibus magistri Remij Astrij, mathematici insignis & nostri familiaris, cùm accitus essem, & aluum non deponeret, & faciem rubicundiorem haberet,

beret, fæcibus communibus prius per glandē eductis, hora minoris afflictionis, venam basilicam in manu dextra (cùm in brachio non esset consuetus sanguinem mittere, vt etiam metueret ne quid in brachio incommodi fieret) pertundere feci, sex vnciis sanguinis vel paulo plus extractis. Deinde hunc syrupum ebibit. ℞ syr. acetos. simplicis ʒ j. syr. capill. Ven. ʒ ß. aquę borag. fœniculi, cichorij ana ʒ j. misce. Postea tempore rursus minoris afflictionis ita leuiter purgatus fuit, ne in alui profluuium incideret, quo aliàs facile detinebatur & diutius quàm par erat, laborabat. ℞ diacatholici ʒ v i. diaprun. simplicis, cassiæ recèns tractæ ana ʒ ij. seri lactis ʒ iiij. syr. viol. ʒ j. misce. quo medicamento quinquies multa biliosa & pituitosa excreuit. Quinto die cùm bis rursus febricitaret, sub noctem sanguis è naribus fluxit, sed non copiosè. Sexto die cùm denuò febricitaret cum leui frigore, in dolorem lateris sinistri incidit, & tunc fatebatur ante duas septimanas se supra idē latus concidisse, eratque dolor hic vehemens vt huic lateri incumbere non posset. eodem die febre declinante rursus vena lienaris in cubito sinistro secta fuit, ad vncias ferè sex sanguine vtcumque nigro effluente, ita vt deinde dolor ille lateralis in totum ferè euanuerit, hoc tamen fomento adhibito. ℞ rad. altheæ mundat. ʒ j. ß. flor. chamæmelini, meliloti ana p. j. summitat. anethi m. ß. fol. viol. mal. ana m. j. se. anisi ʒ iij. se. maluæ ʒ ß. fiat decoct. in aqua com. q. s. pro fomento. Reliquiis verò confusis adiect. farinæ, se. lini, fœnugræci ana ʒ ß. farinæ hordei ʒ ij. ß. butyr. recentis q. s. fiat cataplasma, post fotum loco dolenti applicandum. quibus remediis dolor satis euanuit. Interea cùm tussiret, hoc decocto vtens, tandem concocta expuere

cœpit

cœpit cum alleuiatione. ℞ scabiosæ, hyssopi, capill. Ven. maluæ, viol. boraginis ana m. j. vuar. passul. ab arillis mundat. ℥ j. hord. mund. p. j. glycyrrhizæ rasæ ℥ ß. fiat decoctio in aqua communi pro l' j. colatura zaccharo dulcoretur. Septimo die bis iterum febricitauit, quamuis paroxysmi tam vehementes non erant vt prius. Octauo die cùm melius se sentiret, suomet consilio ebibit ius piscium salsum, & suborta iterum vehementissima tussi, nihil expuente, subito hoc tempore ante consuetam horam visitationis nostræ me reuocarunt. Obiurgato ægrotante quod ius salsum bibisset, vt ab omnibus salsis abstineret imperaui, quamuis prius ea interdixeram. Verùm denuò præscripta optima victus ratione, & subsequēti ecligmate sumpto, rursus melius habere cœpit. ℞ syr. de liquiritia ℥ ij. loch. sa. & expert. syr. viol. ana ℥ j. misce. Pectus inunximus vnguento nostro pectorali, & tussis illa sedata est, neque dolor in latere amplius rediit. Cæterùm post 14. diem reduplicationes paroxysmorum paulatim cessarunt, ita vt post 17. diem hic sanus factus sit.

SCHOLIA.

Vide Guainerium.

De febribus hemitritæis iuxta Græcos abundè egimus, quamuis Arabes de his fusius tractāt, vt Guainerius qui & quartam speciem adiungit ex cholera intra venas & melancholia extra putrescente. minor est illa quam veram semitertianam prius appellauimus, ex pituita intra venas putrescente & bile extra. quæ etiam minus sæua, iuxta Arabes, accidentia habet quàm media, in qua bilis intra vasa & pituita extra putrescit. in maiore in qua tertiana interpolata iungitur quartanæ continuæ, iuxta Benedictum præceptorem meum in sua Empirita cap. proprio sæuissima

sympto-

symptomata inducit, & rarius euenit, & ferè semper lethalis est. Minori iuxta Guainerium, capitis grauitas adest, ob multitudinem vaporum, somnus cum quodam stupore, & in hora excrescentiæ continuæ sigent, & de tertiana horrent, vrina subrussa, spissa, liuida, vomitus bilioſus pituitosusque. Si vnus alium superat humorem, is prævalebit. At paruus hemitritæus facile in lethargũ conuertitur: & quæuis hæc febris difficilis curationis, teste Auic. ad VII. menses quandoque prolongatur, viresq; deiicit sua diuturnitate, & ideo periculosa & mali modi, tempore pestis accidẽs, vt idem præceptor meus Benedictus Fauentinus admonebat. Signa minoris hemitritæi.

Curandũ autẽ in hac febre, præter dicta ne humiditate & frigiditate pituita augeatur, neq; bilis sua caliditate & siccitate: ideo aër tam in actiuis qualitatibus, quàm passiuis temperatus eligendus, à motu abstinendum, somnus sit minor ob pituitam, & ratione bilis maior omnis animi motus vitandus. Quod ad victum, panis sit à furfure mundus, sale & fermento temperatus. Carnes hœdinæ, vitellinæ, cuniculi iuuenes, phasiani, auiculæ paruæ montanæ hic locum habent. potius elixa tamen, quàm veru assata, pisces minus conueniunt, nisi fluuiatiles, parcæ, lucij, & similes. In ferculis deuitanda lactuca, cucurbita, portulaca. Aliqui vinum album concedunt, sed videndum num bilis superet pituitam, vitanda quoque repletio. Venter clysteri mollitatur ex decoct. maluæ, betæ, mercurialis, caulium, adiecta cassia, oleo communi & sale, vel per superius cum cassia aut manna. deinde vena secanda, si opus est: mox materia digerenda cum oxymell. sim. melle ros. sy. acetos. simpl. aquis end. fœniculi, absinthij. alij deinde purgant cum elect. de succo ros. & indo. Benedictus diaturbith dat in minori dosi: sed præstat vti apozemate longiore paulatim bilem & pituitam simul digerentem & euacuantem. in fine & vrinam & sudorem prouocant. alij initio & vomitum incitant. At de Curatio.

his om-

his omnibus consulas Guainerium, Valescum, Villonouanum, Concoregium, Gilbertum Anglicum, in propriis capitibus.

OBSERVATIO XIX.

De febre hemitritæo minori plus pituitæ in se quàm bilis continente.

PETRVS Bergensis, monachus regularis, homo crassus & obesus anno 1556. sub finem mensis Iulij, cùm istæ febres multos inuaderent; hemitritæo minori correptus est: in qua febre pituita bilem superabat. vnde reduplicationes modò binæ, modò ternæ primo die fiebant, bilem prassinam quandoque & pituitam euomebat. Ptisanam tepidã cum oxyzach. bibendam dedi. & rob. de ribes, ceraſorum, cum oxyzacchara pro siti. Secundo die mitius affligebatur, & sumpsit hunc syrupum. ℞ syr. de cicor. cum rhabar. oxyzach. simplic. syr. de end. ana ℥ j. aquæ fœniculi, fumariæ, cichorij ana ℥ ij. misce. pro ij. dosibus. Postea minorans pharmacum ebibit ex diacatholico. deinde rursus die minoris afflictionis, cùm vires satis constarent, vena secta fuit basilica brachij dextri, & bene ferebat. Postea ad ventriculi roborationem diarod. abb. & aromatico. ros. vtebatur, prun. damas. in aqua & vino cocta & suffocata sumebat pro siti. Vomitus postea minus eum afficiebat. Interea ex sequenti apozemate capiebat pro materiæ digestione. ℞ rad. fœniculi, petros. apij, cichorij ana ℥ ß. end. viol. dentis leonis, hyssopi, fumariæ ana m. ß. prun. damas. num. ix. vuar. passularum ab arillis mund. hordei mundati ana p. j. sem. anisi, fœniculi ana ℥ j. seminum 4. frig. maior. ana ℥ ß. fiat decoctio in aqua communi pro ℔. j. colat. addendo syr. acetos. simpl. de end. compos. oxyzach. simplicis ana ℥ j. misce.

Cæterùm

Cæterùm cùm quotidie bilioſa & pituitoſa excerneret, & nocte liquida excremẽta, à purgatione vlteriori abſtinuimus, ſperantes hemitritæũ per hunc fluxum ſatis ſpontaneum poſſe terminari, quamuis poſtea etiam vſi ſumus apozemate magis incidẽte pituitam. ℞ rad. fœ. apij, petr. aſpar. cich. ana ℥ ß. capil. Ven. polyt. den. leo. cich. hyſſ. ana m. ß. ſe. fœniculi ʒ iij. hor. mund. p. j. paſſul. enucleat. ℥ j. liquir. raſę ℥ ß. coquantur in aq. com. pro ℔. j. colat. addendo ſy. de bizan. oxyzach. compoſ. ana ℥ j. ß. miſce. quotidie adhuc egerebat multa muccoſa inſtar bilis vitellinæ. Poſt duas verò ſeptimanas puſtulæ quædã in facie & circa labia obortæ ſunt, quæ febrem breui finiendam ſæpe declarant, cùm & criticę aliquando eiuſmodi puſtulę in febribus eſſe ſoleant, atque aliàs quidem vbi inſtat morbi ſolutio circa labia tantum & circa nares frequenter apparent, quemadmodum in hoc monacho poſt coctionis ſigna, vt bona præſagia ſeſe oſtentabant. Sed in fine etiam gutturis inflammatio acceſſit, cum linguę ſcabritie, aphthis, & vuula relaxata ex catharro. At pro iis accidentibus depellendis hoc gargariſmo prius vſi ſumus. ℞ aquæ plantag. ℔. ij. diamori ℥ ij. mellis roſacei colati ℥ j. ß. dianucum ℥ ß. miſce. bolo armeno pulueriſato columellam laxatam eleuauimus: cucurbitas cum ſcarificatione ad catharrum diuertendum homoplatis affigi curauimus, ſanguine ad vncias quatuor ferè extracto. Hoc quoque gargariſmate vſus eſt. ℞ aquæ plantag. ℔. ij. aquæ acetoſæ, viol. ana ℥ iij. ſe. cydon. ʒ j. florum roſ. rub. p. j. bulliant. colentur. adde mel. roſ. colati ℥ ij. dianucum, ſy. granat. ana ℥ ß. miſce. & tandem ceſſauit columellæ inflammatio & laxitas, licet adhuc guttur intus inflammatum ſpectaretur, vnde venis

sub lingua incisis sanguinē effluere permisimus, hoc etiam præscripto gargarismo. ℞ aquæ plantag. acetosæ ana ℔. j. se. cithon. ʒ j. flor. ros. rub. p. j. bulliant & colentur, adde sy. ex ros. siccis, mel. ros. colati diamori ana ʒ j. misce. quibus inflammatio magna ex parte cessauit, lingua tamen adhuc tumida & inflata permanente: quare & hoc gargarismate & oris collutorio vsi sumus. ℞ plantag. florum caprifolij, folior. solatri, viol. acetosæ, hord. comm. ana p. j. se. cydon. ʒ j. ß. fiat decoctio in aqua communi ad ℔. iij. aquæ equiseti ʒ ij. colentur. adde syrupi ex infus. rosar. (ad maiorem detersionem aphtharum) ʒ ij. mel. ros. colati ʒ j. ß. misce. Interea pro febre bibebat iulebum. ℞ syr. de end. de chicor. cum rhab. ana ʒ j. sy. acetosi simplicis, oxyzach sim. ana ʒ ß. aquæ end. cicor. buglos. ana ʒ iij. misce pro iij. dosibus. Cæterùm cùm eo tempore aluum non vt prius deponeret, ita eundem purgauimus. ℞ diacathol. ʒ vi. diaphœnici ʒ ij. dissolue cum ʒ iiij. decoct. pectoral. misce. quo plurima pituitosa excreuit & pauca biliosa. Postea & hoc gargarisma descriptum est. ℞ hordei comm. herbæ acetosæ, plantag. viol. ana m. j. flor. ros. rub. p. j. se. cithon. ʒ j. ß. fiat decoct. in aqua com. pro ℔. iij. aquæ equiseti ʒ iiij. mellis ros. colati syr. ex ros. siccis, sy. ex infus. ros. ana ʒ j. misce. atque istis remediis tandem gutturis ac linguæ inflammatio tum aphthæ ægrum reliquerunt, & à febre hemitritæo periculosissima intra viginti dies liberatus est. Solet autem hemitritæos minor, vt annotauit Arnoldus de Villanoua lib. 4. breuiarij cap. 17. nono, decimoquarto, vel decimonono terminari vt plurimum, & quandoque vsque ad vigesimum vel ad summum vsque ad vigesimum quartum diem prolongari.

SCHOLIA.

MONACHI & qui vitam otiosam agunt maximè in hemitritæon incidunt, vt huic monacho regulari in monasterio Heyloe decumbenti euenit. Id quidem testatur Sauonarola his verbis: Qui enim consuetus est bilem multiplicare & biliosas pati ægritudines ratione sui temperamenti & regiminis viuendi, & se conuertat ad aliud regimen, pituitam coaceruando, hic in hemitritæon incidit. exempli gratia, quando quis biliosus ac pauper vtens cibis acutis, seque vigiliis consumat, laboribus & exercitiis sese emaciat, & inediam patiatur; vt ad statum quendam excellentiorē perueniat: quemadmodum si clericus ad episcopatum tendat, vel anhelet, & iam episcopus factus quiete & otio vtatur, cibisq; multis & diuersis ferculis pituitam gignentibus, per viam indigestionis, plus solito sese replens, lautiusq; viuens, talis vt plurimum in hemitritæum labitur: ita vt multi eiusmodi Epicurei (inquiens ille) iustitia puniti cum hemitritæo moriantur. Ita etiam hodie crassi illi patres, abbates gulosi, cum amphora non minus quàm episcopi certantes, lautis cibis, vinoq; quotidie sese implentes, homines ventricosi hemitritæum incurrunt. Fitq; hæc febris eodem authore in transitu à pueritia ad adolescentiam, & de iuuentute ad primum senium, & prælatis, ecclesiasticis, siue episcopis, qui ante prælaturam pauperes fuerunt, & mercatoribus hinc inde cursitantibus, cùm ditiores euaserint, & postea ab exercitiis & laboribus quieuerint. Suntq; hæ febres maximè fallaces iuxta Auicennam, quæ aliquando (vt prius quoq; dictum est) vsque in septem menses extenduntur, & cum virtutis deiectione magna ex parte lethales vel dubiæ. Apparent autem præcipuè tempore pestis, quemadmodū nos experientia vidimus dum hæc rescriberemus anno 1573. sub finē autumni apud Delphenses potissimum men-

Sauonarola.

Auicenna.

Quo tempore hemitritæi adpatere solent.

mum mense Decembri. Ita & iuuenis quidam, qui apud calcearium grauiter decumbebat, non sine conuulsione hanc febrem passus, quanquam postea non sine magna nostra industria euaserit: ac alij non pauci, qui & vermes per os & aluum deiecerunt. Puella quoque iuuencula annorum octodecim pulcherrima, Harlemo veniens, post inediam in obsidio macilentior facta, & nunc lautius subitò viuens, eadem febre correpta est. delirabat hæc, medicamenta respuebat, perpetuò vigilabat: quã ante me Hadrianus Iunius insignis doctrinæ medicus, nostri amantissimus, tractabat, post delirium sedatum, per me laude diuina sanitati restituta fuit. Hæ febres iuxtà humorum varietatem citius tardiúsue terminantur: bilis breues producit, pituita & melancholia longiores. & sic hæc febris modò inter chronicas diuturnas, modò inter acutas ægritudines referri potest. Si igitur valdè molestæ sint & maximè infestent, citius terminantur; & si virtutem lædant, interficiunt, vel in hecticam aut hydropem permutantur à causa calida. Si tardius moueantur, tardius quoq; finiunt, & virtute deficiente ad diuturnos morbos conuertuntur, ad phthisim, hecticas febres, hydropem & similia. Hinc Gentilis hemitritæon portitorem periculorum dixit. Solet præterea subinde fluxus ventris vel vomitus in principio minoris vel medij hemitritæi obuenire vi symptomatis, debili tunc existente virtute, infirmo mors prædicenda erit. Alioqui cum fortitudine virium, & vi materiæ pugnantis contra morbum, vel criticè breuem ægritudinem & maximè salubrem signis coctionis præcedentibus præsagit, magisque si in statu coctionis signa apparuerint. Fluxus tamen continuus & superfluus tam in medio hemitritæo, quàm maiore vel minore, magna ex parte lethalis est. Sed & vrina pauca mortẽ decernere solet, cum adustionem vel casum virtutis prænunciat. Id etiam considerandum, quod etiam in speciebus hemitritæi maior habenda

Cautio.

ratio

ratio sit euacuationis per ventris solutionem, quàm alterationis, sicuti in aliis febribus compositis, quàm ad calorem extinguendum. quia materiæ sunt permixtæ & copiosæ hemitritæum causantes. Sed & hoc etiam hic animaduersione dignum, morbos compositos compositis medicamentis curandos esse, & quod iuxta normas simplicium, compositas quoque curabimus febres. Et quamuis digestio euacuationem præcedere debeat iuxta eundem Auice. lenitiua quoque ante eam hic quoque locum habent, cùm materia in istis febribus pro maiore parte crassa existat. Notandum quoque quis humorum componentium abundet, is magis digerendus, ac euacuandus erit, altero tamen non neglecto. Interea si dispositio vehementior sit, quod ex ardore & siti validiore constat, alterantibus magis insistendum erit. Si materia magis abundet, quod ex angustia corporis eiúsque grauitate, venarum repletione, ex vrina crassiore cognoscitur, magis euacuantibus vtendum. Si virtus debilis est, tunc roborare oportet cibis ac potu, morbum eo tempore nonnihil postponendo. Et sicuti in omni putrida febre medicum sollicitum esse oporteat circa stomachi, hepatis, splenis, aliorumq; membrorum naturalium obstructiones tollendas, & roborationes, & eodem modo hic maximè laborare oportet ne ea membra debilitẽtur, aut humores facile recipiant, & si quæ in iis sit obstructio, vt hãc auferamus studendum erit. Particularia autẽ remedia ab auctoribus iam dictis petẽda.

OBSERVATIO XX.

De hemitritæo medio.

CIRCA initium mensis Septembris egregia matrona Guilhelmina de Oesthoren, mulier si quæ altera ditissima, ita vt vix parem in diuitiis haberet, cognata nostra, ac vidua Andreæ Guilhelmi de Oesthoren, ætate sexagenaria, alioqui robusta, satisq.

inquieta, & supra modum biliosa, quod & actiones celeres in ea existentes proculdubio indicabant. quæ cùm in hemitritæon medium incidisset, nos tunc Alcmariæ agentes vnà cum Gerardo medico Alcmariano ad eā satis deploratè decumbentē acciti sumus. Singulis diebus reduplicationes fiebant cum rigore & frigore, at tertio quoq. die valdè semper inualescebat febris, cum vigilia, alienatione, siti vehemētissima, cum lingua aspera, nigra, cum calore & dolore intolerabili renum. Hæc enim vidua licet satis annosa, voluptatibus adhuc dedita, cibisque optimis semper vtens, quæ mulierē ad Venerem instigare solent, qua quidam, vt vidua honesta, vti non posset, renes magis concalfacti erant, & sic bile magis coaceruata in hanc febrem incidit, quæ ex bile intra vasa existente constabat, & pituita extra vasa, ita vt bilis longè superaret pituitam. Quod ad curationem attinet, pro siti & calore subinde capiebat oxyzaccharam simplicem, & hunc syrupum ebibebat. ℞ oxyzacch. simpl. ℥ j. ß. syr. de end. ℥ j. aquar. endiu. cicor. borag. ana ℥ j. ß. aquar. bugloss. parietar. ana ℥ ij. aromatisetur cum ℈ j. ß. spe. diarod. abb. & fiat iuleb clareti instar pro ij. dosibus. mox lenitiuum ex cassia & diapruno simplici cepit: ac materia communi educta, in vidua quamuis annosa, nterea valida, robusta ac plethora affecta, & missioni sanguinis assueta, vncias ferè 8. sanguinis in manu dextra ex vena basilica detrahere fecimus: singulis autem annis consueuerat ex ea vena, & non in brachio sanguinem demittere. Extracto itaque sanguine nihil virium amisit, quare tam pro alteratione, quàm pro materiæ digestione tempore minoris afflictionis, & cùm valdè calore febrili afficeretur, ter in die ex sequēti decocto sumebat. ℞ cort. rad.

cicho.

cicho. ℥ j. folior. viol. end. acetoſ. cichor. dentis leonis, borag. ana m. j. hor. mund. p. j. ſe. 4. frig. maior. ana ʒ ij. prunor. damaſ. numero xxv. fiat omnium decoctio in aqua acetoſ. viol. borag. ana q. ſ. ad ℔. ij. ß. colaturæ adde ſyr. de end. viol. oxyzach. ſimpl. ana ℥ j. ß. ſyr. de cicor. nicoli cum rhab. ℥ ß. aromatiſetur cum puluere ſpecier. diarod. abb. diatragacant. frig. trionſant. ana ℈ j. ß. clarificetur diligenter, & fiat ad modum iulebi. Cùm non dormiret, tempora inungi mandauimus oleo nenuph. papau. ſimul mixtis. Ad tenum caliditatem & febris ardorem magis increſcentem & hoc iulebo vtebatur. ℞ fol. viol. maluæ, parietar. acetoſ. bugloſſ. borag. ana m. j. prun. damaſ. q̃r. j. iuiubar. ſebeſten ana num. v. hord. mund. p. j. ſem. quatuor frig. maior. ana ʒ ij. ſe. portul. ʒ ß. ſe. papau. albi ʒ j. granor. alcachengi num. iij. fiat decoct. in ſero lactis pro ℔. j. ß. colat. addendo ſy. viol. ℥ ij. oxyzach. ſimpl. ſyr. de cicor. nicoli cum rhab. ℥ ß. fiat iuleb. in quo pendeat puppa infra ſcripta. ℞ rhabar. ſelectiſſimi ʒ j. ß. ſpicæ ſquinanti ana gran. iij. exprimatur hic nodulus inter bibendum, cum aluum ſatis citã haberet. ex eo modò bis, modò ſemel quotidie excernebat valdè biliosa. Deinde ad bilem magis abundantem & ad pituitam minus exuperantem reſpicientes, ſignis coctionis in vrina apparentibus, ita leuiter hanc matronam purgauimus. ℞ caſſiæ recens ex cannis tractæ ʒ v i. diaprunis lenitiui ʒ iij. rhab. optimi, electi & puluerisati ℈ j. diſſolue in aqua viol. end. borag. ana ℥ j. ſy. viol. ℥ ß. miſce. fiat potio. qua ſumpta tempore minoris afflictionis octies multa biliosa & pauca pituitosa excreuit, remanente tamen calore febrili, maxime verò in renibus, lumbis, cùm ex natura calidos renes habebat, & ſanguinea

esset, & mustum copiosè bibisset antea, quo valdè delectabatur,& cibis delicatis vsus esset,quæ inquam omnia sanguinem biliosum auxerant, & inflammarant,vndè & hemitritæo medio correpta fuit. hinc & capite valdè dolebat, vaporibus à bile in caput emissis. Quare sub pedibus,illa vrgente, ne ira commota suo cerebro indulgens si ex voto non succederent omnia, nos incusaret, subsequentia apposuimus. ℞ herbarum dētis leonis,cruciatæ,maluæ, minutim incisarum ana m. j. vng. popul. ʒ j. sale adiecto exiguo fiat cataplasma, pedibus apponenda. ex iis dicebat & dolorem capitis & renum mitigari. alioqui fermentum cum caulibus,vel columbas per medium scissas, vt aliàs commodè facere consueuimus, pedibus supposuissemus.Interea tamen lumbos inunximus infrigidante Galeni,quod vnguentum seu ceratum in officina, vt & rosaceum paratum semper erat. Verùm diebus aliquot intermissis, post purgationē, demum symptomata dicta inualuere, neque febris illam reliquit. Quare iterum iulebo alterante præscripto,pharmacum vltimò præscriptum ebibit, quamuis leue. & ex eo plus decies aluum deposuit, & choleram vitellinam crassam cum pituita excreuit, ita vt paulo pòst à febre hemitritæo media dicta, admodum periculosa, magno cum nostro honore curata fuerit. assumptis subinde pro roboratione zaccharo rosaceo perlato & condito infra scripto. ℞ conf. ros. summit. absinthij Rom. diacithonij sine speciebus, conf. borag. bugloss. ana ʒ ß. manus christi cum perlis ʒ j. cort.citri conditi ʒ iij. syr. acetos. citri q. s. fiat mixtura auro cooperta. capiebat omni manè ad magnitudinem castaneæ, ac refocillatis viribus perfectè sanitati restituta est intra spacium septendecim dierum.

Scho-

SCHOLIA.

HEMITRITÆOS *febris media etiam secundū Arabes fit ex bile intus putrescente & pituita extra venas putrefacta, id est, ex continua tertiana, & quotidiana intermittente. ratione bilis intensiora symptomata habet, ratione pituitæ remissiora: hinc media dicta. Estq; hæc continua semper cum nimio calore, siti, vigiliis, inquietudine, alienatione, furore, de tertio in tertium more bilis inualescens, & singulo die more phlegmatis paroxysmum quotidianæ imitante: in principio vrina rubea, subrubea, mediocriter tenuis apparet, in statu crassior, aliquid liuiditatis & nigredinis habens in superficie, vel viridis; adest & linguæ asperitas, ariditas ob bilem, dolor frontis, temporum, aurium, ventris constipatio, pulsus velox, rigor de tertio in tertium sexta hora diei, subinde habens 26. horas in summo labore, 12. in falsa quiete. Hæc febris ob symptomata à bile, grauis atque periculosa est; & sicuti paruus hemitritæus facile in lethargū vertitur, ita & medius in phrenitidem, vt autores meminerunt: ideo quoq; iubent non solùm in hac febre, sed in omni hemitritæo, ægros frequenter esse inuisendos. Quod verò ad curationē huius febris attinet secundum eos qui Arabū decreta sequūtur, non differt à curatione minoris, nisi in hoc, quod hic intentio magis est ad bilem intrò putrescentem, quàm ad pituitam extra putrescentem: ideo vitæ regimen, victusq; rationem & res nō naturales ad frigidā inclinare magis iubent. Vtantur lactuca, cucur. end. maximè in principio & augmento in potu detur aq. zacch. vel aqua hord. carnes omittantur: Conueniūt cremor hord. ptisana, hordeatū, amygdulatū, & fercula ex herbis supradictis, adie. spinach. borag. fœn. virtute debili existente. Concoregius concedit ius pulli decocti cum hordeo mundato & colato. Post septimum authores admittunt carnes pullo-*

Causæ. Signa. Præsagia. Curatio.

rum, gallinarum iuuenum, caponum, perdicum cum lactuca, portulaca & similibus, vel vino granatorum aut omphacio alteratas. Si febris protrahatur & vires debiles existant, vinum Rhenanum lymphatum dant, & carnes iuxta morbi longitudinem & virium debilitatem. Venam hic quoque secamus, si opus est, viribus constantibus, & si plenitudo adsit, quemadmodum in hac vidua conueniebat, satis larga sanguinis euacuatio, alioqui minus ob bilem, prout indicationes admittunt, vel dehortantur. Syrupi & iulebi magis respiciant bilem. Talis magistralis à Tornamira laudatur. Digestio. *℞ acetos. dentis leonis, viol. lenticulæ, aquæ hepaticæ, graminis perfoliati, end. ana m. j. sc. frigid. maior. berberis ana ʒ iij. liqui. mund. ℥ j. iuiubarum numero xxx. prunor. damas. x v. vini malor. granat. ℔. ß. zacch. ℔. j. facta prius decoctione; vt decet, fiat sy. magistralis. Vel bibat ptisanam cum syr. viol. vel oxyzach.* Purgatio. *Materia purgetur cum decocto florum & fruct. in quo cassia sit soluta, & triphera Sarracenica. vel detur infusum rhab. cum aqua casei, vel manna, vel thamarindi ante venæ sectionem. Post euacuationes præceptor meus Benedictus Fauentinus commendabat lotiones brachiorum & pedum ad diuersionem ob dolorem capitis in hemitritæo medio, ne fieret delirium. Probat etiam appositionem hirudinũ ad hæmorroidas euacuandas. talia maximè & vapores & humores à capite diuertunt. Concoregius commendat eadem localia, seu topica, quæ in tertiana synocho, & causo conueniunt: & Gilbertus Anglicus addit medicamenta in causo descripta, si lingua nigra appareat. ob vigilias, lotionibus addenda somnifera, lactuca, nymphea, calices papau. Villanouanus quoque his liberalius vtendum suadet somniferis ob bilem efferuescentem, quæ phrenitidem facile inducere posset. Hos dictos authores sibet perlegito.*

OBSER-

OBSERVATIO XXI.

De febre ſimilitudinem habente cum hemitritæo maiore, quæ febris etiam ab Agathino maior dicta fuit.

PASTOR in Oudtherſpei (ita enim pago, germanico idiomate, nomen erat, prope Alcmariam) cùm tertianam continuam incurriſſet & ad me lotium miſiſſet, quo tempore in Hagamcomitis vocatus eram, ita vt is qui lotium ferebat, ſacrificulum empiricum acceſſerit, à quo cùm pharmacum accepiſſet, neſcio quod, adeo grauiter decubuit vt pro deplorato haberetur, atque extrema inunctione munitus tamquã hinc emigraturus, poſtea tamen ad ſe rediit, & rurſus 27. Septembris die, anno 1556. cùm febres contagioſæ & peſtilentes graſſarentur, cumq. ex Hagacomitis rediiſſem, iterum lotium vnà cum literis ad me miſit, quibus ſignificabat, quod continuo lento calore de quarto in quartum diem magis infeſtaretur, & de tertio in tertium cũ rigore & horrore eundem febris inuaderet, vnà ſentiens æſtum ingentem circa præcordia & ſimul ſitim intolerabilem. Vrina quam ad me miſerat, valdè tincta erat, in ſuperficie quidẽ liuida & ſubnigra, ita vt ſuſpicionem haberẽ de hemitritæo maiore, qui in peſtilentia maximè apparere ſolet, vt rectè Benedictus Fauẽtinus præceptor meus admonuit, & etiam ſcripſit in ſua Empirica. Cùm huic prius vena ſecta eſſet, ac variis vſus fuiſſet pharmacis, conſului vt alterantibus vteretur in hunc modum. ℞ oxyzach. ſimpl. ſy. acetoſi ſimpl. ſyrupi de acetoſitate citri, de bugloſſa ana ℥ j. aquar. bugloſſ. borag. fumariæ, end. cich. ana ℥ iij. miſce. fiat iuleb. quo egregiè calor febrilis extinguebatur. interea

& pro

& pro roboratione virium ex sequenti mixtura capiebat. ℞ conf. flor. borag. bugloss. viol. ana ℥ ß. manus christi cum perlis ℥ j. specier. diarod. abb. ʒ j. ß. syr. acetositatis citri, oxyzach. simpl. ana ℥ ij. sy. de epithymo ℥ ß. misce. Subinde quoq. sumebat rhombos ex diarod. abb. tandem sudore emanante per totum corpus instar icteritiæ nigræ subflauus & fuscus euasit, per modũ crisis, (vt arbitror) & tunc præter mentem omnium sanatus est, cùm vltra mensem lecto decubuisset ex eiusmodi lethali quasi hemitritæo. Verùm cùm hic pristinę sanitati restitutus esset, & pestis in eodem pago apud Langedyckios dictos, multos pessundaret, forasque exiret ad ægros infectos inuisendos & consolandos, denuò ad me scripsit, quibus remediis se muniret contra pestem. Consului vt faciem aqua ros. & aceto ablueret antequam foràs exiret. deinde vt sumeret quotidie cochlear vnũ ex syrupo acetositatis citri, & singulis septimanis bis ex hoc electuario ad magnitudinem fabæ maiusculæ. ℞ conf. folior. acetosæ ℥ j. ß. theriacæ optimæ ʒ ij. boli armeni veri ʒ j. ß. specier. liberantis ʒ ß. syr. acetos. citri ℥ ß. misce. Cùm apud ægros permaneret, præcepi vt radicem zedoariæ in ore masticaret, & apud focum luculentum iniectis seminibus iuniperi persisteret, & vt nodulum sequentem in pixide perforata reseratum aqua ros. & aceto ros. consperſum continuò olfaceret. ℞ florum ros. rub. ℥ ß. rad. zedoariæ, gentianæ in pul. redact. ana ʒ j. in syndone ligentur & in pixide concludantur, vel globulo rotundo foraminibus vndique perforato, aqua & aceto madentia. quibus remediis & eodem tempore à peste præseruatus est.

SCHO-

SCHOLIA.

DE peste & febribus pestilẽtibus libro sequẽti dicemus, nunc verò pauca hic de hemitritæo maiore adiiciamus, quam febrem authores qui Arabum scripta sequuntur ex melancholia intra venas putrescente, & bile extra fieri volunt, nempe ex continua, quartana, & tertiana intermittente conflata. Huius autem signa permixta sunt ex melancholia & bile: continuò affliguntur calore de quarto in quartum hora melancholiæ, cum lingua nigra, adusta: videntq; in somnis corpora nigra, mortua, quæ ægris terrorem incutiunt, & subinde ratione bilis res citrinas rubeásque spectare videntur, ignemq; volantem, stellas cadentes, de tertio in tertium paroxysmus cum rigore inuadit, hora ipsius choleræ, & signa adiuncta sunt quæ in tertiana apparere solent. Referunt Sauonarola, Gilbertus Anglicus, Arnoldus de Villanoua hanc febrem 40. horis in summo labore esse & 12. in falsa quiete. Concoregius addit in sinistra parte graue quid adesse. Est hæc febris magna ex parte lethalis, & tempore pestis cum multorum pernicie grassari consueuit. Et iuxta Gartopontham in libro suo Passionario, qui liber falso Galeno ascribitur, dicit quod potius diuina quàm humana manu curatur, propter quod Deo sola cura relinquenda est. Hæc ille. tamen pium est semper ægris succurrere, cùm sæpius præter mentem contingat ægrum ad sanitatem peruenire, & ab eiusmodi morbis liberari, qui alioqui à doctissimis medicis lethales habeantur. Ideo dicebat Gilbertus Anglicus capite proprio, ne videamur ignorantes & relinquere ægrum, potest fieri venæ sectio vsq; ad quartum diem, & omni die offeratur syrupus acetosus cum aqua scolopend. & epithymi, & regatur æger vt in continua quartana, præmisso lenitiuo ex cassia aut manna. Vena basilica sinistri brachij secetur, & materia digesta vt in quartana continua purgetur,

Causę hemitritei maioris.

Signa.

Prognostica.

Curatio.

purgetur, adiectis etiam iis quæ bilem reſpiciunt. Particularem huius curationem habes ad longũ apud Guainerium diff. 2. tract. 5 De Feb. cap. 3. de cura hemitritæi maioris. Satis eſt nos locum adieciſſe, quem ipſe legere poteris. ponit idem author & quartam ſpeciem hemitritæi ex tertiana continua & quartana intermittente, quam alij prætereunt, quòd rarius eueniat: quæ ſi contingat etiam periculoſa exiſtit. huius curationem quoque habes apud eundem loco citato cap. 4. Cùm enim bilis magis abundat, huius ratio maximè habenda, deinde & melancholiæ. cùm humores miſti ſunt, miſta etiam debet eſſe curatio: qui magis abundat, huic magis intendendum, altero omnino non neglecto. Si harum omnium febrium magis particularem curationem deſideres, ad loca iam citata recurras. Atque hæc ſatis de hemitritæis ſecundum decreta Arabum dicta ſint.

OBSERVATIO XXII.

De febre horrida: cui acceſsit eryſipelas phlegmonodes, in herpetem miliarem tandem tranſiens.

GHEERTRVDIS vxor ſtannarij, mulier ſi quę altera pulcherrima, quæ in platea noua dicta Delphis habitabat, decimo Maij die anno 1561. cum Dordraci ageret, ad nundinas profecta, horrida febre correpta fuit. quinquies eodem die, quemadmodum poſtea referebat, ſentiit horrorem, frigus, & calorem, more febrium ſubintrãtium & reduplicantium. Prima quidem acceſſione dum horrebat, halecem comedebat & vinum Pictauiẽſe ebibebat. magis deinde horrere cœpit febre increſcente, etiam dolore in gutture ſuborto, inflammatione interna ſubſequente, quanquam ſemper deglutire bene potuerit, nullo intus nec

tus nec extra apparente tumore. Eo autem tempore medicum Dordracenum consuluit; at neglecta venæ sectione, fortè negligentior, nihil remedij præscripsit aut exhibuit. Die subsequenti nempe Dominico, & 11. Maij iterum horrorem incurrebat. At 12. Maij sine ordine aut certa inuasionis hora febris rursus eam occupauit, gutturis quoque inflammatione permanente. Decimo tertio die Maij domum rediit, ac iterum manè horrida febris eam inuasit. Post meridiem eodem die ad eam accitus fui, cùm in vicinia decumberet, eratque quartus dies ab initio morbi. Repperi tunc eam quasi sine febre esse, vel remissè admodum febricitare: atq. ore aperto speculo argenteo immisso, guttur inspexi, quod inflammatum erat, vnà cum columella, nullo tamen apparente tumore. Vbi autem ab ea decumbente intellexissem nihil ab initio morbi actum fuisse, venam secare instituì. At cùm aluum intra quatuor dies non deposuisset, & clysterem non admitteret, glandem suppositi, qua aluum deiecit: interea vt gargarismo paululum adstringente & ad inflammationem faciente vteretur præcepi. Deinde post tres horas cum chirurgo rediens, vt is venam secaret, inuenimus rursus eam in principio accessionis esse, horrore iam inualescente. quare detractionem sanguinis, ob febrem iam inuadentem, in diem sequentem distulimus. Et ita 14. Maij redeuntes, febre iam remissa ac in falsa quiete quasi iam existente, ex vena cephalica ob gutturis inflammationem & capitis dolorem in brachio dextro sanguinem detrahere iussimus, sanguine ad vncias sex emisso. plus enim sanguinis emittere ausi non fuimus, dum ea dubitaret num grauida foret, cùm purgationes menstruæ consuetæ ad duos menses non appa-

apparuerant: iam quoque octo diebus prægressis antequam in hunc morbum incideret, vena basilica ex annua consuetudine illi secta quoque fuerat. A venæ sectione cùm gargarismo conuenienti vteretur melius habuit & inflammatio gutturis tum columellæ cessauit. Tamẽ sub noctem iterum febricitauit, quanquam natura à sanguinis detractione alleuiata super residuum materiæ fortior existens, ad exteriora materiam propellebat, ita vt in facie circa nares potissimum erysipelas phlegmonodes suboriretur, & mox gutturis exteriora occupauerit. Petrus Fredericus chirurgus & amicus noster, sororius huius mulieris ægrotantis vnà mecum ad eam accedens, faciem vnguento nutrito, quod ex lithargyrio more solito confectum erat, oblinebat. Decimo quinto die Maij in diluculo cùm satis libera à febre videretur, vel potius in falsa quiete, infusum senæ ac rhabar. cum decocto end. cichorij, fumariæ in sero lactis, cùm exhibuissemus, multa biliosa & pauca admodum pituitosa excreuit. attamen paulo pòst iterum horrorem habuit ac febricitauit. Decimosexto die Maij, qui erat septimus dies ab initio morbi, erysipelas foràs eductum conuertebatur in herpetem, guttur exterius occupans tum faciem ac nares: quanquam circa faciem subitò cessauerit. Postea herpes miliaris à parte posteriori totum collum, mox humeros inuasit, & ad dorsum vsque repens, demum ad mãmillas perueniens, etiam circa collum & nucham tanti fuit ardoris & caloris, vt papulas excitauerit, quibus incisis, humor madens biliosus effluebat. Sed antequam erysipelas phlegmonodes in herpetem miliarem conuerteretur, Cornelius Heydius collega meus vnà ad eam vocatus est, septimo scilicet die à morbi initio. Lingua tunc scabra ap-

bra apparebat, ita vt aphthæ metuerentur. Gargarismus descriptus est ex decoct. hord. comm. scab. plan. se. cithon. maluæ, cui in fine colato diam. adiiciebatur. Cùm etiam adhuc aderat gutturis inflammatio, venæ quoque sub lingua sectæ sunt. Verùm erysipelate mox commutato in herpetem (vt diximus) linimento ad faciem præscripto ex muccagine seminis cithon. altheæ, & aqua ros. vsi sumus. Paulo pòst ex sola aqua rosacea & sem. cithon. & ad defensionem oculorũ aqua ros. sola in oculos stillabatur, eaq. oculi sæpe madefacti sunt. Cùm enim erysipelas foràs tendebat, optimum signum erat, iuxta Apho. 25. lib. 6. sic dicente Hippoc. Erysipelas ab exterioribus verti ad interiora, non est bonum: ab interioribus autem ad exteriora, bonum. Hac etiam de causa inflammatio illa minimè erat repercutienda: quare linimentum adhibitum est, quod constabat ex oleo violaceo amygd. dul. pingued. gallinæ. Verùm cùm erysipelas in herpetem conuerteretur, & inflammatio augeretur, præcipuè in posteriori parte colli, à linimento supradicto abstinuimus: & Heydius proponebat vnguentum camphoratum album. quod chirurgo ac mihi minus placuit, eius loco potius decocto sequenti vtendum esse referebamus, quo aliàs vnà cum chirurgo in simili casu rectè vsi fueramus in monacha apud Diuam Claram. quod equidem ita paratur. ℞ hederæ muralis, plantaginis, vng. caballinæ ana m. j. ebulliant semel in aqua pluuiali, quæ per tecta tegulata cærulea defluit, eaque aqua leuiter madefactæ pustulæ quæ minimè latæ fiebant, sed paulatim milij instar per totam cutem serpebant. folia verò integra vngulæ caballinæ ex decocto sumebantur, & communi consilio herpeti admodum commodè applica-

bantur. Prima fronte medico præsenti minus placebat vngula caballina ob nimiam humiditatem (vt dicebat) eoq. minus conuenire æstimabat. Interea nos citantes Dios. qui folia tussilaginis seu bechij trita cum melle illita, ignibus sacris & cunctis inflãmationibus mederi tradit. Id quod olim erysipelas Græcis dicebatur, id quoq. olim Latinioribus sacer ignis vocabatur, quod & doctissimus Amatus cent. 2. curat. 25. confirmauit de quodam in crure erysipelas patiẽte, in cuius scholio refert quod erysipelas Latinioribus sacer ignis dicatur. Constat quoque ex Galeno bechion herbam modicè acrem esse, hinc sine molestia ac noxa omnes thoracis abscessus rumpi creditur; sanè & folia viridia (vt ait Galenus, & citatur à Fuscio in suo Herbario) partes cruda inflammatione obsessas illitu extrinsecus adiuuãt, propter aqueæ humiditatis admistionem: qua omnia virentia, tenera, alia plus, alia minus participant. nam sicca bechij folia acriora sunt, quàm vt inflammatione laborantibus partibus conueniant. Hæc Gal. Hedera quoque adstringentis substantiæ est etiam acris & aqueæ substantiæ: ideo ad vlcerationes igne factas, vt dicit Gal. facit; vlcera conglutinat & maximè huic malo conueniens est: & plantago erysipelati medicamentum proprium est. Cęterùm cùm Ericius seu Heydius vnguentum camphoratum applicandum vrgeret, similiter prius quoque inunctionem ex oleo viol. & amyg. dulc. in parte ipsius anterioris colli, & postea etiam cataplasma ex farina hordeacea, muccag. sem. cithon. altheæ, & aqua ros. confectum. non potuit ægra prædicta medicamenta ferre, quibus & malum exasperabatur: ideo rursus coacti fuimus deuenire ad folia vugulæ caballinæ, quibus etiam plus commodi

modi sentiebat. Verùm febre denuò magis increscente, ita vt ægra plurimum afficeretur, & angustia opprimeretur; vt in syncopem aliquando incideret, materia biliosa adhuc abundante, cum exigua pituita, febre etiam postea non obseruante typum, & ipsa accessione certam horam non habente, octauo die ab initio morbi hanc sequentem purgationem exhibuimus. ℞ rhabar. selecti ʒ j. schœnanti ϑ ß. infunde in aqua cichorij per noctem, prius facta leui ebullitione, manè huius fortiss. expressionis accipe ʒ iij. ß. in qua dissolue mannæ selectæ ʒ vr. misce, & fiat potio. qua quinquies plurima biliosa & pauca pituitosa deposuit. Nono verò die ab initio morbi materia foràs magis magisque propellebatur. at febris nihilominus cessauit, imò ita increbuit, vt parum deliraret; non obstante, quod lotium magis coctum apparuerit: vnde etiam magis de salute ægrotantis sperare cœpimus. nam eruptis menstruis, per duos dies non tamen largè fluxere: quamuis melius deinde habuerit, non fuimus tamen ausi menses magis prouocare aut iritare, erysipelate foràs omnino prodeunte. & ideo calida medicamenta menses euocantia intus exhibere minus tutũ fuit, ne febris quoq. augeretur. Decimo die magis herpes inualescebat & latius serpebat: quod ægra à cataplasmate imposito fieri putabat, papulis minutissimis & calidissimis in collo & occipitio valdè infestantibus, ita vt ex dolore tum inflammatione capiti incumbere non posset, febre iterum sese augescente. Amoto ita cataplasmate, vngula caballina (quod nos magis laudabamus) eo modo quo prius (vt dictum est) admota fuit, & multo melius folia ita apposita ferebat. Prius tamen fiebat inunctio ex muccagine, sem. cithon. cum aqua

ros. linimenti instar coagulata, antequam folia imponerentur. Vndecimo verò die & 12. cùm nondum cessaret febris, & calor remaneret, iulebos ex aqua cichorij & sy. acetositatis citri propinauimus. Et pro cordis anguſtia ac siti frequenter sumebat cochlear vnum syr. acetositatis citri per se. Vtebatur quoque continuo potu seri lactis, vt vẽter humectaretur, quo valdè delectabatur. Cæterùm cùm erysipelas tum herpes vsque ad mãmillas procederent serpendo, ad dorsum similiter vsi sumus vnguento ros. mesuæ, peciæ enim lineæ eo inungebantur, & locis calidiusculis atque infectis tum etiam mãmillis apponebantur, ne malum vlterius serperet: prius tamen locis affectis semper inunctis linimento quod ex muccagine cithoniorum & aqua ros. concinnatum erat. Est enim illud vng. ros. (quod sine opio compositum erat) descript. mesuæ optimi odoris, & nobilissimum remedium faciens ad phlegmonas, erysipelata, herpetas mirum in modum sedat, vt hic quoque experti sumus. facit etiam ad cephalalgiam calidam, & ad ventriculi tum hepatis intemperiem calidam, & renum calores mitigat. propterea & lumbis idem vnguentum applicuimus. Herpes quidem licet istis remediis iam dictis sanaretur, febris nondum mulierem reliquit. At cùm nono die vrinæ crassiores euaderent, plurimum sperauimus 14. die febrem posse finiri: eoque magis, cùm primo hæc febris satis continua videretur cum multis reduplicationibus, & nunc postea intermitteretur, & motum tertianæ intermittentis tantum insequeretur. Nam nono die febricitauit cum delirio. decimo die rursus febris increbuit: similiter & vndecimo & duodecimo die. decimo tertio die libera fuit à febre, & decimo quarto die ite-

die iterum febricitauit, motum tertianæ insequendo. Cùm igitur nono die vrinæ crassiores fierent, & decimo tertio die libera à febre esset, optimum fuit signum iuxta Aphori. 43. lib. 4. Hippocrate sic scribente: Febres quæcumque non intermittentes tertia die fortiores fiunt, magis periculosæ: quocumque autem modo intermiserint, periculum abesse significat. Verùm herpete iam ferè curato, febre tamen non desinente, cùm circa præcordia dolor hæreret, duodecimo die tempore maioris quietis hanc purgationem sequentem iterum propinauimus. ℞ rhabar. electi ʒ j. ß. squinanti ϑ ß. ebulliant in aqua borag. cichor. q. s. fortissimæ expressionis accipito ʒ iij. ß. in qua dissolue mannatis selectissimi ʒ ß. misce. qua potione quinquies egregiè aluus soluta est, & multa biliosa, liquida, malè olentia, & pauca pituitosa tum muccosa excreuit. Decimo tertio die, vt prius diximus, febrem non habuit. Decimo quarto die iterum febricitauit sed non grauiter. nam in declinatione huius febris plurimum sudauit & non amplius febricitauit: & fuit 14. die ab initio morbi, vt prædictum erat, in totum à febre liberata, post sudorem copiosum, somno deinde tranquillo subsequente, neque herpes aut erysipelas rediere, ita vt perfectè curata permanserit, Dei ope, à quo omnis medela.

SCHOLIA.

HORRIDÆ *febres cùm periculosæ sint, ad hemitritæos quoque referuntur, vt dictum est: Cùm horrificæ febres eædem sint, vt antea demonstratũ est.* Φρίξ *enim græcis horror est, vnde febres* Φρικώδεις *horrificæ appellatæ sunt. horror remissus est rigor, vt superius ostensum est, quædam media affectio inter rigorem & frigus. Is autem fit calore flauæ bilis humorem crudum commouente & putrefacien-* Horridæ febres.

te. Itaque febres omnes horrificæ ſuccenſa bile, in crudis humoribus enaſcuntur, atque vtroque humore æqualiter mixto: ſi quidem cruditas putreſcit in venis, bilis extra vaſa, exquiſita ſit ſemitertiana, vt antea diximus. Sic aliæ febres horrificæ, in quibus horror repetit (vt in hac muliere) breuibus interuallis, & eadē acceſsione; eſt eiuſmodi motus horrificus inæqualis, cùm videlicet natura conatur excludere materiam. Sed hæc propter craſsitiem, aut quia denſior cutis eſt, vel denique quòd natura non ita robuſta eſt, reſiſtit, neque poteſt diſcuti. In hoc genere tardiſsimè incaleſcunt, longaq; ſunt & principium acceſsionis, & incrementum. Aliis ſimul atque motus bilis remiſſus eſt, nouus redit inſultus, quia dum calor affligit corpus, frigidi humores putreſiunt, nouamq; acceſsionem commouēt: & inde frequens reduplicatio, quam ἀναδίπλοσιν vocant, fitq; vt ſuccedens acceſsio longè ſit deterior præcedente: quia iam laſſata virtus eſt, priore acceſsione. Quod autem hic ſudores emanarunt, id fuit poſtea in declinatione, horrifica febre non amplius infeſtante, ſed in tertianam ſimplicē intermittentem nunc mutata. Sed in horrificis febribus ſudores mali, non naturæ victoria, ſed vi expreſsi, idq; vel propter crudorum copiam, vel virium imbecillitatem. Frigent extrema, vruntur intima, ſoporoſi fiunt, ventres cruda deiiciunt, vrinæ crudæ, decolores, tenues, aliàs turbulētæ & craſsitudine præditæ, nullo ſedimento, aut malo, inæquali, diuulſo, faſtidia, animi deliquia, ſyncope, conuulſiones, mala omnia. Quemadmodum illi euenit, qui in portu Delphenſi ægrotabat, cui peſsimè febricitāti ſemina cataputiæ malè propinata erant. Peſsimæ enim febres (vt aliàs diximus) in quibus crudorum copia bili confuſa eſt. Curatio huius mixta eſt, vt iam ſæpe diximus, habita ratione num cruda vel bilioſa materia ſuperet. At in hac horrida febre bilis pituitam longè vincebat, quod & eryſipelas, deinde herpes ſuperueniens demonſtrabant.

Horrotis cauſa.

Ἀναδίπλωσις.

In horrificis febribus ſudores mali.

bant. Erysipelas enim & herpes à fluxione biliosa quidem originem habent, sed diuerso modo. Fluxio enim biliosa in aliquam partem (testante Galeno in libello de Tumoribus præter naturam) si decumbat, idq; ab exquisita bile profecta, cutem exulcerat: si verò sanies aquosas vel etiam sanguinem habeat, minus est acris, sed particulam magis in tumorem attollet, quam exulceret. Hoc igitur erysipelas nominatur, alterum verò herpes. Humor autem à quo vnumquodque horum gignitur, tum ex colore, tum ex caliditate partis affectæ facile dignoscetur. Rursus cum fluxio acris, hæc quidem minus, hæc verò magis talis existat; sciendum est ab acriori fieri herpetem exedentem, ab altera verò miliarem, vt hic erat. Atq; hæc sanè fluxio, vt idem testatur Galenus pituitam habere mistam mihi planè videtur: vt illa proficisci à meracissima bile. quare & cũ erosione affecta, sed proximã inuadẽte cutem. Verùm si ex æquo sanguis & bilis commista fuerit, huius affectus forma & natura in medio erysipelatis & inflammationis consistit. Quod si alter ex humoribus longè exuperet, ab exuperante affectus nomen sortietur, cum adiectione tamen humoris admisti, vt Galenus ad longum in libello de Tumoribus præter naturam declarat: quod nunc nostri instituti non est enucleare, sed aliàs cùm de tumoribus præter naturam agemus, si Deus me superstitem fecerit, de iisdem dicturi sumus. Satis est hic nunc annotasse quod primo huic mulieri erysipelas non purum, sed phlegmonosum bile exuperantè adfuerit, ac tandem desinens in herpetem miliarem, cum acri fluxione, etiam pituitam vel serosum humorem admixtum habentem. Et ideo exhibita purgatione ad bilem magis valente, vt Galenus in mulierecula illa Romana fecit, cum topicis remediis curari non poterat: ita & hæc nostra mulier supradictis purgationibus ad hãc rem aptis, tam à febre quàm à tumoribus illis præter naturam, rectè curata fuit. Atque hæc de

Erysipelas, herpes à fluxione biliosa fiunt, sed diuerso modo.

febribus horrificis, de hemitritæis ex continuis & intermittentibus compositis, dicta sufficiunt. Restat vt vnum atque alterum exemplum adferamus de compositis febribus, quæ ex continuis febribus iisq; simul confusis fiunt, quæ omnium difficillimè cognoscuntur.

OBSERVATIO XXIII.

De febre continua quotidiana latica dicta, cui & hectica febris admixta erat.

POST multos perpessos labores, & itinera valdè molesta, ob praxim medicam frequentiorem, quam habebam extra vrbem Delphēsem anno 1562. die 20. mensis Iulij, manè ad medium octauæ horæ, ipsemet incidi in dolorem nephriticum in latere dextro: metuens ibidem inflammationē, iniecto statim enemate, dolor nōnihil sedatus est. Verùm cùm mox rediret, vena in brachio dextro nempe basilica secta est, sanguine ad vncias quinque extracto: vnde dolor cessauit. Verùm post vnum atque alterum diem circa meridiem rursus peius habere cœpi, sumpto prandio incalescebam, ita vt febriculam licet leuissimam adesse suspicarer: quamuis foràs per aliquot dies adhuc prodirem, ita vt per octo dies ægrotantes inuiserem. At semper accepto cibo stomachus grauabatur, ita vt febricitare me non sentirem: sed ab initio & domi obambulando & in publicum exeundo potius dispositionem stomachi solam, eiusdemque imbecillitatem esse putabam quàm febrem. Aderat tamen mihi dolor capitis, sed exiguus, assumpto cibo. Cùm igitur vrina parum ab ea, quę sanitatem indicat, mutata foret, ac humoribus me grauatū sentirem, ac repletū, & cacochymia affectum: præsumptis prunis dulcibus hispanis, quæ magis quàm damascena (quæ

acida

acida sunt) soluunt, ad tres pluréſue dies, cùm ea pro materiæ præparatione & lenitione accepiſſem, pilulas ſubſequétes deinde ſub noctem longè à cœna 29. die Iulij, deglutiui. ℞ pilul. aurear. aggregat. ana ℈ j. pilul. maſtich. pul. rhabar. electi ana ℈ ß. cum aqua bethonicæ (ob capitis dolorem) fiebãt pilulæ. ex iſtis aluum deieci plus octies, plurima quidem pituitoſa & pauca bilioſa, cum anguſtia quadam, vt etiam pituitoſa quædam per ſuperiora euomuerim. Capitis dolor deinde cùm mitigatus videretur, ita vt turſus foràs prodirem, non fui tamen poſt illam purgationem ex integro ſanitati reſtitutus: imò poſt duos dies coactus fui domi manere, dolore capitis paulo vehementiore mox redeunte, vnà cum dolore lumborum: & ſemper cibo aſſumpto incaleſcebam, & tandem perfectè ſingulis diebus manè circa horã nonam manus frigebant & nares, & deinde paulatim aucto leuiter calore magis incaleſcere cœpi: & omni hora quando comedebam magis grauabar, & plus incaleſcebam, ita vt tunc manifeſtè perceperim me febre quotidiana continua, quæ latica dicitur, laborare, cui etiam hectica primæ ſpeciei coniuncta erat: ita vt poſtmodum vires apertè concideren, maximè verò virtus motiua, & corpus indies magis extenuebatur, cùm tanta ſtomachi imbecillitate, vt deinde cibum continere non potuerim; continuo quoque catharro afficiebar, cuius cauſa neque in febre ſitiebam. Aderat & lumborum dolor, vt paulo antè admonuimus, cum renum caliditate, & vrinæ poſtea circa augmentum pingues, licet parum tinctæ cernebantur. A principio morbi vſque ad 24. diem omnino crudæ, tenues permanebant, nec ſubſidebant. Cùm animaduertiſſem hanc febrem quotidianam continuam eſſe

cùm hectica. ita curationem instituí. Primo quod ad victum attinet in principio tenuiori vtebar, sed cùm perciperem ex omnibus signis febrem fore longam, ad crassiorem deueni. Cùm manè hora nona magis febricitarem, & post quartam horam pomeridianam calor febrilis nonnihil mitigaretur, capiebam iusculum pulli, cui ouum molle, zacch. parum, & panis intritus, leuiterque cocta immista erant. Rursus hora octaua sub noctem ouum molliusculum sumebam, & vinum lymphatum cum aqua cocta superbibebam. Subinde etiam eodem tempore ex contuso capi accipiebam, febre iam sese remittente. Postea viribus magis labentibus ad carnes auium montanarum accessi. Verùm primis diebus ad aliquod tempus pro potu ptisanam bibebam, at stomachi imbecillitate tanta succedēte vt cibum postea non continerem, vino diluto & ceruisia communi pro potu vtebar; idque moderatè, cùm adeò sticulosus non essem ob catharrum ad fauces & linguam dilabente: vnde columella laxior facta bolo armeno, deinde alumine tosto & pulueriſato subleuare cogebar. etiam gargarismis ad hoc malum propellendum aptis vtebar. Et cùm nocte minus dormirem, hordeatum capiebam ex hordeo mundato, amygd. dul. & zaccharo violaceo concinnatum: eo sumpto sæpius ad quatuor pluréſue horas tantùm dormiebam. Post primum tamen somnum caput graue erat, ob catharrum; post secundum adhuc grauius; post tertium grauissimū. Et ideo si plus quinq. horis nocte dormirem, ex catharro laborabam; sin minus, hectica conficiebar. Circa quintam horam in diluculo, aliquando hora sexta vel septima, iterum capiebam iusculum pulli aut veruecis. Postea martios panes, vel si mauis

appella-

appellare amygdulaceos panes, vulgo massepain dictos sumebam, aliquando verò oua mollia, & superbibebam vinum lymphatum. Deinde vsque ad horam nonam à cibo abstinui, ob febris accessionem, quæ aliquãdo cum leui refrigeratione, vt dictum est, inuadebat, aliquando cum oscitationé tantùm, vt refrigeratio non sentiretur: & ita cùm tempore vespertino calor febrilis mitior esset, cœnã tunc sumebam, nempe ex pullo aut aliquo iusculo restaurante, prout morbi longitudo, tum vires indicabant. Quod ad reliqua remedia attinet, ita procedebam. In principio cùm ob febrem quotidianã multa phlegmata ad stomachum debiliorem confluxissent, & ibidem coaceruata forent, pro materiæ pituitosæ incisione & præparatione vtebar decoctione hord. oxymelite simplici adiecto. deinde leuiter meipsum purgaui cum cassia & catholicó. Postea ad nonum diem Augusti progressus, morbo adhuc crudo permanente, cùm maiori digestione opus esset, sequens medicamentum digerens, pituitamque crassam incidens, in officina præscribebam. ℞ cort. rad. fœniculi, petrosel. cichorij, asparagi, glycyrrhizæ mund. ana ʒ ß. capill. Ven. melissæ, borag. bethon. absinthij Romani (ob stomachum debilem) ana m. ß. sem. anisi, fœnic. ana ʒ j. vuar. passul. ab aril. mund. ʒ j. fiat decoct. in aqua comm. ad ℔. j. colaturæ addendo oxymellis simplicis ʒ ij. mel. ros. colati ʒ j. misce. Post sex septémue dies cyathum vnum decocti eiusdem purgãtis cepi, videlicet addendo decoctioni iam præscriptæ, folior. sennæ alexand. ʒ vi. polypod. querc. ʒ ß. prunor. damas. num. vii. epithymi (quia valdè afficiebar melancholia ex longo morbo) agar. fœmini, albi, leuis, ana ʒ j. zinzib. albi ϑ ß. fum. viridis (loco mellis) m. j.

m. j. coquantur in aqua comm. ad ℔. j. colaturæ expreſſæ addantur oxymellis ſimplicis ℥ ij. ſyr. de epithymo, de cicor. nicoli cum rhab. ana ℥ ß. miſce. Deſtinaueram autem ex illo decocto continuis tribus diebus in diluculo ſumere, at vno cyatho ſumpto manè hora tertia noctis (quia tunc melius habebam) ſtatim manè ad ſextam horam habui duos ſeceſſus, & tunc panatam cereuiſiariam, pane pauco intrito ac zaccharo adiecto & butyro valdè exiguo comedi, & rurſus paulo pòſt ventrem depoſui: mox ſubſequente nauſea cum ſtomachi dolore & anguſtia ad vomitum inclinabar, dolore magis magisque me premente, ſed tunc cochleari vno oxymel. deglutito, vomitus ſubſequutus eſt; ac euomui pituitam craſſam, muccilaginoſam in maxima copia, vt integram peluim impleuerit. Et poſt meridiem venter magis ſolutus eſt, vt plus octies ex medicamento aſſumpto, multa pituitoſa deiecerim. Poſtea verò ad reſtaurationem vtebar cibis optimè reſtaurantibus, valdè nutrientibus & electuariis reſumptiuis, & conditis ad hecticam facientibus & ſtomachum roborantibus. ventriculi enim ratio præcipuè habenda erat, & ideo omni manè & veſperi ſtomachum inungebam cum oleo maſtichino, abſinthino, nardino, & oleo maceris ſimul mixtis. Verùm ex decocto amplius non ſumpſi, cùm ſatis purgatus eſſem. Verùm quibuſdam diebus intermiſſis, cùm iterum craſſam pituitam in ſtomacho collectam perſentirem, rurſus accepi manè per duas horas ante acceſſionem febrilem cochlear vnum oxymelitis ſimplicis, cui ſyrupi violacei exiguum (ob hecticam, admixtum erat. Cęterùm non diu pòſt ſtomachus fuit ita debilis (quemadmodum ſæpe contingit in quotidiana) vt nullum cibum continere poſſet, &

set, & hectica paulatim increscebat, vt ad marcorem quasi deuenirem: & tandem grauissima quoque accidentia superuenerunt, præcipue verò caliditas renum & dolor eorundem, præter catharrum, qui continuò me affligebat, cum capitis grauitate; & aderat stomachi magna imbecillitas, adeò vt post trigesimum quintum diem huius morbi tanta omnium, inquam, membrorum debilitas accesserit, vt amplius in pedes stare non potuerim. qua de causa etiam incidi in syncopem in ipsa accessione febris cum extremorum membrorum frigiditate per duas horas permanentem, cum sudore frigido emanante. Tunc ad me venit Cornelius Ericius vir doctus, & collega meus, prius per pharmacopæum admonitus vt amicitiæ causa me inuiseret: illo quidem præsente vix ad me redieram à syncope leuatus, vt mens constaret. Collega autem cùm pulsum attigisset, me bene sperare iussit, interea ego ad eum cōuersus aphorismum illum Hippoc. adferebam, quod frigidi sudores cum acuta quidem febre mortem, cum mitiori longitudinē morbi significarēt, vt habetur lib. 4. Apho. 37. Præterea & hanc febrem compositam qua laborabam, pernicioſam esse dixi, quia ex contrariis composita: & ideo si longus morbus foret, me nō posse sustinere, ob virium imbecillitatem. Hæc cùm narrassem collega ex me rogauit, qua diæta vsus essem: Respōdi me colaticiis, pullis, ouis mollibus, vinoque lymphato vsum fuisse. Quæ cùm audiuisset vt in eadem victus ratione persisterem, præcepit, atque sic abiit. Interea lumbos inungebam oleo viol. amygd. dul. simul mixtis. Postea etiam cùm ob hecticam tum morbi longitudinem extrema membra exsanguia forent, sanguine & calore depauperata, iisdem intrò receſſis, iubebam vt

bam vt vxor mea (quæ singulis noctibus atq. diebus socia fida in hoc morbo diligenter seruiebat) leuiter pedes tum manus ac brachia fricaret, idque quotidie multis diebus, etiam eo tempore maxime cùm conualescerem. At defectus ille animi in aliis accessionibus postea nunquam rediit, dolore renum caliditateque permanente. ideo eos cerato infrigidante Galeni, medico etiam præsente annuente, inungebam: cui etiam postea vnguentum ros. addebam, ad maiorem refrigerationem & roborationem. Pro siccitate totius corporis, vt assimulatio in extremis partibus melius fieret, spina dorsi oleo viol. vt inungeretur mandaui, oleo ros. & semine muccaginis altheæ adiectis, & instar linimenti permixtis. Postremo ad vnguentum rosatum redibam. Interea per os continuò sumebam conseruam rosaceam recentem seu zaccharum rosaceum. Nutrit enim & ad hecticam facit, stomachum roborat, & renes calidos alterat, nec frigidis renibus nocet. Cæterùm post paroxysmum, in quo syncope eram grauatus, adeò inualidus fui, vt amplius incedere non potuerim, & coactus fui perpetuo decumbere: quamuis postea in aliis paroxysmis subsequentibus in febris declinatione sudare cœperim, quod antea nunquam feceram. qui sudor vires ita non deiiciebat, vt sperarem hanc quotidianam febrem ad maiorem mitigationem peruenturam. Interim redibam ad materiæ præparationem hoc digerente medicamento præscripto. ℞ glycyrrhizæ rasæ ℥ j. cort. rad. cichor. fœniculi, petros. ana ℥ ß. hordei mundati p. j. coquantur in aqua com. pro l. j. huius capiebam in nocte, hora tertia vel quarta manè in diluculo ℥ iij. vel. iiij. addendo semper ℥ j. syr. viol. ob hecticam. Deinde omni mense bis aut ter accepi hanc

hanc leuem purgationem ob febrem putridam & laticam. ℞ fol. senæ alexand. à stipitibus repurg. ʒ ij. semin. fœn. ana ʒ ß. coquantur in decoct. com. huius fortissimæ expressionis accipiebam ʒ iij. addendo cassiæ mund. cum man. sy. borag. ana ʒ ß. misce. & aluus ex tam leui purgatione ad minus septies purgabatur; admirantibus Cornelio Heydio & Hugone Nieuenio Hagano (qui amicitiæ causa me subinde inuisebant) quod aluus mihi tam facile moueretur. Tandem cœpi melius habere, quanquam stomachus subinde cibum nõ contineret, ita vt multa phlegmata, & cibum aliquando vomitu reiiceret. omni manè stomachum inungebã oleis illis stomachicis, ex macere mastiche & oleo nardino simul mixtis, & quotidie ʒ ij. diarod. abb. in tabul. sumebam. modò conf. ros. modò conf. absint. Rom. Calore deinde mitigato in fine morbi ad confect. spec. arom. ros. sine musco deueni. Pro virium quoq. restauratione tum tẽporis, & pro hectica vtebar zacch. ros. perlato, viol. & pane masseo vulgo **massepain** dicto, pineolatis, frictionibus etiam adhibitis: tandem conualescere cœpi, cùm iam tribus mẽsibus ita periculosè laborassem. & sub finẽ mẽsis Octobris febris me reliquit. At ex hectica vires tamen lõgo tempore collapsæ deiectæq. admodum diu permanserunt: sed & catharrus post febrẽ etiam finitam cum capitis grauitate mihi adhæsit. Pro quo malo depellendo vtebar vna pil. magna ex ♃ j. hieræ sim. parata, quam in introitu lecti deglutiebam: qua bis aut ter aluum deiiciebam. Ob stomachum verò debilem ex longo morbo, humoribus crudis ex nouo coaceruatis, vnde vapores sursum elati defluxum catharri magis inferebant: & ideo tertio quoq. die accipiebã myrobal. vnum chebulum cond. & optimè contulit. Modò ca-

dò capiebam fruſtũ vnum nucis myriſt. conditæ. Vbi verò conualuiſſem, & foràs exirẽ, ter quaſi recidiuam paſſus ſum. eo die quo in publicum prodirem, cibum non continui, quem eo die cœpiſſem. poſt ſeptimanam iterum mihi exeunti idem contigit, tum etiam tertia vice. & ideo rectè dixit Arnoldus de Villanoua inſignis ille medicus, quod debiles promptiſſimè incurrant recidiuam, potiſſimum melancholici. Ad catharrum tamen perdurantem, & ſtomachi debilitatem ſingulis ſeptimanis ſumebam pilulam vnam nempe ℈ j. pilul. maſtichinarum, & nocte altera ſubſequente bis tantùm operabatur & egregiè conferebat. Ad catharrum maſtichen manè maſtichabam, per horam vnam, pituita ex ore fluente ac capiti cucufam ex maſtiche, olibano roſ. rub. zandaracha confectam imponebam. Sed cùm ferre non poſſem, ſolo fumigio maſtichis in pannum rubrum recepto, vtebar panno capiti impoſito, cucurbituliſque cum ſcarificatu ſcapulis impoſitis, & pilulis aſſumptis, dolor ille capitis mitigari cœpit, ſternutatione quoque leni cum extremitate ſudarioli nares pungendo intus titillandoque prouocata, quæ dolorem capitis ſubinde leuabat pituita excuſſa, quamuis non ex toto tolleret. à cœna quinque ſemina vel plura coriandri ſimplici tunica, zaccharo (vt vocant) obducti capiebam ad vapores reprimendos, qui in cerebrum ferebantur, & catharrum augebant. Cumque ter pilulam vnam maſtichinam deglutiſſem, diuino potius auxilio à catharro curatus fui, priſtinam ſanitatem recuperaui, poſtquam quatuor ferè menſibus ita periculosè laboraſſem, hyberno ſolſtitio nunc inſtante, idque Dei optimi maximi benignitate, qui me adhuc ſuperſtitem eſſe voluit in hac lachrymarum val-

rum valle, vt deinde alacrius vocationi meæ diligenter intentus miseris ægris adhuc subuenirem, cuius nomen laudabile manet. Nunc & in perpetuum à solis ortu vsque in occasum.

SCHOLIA.

FEBREM *hanc quotidianam esse continuam, à Principe seu Auicenna, laticam dictam cognoui. quòd nunquam desinebat ad perfectam infebricitationem, quamuis aliquando erat remissior. refrigeratione manifestam, qualis est in intermittente, non sentiebam, sed tantum circa nonam horam modò citius modò tardius, leuem infrigidationem pedum, manuum ac narium, quæ vix durabat, superueniente mox calore, dolore capitis etiam subsequente, & lumborum caliditate: qui calor vehementior apparebat, aliquando à decima hora ante meridiem incipiens, & subinde ad horam quartam vsque pomeridianam magis affligebat; deinde mitior procedebat vsque ad horam nonam vel decimam noctis. Sed quacumq; hora comedebam, calor rursus intendebatur, ita vt tandem manifestè perceperim me laborare continua quotidiana cum hectica primæ speciei, ita vt postremo ad principium secundæ speciei deuenerim, in extremum periculum satis lapsus, ob continuam quotidianam cum hectica complicatam seu confusam. Quod in hanc febrem periculosam inciderim, iuuarunt & catharrus longo tempore præcedens, ex capite defluens ad ventriculum, crudítates pituitosas in eo accumulando, ob itinera multa quæ præcesserant, circa ægrotantes sub tempore pluuioso, etiam constitutione temporis diu humida & nebulosa prægressa. Auxerunt quoque malum, continui labores, cogitationes indefessæ circa ægros, melancholia inde quoque aucta; tum signa illa in hoc morbo apparentia, quæ metum incutiebant, eoq; magis cum indicationes curandi hic contrariæ essent,*

Continua quotidiana cum hectica primi gradus.

virtute quoque fatigata. Nam febri pituitosæ continuæ putridæ prodest calefactio & euacuatio: Hecticæ infrigidatio & humectatio: ita vt postea potius diuino quàm humano auxilio curatus fuerim, cùm hæ febres mixtæ ex diametro inter sè pugnantes curationes desiderent. Duo igitur hic maximè considerandæ veniunt, inprimis quod hæc febris lenta erat. Secundo quod hæc ipsa esset quotidiana continua cum hectica permixta. Lenta erat, quia putredo humoris latebat, imò primò vix putabam me febricitare: non erat tamen eiusmodi lenta febris, quam aliàs sequi diximus corruptelam visceris alicuius. Sed erat quotidiana continua, lenta & latens: ac ideo à barbaris latica dicta. sed talis quæ etiam cum hectica erat: nam antea demonstratum est hecticam cum putrida commisceri posse. Pauci tamen de febris laticæ & hecticæ simul compositione scripsere, neque de hecticæ & putridæ curatione simul: ob difficillimam harum febrium inuicem confusarū curationem, vti & Sauonarola existimat. cum hectica infrigidantibus & humectantibus egeat, neque laxatiuis nec desiccantibus aut aperitiuis, quibus omnibus putrida curari desiderat. Et multo maior (inquit) accidit hæc contrarietas, quando huic applicatur febris phlegmatica continua (quod secundum plurimum fit) quæ indiget calefacientibus & exiccantibus. Facilior autem est curatio illius, quæ cum bilioſa permiscetur. quia tunc & humectantibus & infrigidantibus largius vti possumus. Et ista est causa (teste eodem Sauonarola) quod Auicenna neque alij eum sequentes, neque antiqui nostri de ea febre composita scripserunt. Solus hic Sauonarola medicus expertißimus, quatuor canones circa eiusdem curationem posuit: quanquam etiam Gilbertus Anglicus de duplici hectica & cōpositа pauca attulit lib. 1. Sed Sauonarola & perfectius & latius de quotidiana continua cū hectica scribit, apponens quoq; exemplū egregium curationis, vt mox adfere-

Cur quotidiana continua à quibusdam latica dicitur.

Compositio hecticæ cum putrida.

Hectica cum quotidiana continua difficilis curationis est.

Quatuor vniuersales canones de curatione continuæ quotidianæ cum hectica, vel si ipsa hectica cum alia putrida commixta fuerit.

adferemus. Adducit autẽ circa huius febris compositæ curationem, quatuor canones vniuersales. Primus versatur circa victus rationem, secundum quod magis vrget, altero non neglecto: & ideo si plus de hectica timeamus, regimen vitæ & victus rationem magis inclinemus ad frigidum & humidum. Si plus de febre phlegmatica, minus: imò procedemus cum temperatis in actiuis & passiuis qualitatibus. Si biliosa, ad frigidum & humidum magis. Si melancholia febris prævaleat, ad temperatum in actiuis & ad humidum vitæ regimen accedemus. & idem de medicamentis syrupisq; digerentibus intelligendum. Etenim in hac opus est maximæ prouidentia, oportetq; medicum sollicitum esse in expellendo humiditatem putredinalem, & in custodiendo naturalem. Propterea conueniunt cibi optimi succi, & alterantes: 1
vt ptisana, ius pulli macilenti. Hinc & optimè dixit Gilbertus quod debeant esse cibi medicinales, alterantes caliditatem febrilem, cũ lactuca, endiuia, & similibus. Idem quoq; de vino plus aut minus lymphando ratiocinandum: interea quoq; consideranda hora inuasionis febris, vt antea cibetur æger, & etiam cessante angustia & quiescente febre. Se- 2
cundus canon est digestio, & in hac perficienda, intentio debet esse composita, vt de cibo dictum est, vt in hac phlegmatica iuncta hectica exempli gratia. ℞ aquar. lactucæ, scariolæ ana ℥j. ß. aquæ absinthij, fœn. ana ℥j. zacchari q. s. fiat iuleb. ita quoq; de aliis humoribus pronunciandum prout hectica cum putrida febre permixta fuerit. Tertius 3
canon ad euacuationem pertinet, sub qua comprehendemus & vomitum & ventris lenitionem, quæ instituenda quoq; iuxta compositionem & mixtionem humorum. Et quod ad laxantia attinet, etiam illud maximè meminisse oportet, vt semper benedictis medicamentis vtamur, in hora minoris afflictionis. & in hac re enemata cæteris sunt securiora, modò æger admittat. id quoque considerandum, vt in pharma-

cis medicamenta cordialia imponantur, ne virtus deficiat. Et vbi materia nauseam incitet, leuiter vomitu iritanda, modò necessarium videatur. Quartus & vltimus canon est de alteratione, & perficitur electuariis restaurantibus de hectica dictis, vt rosata nouella. interim semper respectum habebimus ad humorum compositionem. Balneum hic nullo modo conuenit. Tolerat tamē Sauonarola, concocta & purgata prius materia. Cæterùm licet curatio huius febris, de qua nunc agimus, pendeat ex curatione duarum febrium simplicium, vt hecticæ & alterius putridæ: attamen ad maiorem cognitionē huius febris continuæ quotidianæ cum hectica & eiusdem curationis, casum hic referemus ex Sauonarola, egregiè curatæ. Qui ita se habet. Titius complexionis frigidæ & siccæ naturaliter, postquā deuenit ad ætatem viginti octo annorum, & vsum frigidorum ciborum, quibus temporibus elapsis cùm vsus esset, pituitam aquosam sibi coaceruauit ex continua cruditate per indigestionē, & continuò expuebat insipida, & videbatur sputum eius quandoque esse saporis butyrosi. Huic autem erat habitudo macilenta, cutis sicca, & aluus ex æquo detinebatur, præ nimia siccitate, parum vel nihil deiiciens. Hic autem febre latica correptus, quasi per mensem ægrotauit: eamq; febrem flocci faciens, ita vt putaret se non febricitare. Tamen stomachus eius à cibis grauabatur, vnde & æstimabat solius stomachi malam dispositionem & imbecillitatem esse. Et pro ea imbecillitate tollenda omnem lapidem mouebat, applicando sacculos stomachicos calidos & stipticos & roborantes, inunctiones, & his similia. Interim domi manebat, non tamen decumbens, sed per cubiculum deambulando, intra parietes se continebat. Postquam autem peruenit ad trigesimum diem ab initio computando quo malè habere cœpisset, manifestè percepit sese incalescere post assumptum cibum per horam, quod & alij ipsum tangentes similiter perci-

Curatio hecticæ iunctæ cū quotidiana continua, per casum vel modum exempli.

percipiebant, & durabat ista caliditas circa duas horas, deinde remouebatur. Interim paulatim cœpit cadere virtus motiua, idq; manifestè: tum totum corpus extenuari. Vocauit tunc Siculum nostrum medicum die quadragesima ab habita febre latica. Ipse verò considerans quæ dicta sunt, & alia multa signa, per quæ Siculus ipse discurrebat, quæ de latica & hectica habentur, iisq; animaduersis, & videns vrinam eius crassam & in colore remissam, circa superficiem supremam etiam liuidam, & telam pinguedinis supernatantẽ inueniẽs & pulsum eiusdem paruum, debilem, strictum, absque duritie. & aspiciens linguam, repperit eandẽ sine ariditate & siti, & in processu animaduertens quod omni vesperi circa 22. horam (computat horas more Italorum) siue accepisset cibum siue non, quod manifestum haberet calorem, præcedente aliqua leui infrigidatione pedum & digitorum, manuum, quam etiam ipse comprehendebat. Iudicauit ergo Siculus eum pati febrem phlegmaticam cum hectica complicatam, & eandem esse in fine primæ speciei, vel in principio secundæ. Tunc præcepit vt aër cubiculi ad temperamentum versus aliquam caliditatem declinaret, quia in mense Nouembri æger ita malè dispositus erat. Et iussit eum quietum esse, & quod omni manè circa ortum solis fricaretur, vngeretur oleo amygd. dul. mixto cum oleo violaceo, & pinguedine recenti pulli, & hoc per totum dorsum atque thoracem, & facta inunctione mandabat, vt sumeret ex hoc electuario. ℞ rosatæ nouellæ, diapenid. zacch. candi ana ʒ iij. pinear. mundat. amygd. dul. depilat. phisticorum ana ʒ vi. probè inter se misceantur. sumebat autem ℥ j. & superbibebat cyathum medium vini lymphati albi. Deinde post horam cum dimidia stomacho apponebat ceratum ex mastiche pingui, olei nardini exiguo adiecto, & tenebat ipsum per horam, eóque tunc remoto capiebat ex confectione rosatæ nouellæ ʒ iij. deinde bibebat medium cyathum

cibum vini, vt suprà. Atq; immediatè cibum sumebat, nempe pullum scilicet pistum, vel perdicem: & post cibum accipiebat de dicta confectione, & bibebat rursus vinum. mox ad mediam horam quiescebat, modò dormiens, aliquando verò nullo modo dormire poterat, propter calefactionem cibi. Cumq; appropinquaret hora vespertina exacerbationis extrema, similiter Siculus fricari faciebat, & apponi mandabat pannos calidos, & hoc continuabat, donec calor manifestè erumpebat: & tunc accipiebat æger de electuario suprascripto, & bibebat. Cumq; ad quartam horam noctis perueniebat, calore febrili iam per totum expanso, accipiebat cœnam suam, videlicet pullum suum, vt suprà. Deinde autem hora noctis capiebat oua duo sorbilia, & de confectione supradicta cum exiguo potu. Et antequam illa duo oua sumeret, fricabatur & vngebatur, vt suprà. In aurora autem sequenti dabat syrupum sequentem. ℞. rad. borag. bugloss. apij, fœn. ana ℥ j. sem. end. lact. sant. albi, rub. ana ℥ ij. flor. ros. viol. capill. Ven. flor. bugloss. flor. chamomill. meliloti ana ℥ j. cinnamomi, liquir. ana ℥ j. ß. flor. labruscæ ℥ ij. granorum coti, seu bombacis ℥ iij. mentæ siccæ, squinanti ana ℥ j. hordei excortic. iuiubar. sebestен, passul. ana ℥ j. decoquantur in s. q. aquæ, & cum zaccharo & penid. fiat syrupus. dosis ℥ ij. cum aqua decoct. passul. anisi, mastichis & sem. comm. frig. maior. Sumebat sex continuis diebus. Deinde dabat solutiuum ex cassia. ℞. cassiæ fistulæ ℥ j. elect. indi ℥ ij. diapenid. loch de pino ana ℥ j. ß. dabat cum iusculo pulli. Procedebat autem cum hoc digestiuo & solutiuo euacuando ipsum omni mense bis aut ter. Interim præscribens enemata ex succo betæ, iure pulli, melle & zaccharo rubro, oleo communi, vitellis ouorum & sale exiguo: & sic continuauit. & hæc ægritudo progressa est vsque in mensem Martium, & seruatus fuit omnipotentis Dei auxilio, qui sit semper benedictus per infinita secula amen.

Hic ad-

Hic adiiciendum, quod si fuisset temperatura bilioſa cum ſiti & aliis eiuſmodi accidentibus caliditatem ſignificantibus, tunc proceßisset cum frigidioribus, & vnguentis addidisset oleum de papau. & muccaginis, ſeminum cithoniorum; & etiam in confectionibus frigidiora & humidiora adiecisset, vt in hectica ſimplici dictum eſt. Hactenus Sauonarola, cuius exemplum maximè huic loco inſeruiens hic libuit adferre, vt febres compoſitas inter ſe confuſas non ſolùm probè cognoſceremus, verumetiam vt ſciremus quomodo & hæ vera methodo curari debeant. quod & exemplum ſequens luculenter etiam oſtendet, de Synocho cauſonide.

OBSERVATIO XXIIII.

De ſynocho cauſonide.

VIR nobilis de Viana, ac quęſtor ærarius illuſtris Domini de Bredenrode, hic cùm Delphis ad hoſpitium deflexiſſet (cui Buxea arbor aurea pro inſigni erat) anno 1566. 18. die menſis Auguſti, febre ſynocho cauſonide correptus eſt. Ad hunc ilicò vocatus, cùm valdè phlethoricus eſſet & robuſtus. Primo hoc lenitiuum minorans medicamentum exhibui. ℞ elect. lenitiui ℥ j. diſſolue cum ℥ iij. ß. decoct. comm. addendo ſyr. roſ. laxat. ℥ j. miſce. ex qua potione bene excreuit: & ita eductis excrementis communibus, altero die venam baſilicam brachij dextri per chirurgum incidere mandaui, ſanguine nigro & corrupto effluẽte ad libram vnã. Et bene tulit. Verùm hic tertia nocte peius habebat, & cùm in hoſpitio decumberet turbarum pleno, non potuit dormire; cumque etiam capite valdè doleret, vnguento populeo frontem inungi iuſſimus: & pro ſiti ac febre quæ valdè vehemens erat, ptiſana communi pro potu vtebatur ex hord. mundato, paſſulis, & glycyrrhizaraſa parata, quam pro ſatietate bibebat. Vigeſimo die

Augusti, quo etiam die vena secta fuit, cùm non posset dormire, pro cibo sub noctem hoc sequens hordeatum sumebat. ℞ hordei mund. p. j. amygd. dul. excorticat. ℥ ij. se. 4. frigid. maior. mund. ana ʒ j. fiat hordeatum seu emulsorium, vt artis est pro pᵗ j. zacch. alb. ad saporem adiecto. Vigesimo primo die Augusti, calore febrili semper accrescēte nec illo dormiente hunc sy. propinaui. ℞ sy. nenuph. ℥ j. sy. de limon. ℥ ß. aquæ lact. acetos. end. borag. ana ℥ j. misce. detur vnica vice. Pro alteratione ac siti subinde capiebat cochlear vnum mixturæ sequentis. ℞ rob de ribes, sy. de acetositate citri, sy. de limon. oxyzach. sim. ana ℥ j. ß. misce. Præterea pro hepatis calore de quo conquerebatur, vng. ros. mes. absq. opio supra pannum lineum inunctū hepati apponebatur. Cæterùm cùm multa biliosa liquida per se noctu dieque per aluum deiiceret, neque dormiret, adeò vt noctu aliquando deliraret, ob calorem febrilem, Ericium quoque medicum collegam meum vocauit: hanc emulsionem sub noctem sumendam vna præscripsimus. ℞ amyg. dul. excort. se. pap. albi ana ℥ ß. se. end. acetosæ, berberis ana ʒ ß. cum aqua lactucæ, omnibus in mortario lapideo prius contusis, fiat emulsorium. cui addantur sy. de limon. sy. nenuph. ana ℥ j. sy. de portulaca (ob fluxum valdè biliosum contemperandum & cohibendum) ℥ ß. misce pro ij. dosibus: vna detur sub noctem, altera post medium noctis; si ex prima non dormiat. Vigesimo tertio die Augusti, cùm febris adhuc accresceret, & augmentaretur, nec dormiret, sequens iuleb præscriptum est. ℞ syr. acetos. citri ℥ j. ß. syr. pap. ℥ j. aquar. end. nenupha. ana ℥ iiij. misce. pro ij. dosibus. Hypochondrium verò dextrum ob hepatis calorem vng. infrascripto inungi fecimus. ℞

vng. po-

vng. pōpulei, vng. roſ. meſ. ana ℥ ß. miſce. Cùm autem octo diebus & octo noctibus continuè non dormiſſet, in hoſpitio turbarum pleno decumbens, ac paraphreneſim ſeu delirium, imò phrenitidem ipſam metueremus, febre magis magisq. increſcente: ideo conſultum inter nos fuit, vt ędes ſeu domicilium mutaret. & ita ſcapha tranſlatus eſt in domum Harweri, qui in aggere Tinctorio habitabat, & tunc viſus eſt melius habere. Sed cùm rurſus nō bene dormiret, ac vigil permaneret, hoc emulſorium iterū ſub noctem ebibit. ℞ amygd. dul. depilat. ℥ iij. ſe. pap. albi, end. acetoſæ, ana ℥ ß. fiat emulſorium cum aqua lact. ℥ iiij. addendo ſyr. acetoſ. citri ℥ j. miſce. Eodem tempore ſubinde pro ſiti & alteratione capiebat cochlear vnū. ℞ ſyr. acetoſ. citri. Lumbos verò ac renes inunximus vng. popul. & roſa. ſimul mixtis. Poſtea fluxu bilioſo nondum ceſſante, ita vt viribus deſtitueretur, ex hac mixtura aliquando ſumebat. ℞ diacithonij ſine ſpec. ℥ vi. conſer. roſ. ℥ ß. ſyr. cydonior. ℥ j. ß. miſce. ſub noctem etiam hunc ſyr. cœpit. ℞ ſyr. pap. ℥ ij. ſy. cithon. ℥ j. miſce. Ad roborationem verò & alterationem frequenter capiebat fruſtum vnum manus chriſti perlati. Decimo verò quarto die ab initio morbi fluxu ceſſante, vti prædixeramus, à febre liberatus eſt. Verùm poſtea nimis citò ſeſe aëri committēs, denuò 3. Septembris die recidiuam paſſus, tertia quaq. nocte febricitauit, & vrina rurſus tincta fuit. Tunc me ſolum iterum vocauit. timebam ne in quartanam incideret cùm ad autumnum accederemus. quare hoc infuſum præſcripſi. ℞ fol. ſenæ ℥ vi. ſem. aniſi ℥ ß. rhab. ſelecti ℥ j. ſquinanti ℈ ß. bulliant in ℥ ix. decoct. comm. leuiter, & ſtent per noctem in infuſione: manè huius fortiſſimæ expreſſionis accipe ℥ iij. addendo

dendo syr. de limonibus, oxyzach. sim. ana ʒ ß. misce. fiat potio. reliquum maneat in infusione. ex illa dosi septies multa biliosa, syncera, postea & bilem vitellinam excreuit copiosè. Quarto die Septembris cùm adhuc secessum haberet, atque denuò fluxum leuiorem, reliquum infusionis non exhibui. Interea pro alteratione, vt crebrò ex syrupo infrascripto sumeret mandaui. ℞ syr. de limonibus ʒ iiij. Quinto Septembris die cùm iterum dormire non posset, hanc emulsionem ebibit. ℞ se. papau. albi ʒ ij. se. 4. frig. maior. mund. ana ʒ ß. fiat emulsio cum ʒ iij. ß. aquæ lact. addendo syr. nenuphar. viol. ana ʒ ß. misce. Deinde cùm adhuc non dormiret, sequens sub noctem propinaui. ℞ amygd. dul. excort. ʒ ß. sem. pap. albi ʒ ij. ß. fiat emulsorium cum ʒ iiij. aquæ lactucæ addendo syr. papau. viol. ana ʒ ß. misce. & optimè dormiuit. & paulo pòst febris illum denuò reliquit, & fuit perfectè sanitati restitutus, ita vt breui deinde sanus ad proprias ædes remeauerit.

SCHOLIA.

Causonides synochides.

Synochus causonides.

Causos synochides.

DICTVM *est, quod febres continuæ confundi inter se possent: sic fit febris composita ex synocho & causo, seu febre ardẽte. Quod si sanguis & bilis intra venas putrescẽtes æqualiter misceantur, febres efficient quas quidã causonides & synochides appellant. Si verò synochus præualeat causo, dici potest synochus causonides, qualis hæc febris erat, qua nobilis hic detinebatur. Si verò causos præualeat synocho, tunc hæc febris appellari poterit causos synochides, quemadmodum & erysipelas phlegmonodes dicitur. Qui decreta Arabum sequuntur, de his febribus ex professo magis tractant, inter quos est Sauonarola, quem perlegere poteritis, satis est vnum exemplũ hic apposuisse: Cognoscuntur autem*

autem eiusmodi febres ex synochi & causi signis. Et si signa causi prævaluerint, magis ad causum accedunt. Si verò synochi signa vincant, ad synochum. Si mixtio æqualis fuerit, signa mixta æqualia quoq; apparebunt. Signa prognostica habẽtur ex simplicibus continuis, ita & curatio ex curationibus simplicium prædictarum: vt si synochus prævaluerit, plus sanguinis extrahendum est, & magis sanguinẽ mundificantia adhibere oportet, quàm euacuãtia bilem. Si verò ad causon magis accedat, causi remedia prævalere quoq; debẽt, & maximè quæ calorẽ extinguunt sunt propinanda, & bilis euacuanda, non tamen fortibus medicamẽtis, ne humores iritentur. Cùm febris in hoc viro nobili, qui genio suo anteà indulgebat, antequam in hanc febrem inciderat, magis accedebat ad synochum, ideo libram sanguinis detraximus: mox vigiliis accedentibus, causi rationem magis habuimus, calorem extinguentia, somnifera, & alterantia præscribentes. Hoc autem exemplo aliàs quascumque febres confusas, continuas & dignosces, & curabis, modò harum simplicium curationem cognoueris. Atque hæc satis de febribus compositis, implicitis, continuis & confusis dicta sint, & ita tempestiuum esse reor vt hunc librum finiamus. Cumq; iam tria genera febrium absoluimus, atque primò de iis sermonem habuerimus, quæ ex spiritibus incendebantur: Secundò quæ ex humoribus putrefactis oriebantur: Tertiò verò de hecticis: & nunc vltimo de compositis febribus. Tria enim genera omnium febrium tam continuarum, quàm intermittentium & compositarum absoluimus. Vnum adhuc restat vt in sexto libro sequenti de febribus contagiosis, pestilentibus, ac de peste agamus, hoc libro de febribus compositis ad finem deducto. Signa. Curatio.

FINIS.

OBSERVATIONES MEDICINALES SECVNDVM ORDINEM, QVÆ IN HOC TERTIO LIBRO CONTINENTVR.

OBSER. I. De febre tertiana intermittente. *Pag.* 1

II. De febre tertiana intermittente exquisita. 3

III. De febre tertiana intermittente exactè pura, post tertium paroxysmũ finiente. 7

IIII. De tertiana intermittente non exactè pura, tamen legitima, septem circuitibus terminante. 10

V. De febre tertiana intermittente legitima, in monacho admodum sene. 16

VI. De febre intermittente tertiana satis exquisita, quinto paroxysmo terminante. 17

VII. De febre tertiana intermittente septimo circuitu finiente. 21

VIII. De febre tertiana intermittente nono circuitu desinente. 24

IX. De febre tertiana intermittente pura, septimo circuitu finiente. 32

X. De febre tertiana intermittente per icterum, septimo circuitu terminata. 41

XI. De febre tertiana intermittente maximum calorem habente. 43

XII. De feb. tertiana intermittente simpliciter dicta. 46

XIII. De febre intermittẽte tertiana notha. 50

XIIII. De febre intermittente tertiana notha & subinde recurrẽte, & tandem in magis puram desinẽte, curata. 58

XV. De tertiana intermittente notha, proximè ad puram accedente, quæ & vndecimo circuitu terminata est. 59

XVI. De febre tertiana intermittente notha ex bile citrina, vel ex bile mixta cum pituita aquea. 63

XVII. De febre tertiana intermittente spuria ex bile vitellina. 69

XVIII. De febre tertiana intermittente impura, seu notha, ex bile mista cum humore melancholico. 73

XIX. De febre syncopali intermittente, à bilioso humore orta. 77

XX. De febre quotidiana intermittente. 81

XXI. De febre quotidiana intermittente mutata in hecticam & tabem, ac de altera trãseunte in hydropem lethalem. 87

XXII. De febre quotidiana intermittente non diu perdurante. 92

XXIII. De

XXIII. De quotidiana febre intermittente, ex pituita insipida. 97
XXIIII. De febre quotidiana intermittente ex phlegmate dulci. 100
XXV. De febre phlegmatica seu quotidiana intermittente ex pituita acida, seu melancholia cum pituita. 104
XXVI. De febre phlegmatica quotidiana intermittente, à pituita mista cum bile, hoc est à phlegmate salso. 107
XXVII. De febre phlegmatica quotidiana intermittente notha, ex phlegmate vitreo crudo muscilaginoso seu pontico. 113
XXVIII. De feb. epiala. 117
XXIX. De febre syncopali, humorali dicta, ab humore pituitoso. 120
XXX. De febre phlegmatica diurna quotidiana cum cachexia. 128
XXXI. De febre quartana intermittente. 130
XXXII. De febre quartana intermittẽte subitò curata, & de altera longo tempore perdurante. 134
XXXIII. De quartana febre exquisita intermittente. 144
XXXIIII. De muliere ex mensibus suppressis in quartanam intermittẽtem incidente. 148
XXXV. De febre quartana intermittente legitima, populariter grassante. 154
XXXVI. De febre quartana intermittente legitima, in hydropem lethalem mutata ex medicamento calido intempestiuè epoto. 159
XXXVII. De febre quartana intermittẽte, post se duritiem lienis relinquente, & hydropem: à quibus tamẽ accidentibus æger sanatus fuit. 161
XXXVIII. De febre intermittente quartana in septuagenario curata. 168
XXXIX. De febre quartana intermittente notha. 171
XL. De febre quartana intermittente spuria, per maiorem bilis & melancholiæ assationem, nempe ab atra bile adusta. 174
XLI. De febre quartana notha intermittente, à sanguine adusto orta, vel à materia melancholica sanguinea. 181
XLII. De febre quartana notha intermittente, à melancholia phlegmatica. 184
XLIII. De febre quintana. 188
XLIIII. De puero trium annorum febre erratica laborante. 196
XLV. De febre erratica curata, antequam in quartanam transiret. 201

LIBRI QVARTI.

I. De febre hectica simplici post ephemerã orta. 206

II. De febre hectica à mœrore valenti & longo orta. 215

III. De febre hectica ex melancholia contracta, quæ primum gradum postea excedens ac secundum, deinde ad tertium peruenit; ex qua æger obiit. Et de hectica tabida non exquisita. 224

IIII. De febre hectica lethali, ex ardente febre prius orta, & malè curata. 232

V. De hectica post diuturnos morbos orta. 242

VI. De venæ sectione & purgatione in hecticis febribus perperam adhibitis. 249

VII. De febre hectica simplici, quæ tandem inualescens mutata est in febrem putridam & mortem. 256

VIII. De febre hectica cũ tabe. 264

IX. De hectica marasmode, tandem in marasmum lethalem desinente. 265

X. De vera tabe ac marasmo. 276

XI. De hectica febre, cui postea putrida accessit, prius quasi ex continua febre orta. 282

XII. De hectica febre cum quartana continua eaque lethali. 285

LIBRI QVINTI.

I. De duplici tertiana. 191

II. De tertiana duplici in quibusdã pueris oborta. 296

III. De duplici tertiana cũ vomitu bilis prassinæ. 299

IIII. De duplici tertiana cum saliua ex ore ob causam calidam elabente. 308

V. De triplici tertiana. 310

VI. De febre biliosa composita subintrante. 314

VII. De febre biliosa maligna subintrante cum sæuissimis symptomatis. 317

VIII. De febre duplici quotidiana. 322

IX. De febre duplici quartana. 324

X. De duplici quartana, quã fluxus alui subsequebatur, & de altera muliere, cum tribus mensibus duplici quartana laborasset, sanata. 327

XI. De triplici quartana. 329

XII. De muliere bis prima die febricitante, & secunda die semel. 332

XIII. De tertiana intermittente exquisita, mutata in semitertianam. 336

XIIII. De febre lenta, tandẽ in hemitritæõ mutata. 341

XV. De semitertiana ex simplici tertiana orta cum sæuissimis accidentibus. 345

XVI. De tertiana producta, in se-

in ſemitertianã periculoſam tranſmutata, cum conuulſione & ſyncope. 357

XVII. De ſemitertiana complicata cum tertiana ſatis exquiſita. 361

XVIII. De hemitritæo minori. 365

XIX. De hemitritæo minori, plus pituitæ in ſe continenti quàm bilis. 368

XX. De hemitritæo medio. 373

XXI. De febre ſimilitudinem habente cum hemitritæo maiore, quæ febris etiam ab Agathino maior dicta fuit. 379

XXII. De febre horrida, cui acceſſit eryſipelas phlegmonodes, in herpetem miliarem tandem tranſiens 382

XXIII. De febre continua quotidiana latica dicta, cui & hectica feb. admixta erat. 392

XXIIII. De ſynocho cauſonide. 407

FINIS.

ERRATA QVAEDAM SIC CORRIGENDA. LIBRI III.

Pag. 12. *lin.* 17. *lege* Criſibus. *p.* 14. *li.* 1. *le.* ſtatim. *pa.* 17. *li.* 29. *le.* muſco. *pa.* 22. *li.* 26. *le.* inappetentia. *pa.* 25. *li.* 19. *le.* capiebat. *pa.* 26. *li.* 27. *le.* ſalis. *p.* 29. *li.* 7. *le.* emulſione, vt & *p.* 36. *li.* 18. & *p.* 37. *p.* 29. *li.* 10. *le.* ℥ ß. ſem. *pa.* 32. *li.* 10. *le.* electu. *pa.* 36. *li.* 8. end. *le.* cum, *pa.* 37. *li.* 11. dele 12. *pa.* 43. *li.* 11. *le.* fotus. *pa.* 55. *li.* 19. v. *le.* 1. *pa.* 58. *le.* poſt xv. *pa.* 59. *li. penult. le.* Kerckvveruia. *p.* 60. *li.* 18. *le.* ſquinanti. *pa.* 61. *li.* 26. *le.* fotu *p.* 62. *li.* 12. *le.* capparibus. *p.* 71. *li.* 15. *le.* bruſci. *p.* 94. *le.* roſ. ℥ iij. *pa.* 98. *li.* 21. *le.* polytrici. *p.* 101. *li.* 8. *le.* ℥ j. *p.* 116. *li.* 9. *le.* iuncturarum. *li.* 14. aquæ *le.* ana. *p.* 123. *li.* 8. *le.* Surrentinum. *p.* 109, *li.* 1. adde oxymellis ſim. ana. *p.* 135. *li.* 14. *le.* epith. ℥ ß. *p.* 145. *li.* 15. *le.* flatuoſum. *p.* 146. *li.* 14. *le.* medicamentorum. *p.* 152. *li.* 9. *le.* fortes. *li.* 15. purgans. *li.* vltima *le.* illegitimis. *p.* 161. *li.* 30. *le.* caſſuthæ. *p.* 182. *le.* Forliuienſem. *pag.* 185. *li.* 27. *le.* ameos. *p.* 186. *le.* inulæ. *p.* 192. *li.* 23. *le.* octaua. *p.* 16. *li.* 21. *le.* ℥ j ß. *p.* 198. *li.* 12. *le.* minori.

LIBRI IIII.

Pag. 219. *li.* 21. *lege*, diututnam. *p.* 231. *li.* 14. *le.* Amatus. *p.* 240. *li.* penult. *lege* inflammato *pag.* 241. *li.* 2. *lege* aut eryſipelas. *li.* 13. *le.* perdurans. *p.* 243. *li.* 11. *le.* inflammat. an ſyncopem. *p.* 245. *li.* 2. *le.* ſcillæ, locuſtæ. *p.* 248. *li.* 28. *le.* aſſumunt. *p.* 249. *li.* 4. *le.* halica. *p.* 255. *li.* 18. *le.* meſuem. *p.* 256. *li.* 26. *le.* Oeſthoren. *p.* 261. *li.* 22. *le.* cithon. *p.* 262. *li.* 22. *le.* ſpodio. *p.* 271. *li.* 16. *le.* paſta. *p.* 277. *li.* 19. *le.* ſitim *p.* 279. *li.* 11. *le.* ſimiæ. *p.* 283. *li.* 11. *le.* loch.

LIBRI. V.

P. 299. *li.* 15. *le.* Dominam. *p.* 300. *li.* 18. *le.* apozemate. *p.* 305. *li.* 18. *le.* venæ. *p.* 308. *li.* 4. *le.* Fyckia. *p.* 323. *li.* 7. *le.* puppa. *p.* 336. *li.* 19. *le.* Cranenburchio. *p.* 349. *li.* 29. *le.* conquereretur. *p.* 356. *li.* 22. *le.* ℥ j. *p.* 362. *li.* 2. *le.* Tiepmæ. *p.* 365. *li.* 29. *le.* contuſis. *p.* 379. *li.* 5. *le.* Ouikerſpel. *p.* 481. *li.* 20. *le.* Garioponthum. *p.* 325. *li.* vlt. *le.* meliſſæ.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-21287411X-15/fragment/page=0438

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-21287411X-15/fragment/page=0440


ALVENSLEBEN
Nd
93

de Fabricius inter

mit[illegible]

IV.

de [illegible]

V.

de [illegible]

posit

Georgij Bertini
de Consultationi
bus Medicorum
et
de Methodica Fe
brium curatione

Nathanis Chyt[illegible]
de Affectibus [illegible]
[illegible]

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-21287411X-15/fragment/page=0443



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-21287411X-15/fragment/page=0444





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-212874114-15/fragment/page=0446

OBSERVATIONVM ET CVRATIONVM MEDICINALIVM LIBRI TRES,

Nempe tertius de febribus intermittentibus; quartus de hecticis; ac quintus de febribus compositis.

In quibus earundem causæ, signa, prognoses, curationes, graphicè depinguntur.

D. PETRO FORESTO Alcmariano, Medico, Auctore.

1
(III-V)
Nd 93





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-21287411X-15/fragment/page=0447